DE ORTV INFANTIVM CONTRA NATVRAM, PER SECTIONEM Cæsaream, TRACTATIO:

Qua reliqui item CONSCIENTIÆ NODI *ad matrem alvo gerentem, ac fœtum, eiúsque partum spectantes, solidè & accuratè expediuntur;*

A R. P. THEOPHILO RAYNAVDO, Societatis IESV Theologo.

Accessit discussio erroris popularis, de Communione pro mortuis.

LVGDVNI,
Sumpt. GABR. BOISSAT, & Socior.
M. DC. XXXVII.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo D.

DOMINO

PETRO DE GRATET,

COMITI DE BOVCHAGE, ET BRANGVES, REGI AB VTROQVE CONSISTORIO, ET in ſuprema Delphinatium Curia Prȩſidi integerrimo, &c.

THEOPHILVS RAYNAVDVS *ex Societate* IESV F.

OMNIBVS laborat Sapientia, cùm priuatum exornat, PRÆSES AMPLISSIME, immenſum amat ſplendorem contrahi, vt collectis in anguſtum radiis, clariùs emicet, exerat ſe potentiùs, & in multos ab vno ſe transfundat copioſiùs. Hoc ipſum il-

lustrissimo, in te, tota Gallia demiratur exemplo. Impertita siquidem Sapientiæ decora, circunquaque sic explicas, vt sapientiam nouo nomine, Sapientem credamus, & ingeniosam quòd suam in te munificentiam nouerit fœnerari; fœneratam vel hoc vno agnoscimus, quòd Sapientiæ à qua habes vt fulgeàs, id rependas vt iudicet; itáque nostris temporibus suspiciamus, quod multis retrò sæculis, orbi Romano Philosophus expetebat, SAPIENTIAM SCILICET IVDICANTEM, AVT IVDICEM SAPIENTEM. Sapientiam inquam illam, quam micantissimum Cheronæus mundi Solem vocitauit; quæ ad te cùm diuertit, omnia æquabili fluere lege necesse est, quando solem videmus in Librâ, ad quam cum virtutibus, sic exiguntur vitia, vt his depressis, in sublime ferantur illæ, & imperent.

FORTVNATAM

FORTVNATAM igitur eo Præside Curiam, quem oculatum fecit Sapientia, & amabili cæcitate, sibi Diua Themis consecrauit; vt cæcitati, non desit oculata integritas, nec in integritate cæca desideretur eruditio. Emissenos Iustitiam veneratos accepimus, cuius è collo, suspensa veritatis effigies, affusis à Sapientia radiis, oculorum prope aciem perstringeret. Nimirum (quod docuere nonnulli) his ostendebant tenebris, florentissimo tum regnaturam imperio Iustitiam; cum perspicaces, sapientes, eruditos, quid loquor? tibi similes, Veritas indagatores nancisceretur.

VIDE quanti pensanda sit, meæ sortis fœlicitas, cui tibi olim in templo Sapientiæ inaugurando, mystagogum esse contigerit? Iactitabat se quōdam Donatus immortalem, quod Hieronymum in humanioribus auditorem habuisset, cuius cum laudes

æternæ forent, sui nunquam perituram sperabat memoriam nominis. Nihilo tu inferiori posteros docebis exemplo, quantum discipulis, ipsi etiam præceptores tribuere debeant; quibus interdum, glorioso videlicet impertiti luminis repercussu, hoc debent; vt clariores existant. Ita illas imprimis glebas demiramur, eius fœlicitatis, & ingenij, vt positam in cultura operam, trifero prouentu soluant, suósque stupendo prorsùs fœnore, colonos locupletent.

PRÆBVISTI æternum mihi (PRÆSES INTEGERRIME,) gratulationis, laudísque cumulatissimæ argumentum, neque spem faustissimus fefellit euentus meam. Celerrima illa qua polles, in perspiciendis rebus, ingenij vis, quæ maturæ iudicandi moræ nihil officit, indices mihi semper illustres fuere latentis animi, ad suprema quæque facti; ad eámque præsertim

tim dignitatem, aſpirantis, quam in te meritò ſuſpiciunt cæteri, & venerantur, ſed ego tuis inferiorem meritis ſemper exiſtimabo. Cuius vt aliquod opinionis extaret poſteris monumentum, hanc quantulamcumque opellam affero, mei in te auctoramentum obſequij, quæ ſi vel vno tuæ ſplendore purpuræ, illuſtrata prodeat, eſt profectò quod immortalitatem ſperem glorioſiſſimam. VIVE ET FAVE.

V. Cl.

D. PETRO DE GRATET,

AMPLISSIMO PRÆSIDI,

& Comiti de BOVCHAGE, &c.

ARA.

Numen si quæris, Lector, huius Aræ Genium,
Titulum lege.
Quid hæres? quòd Augustos vel vna dote
Suos Genios adorauerit Antiquitas?
Maior hîc Præses multiplici radiat.
Non hîc Mercurius Eloquentiâ,
Non hîc Alcides Nobilitate,
Non hîc Themis Iustitiâ,
Non Pallas omnib. disciplinis,
Ara Numinum est.
Hîc Pietas, hîc Nobilitas,
Hîc Faecundia, hîc Eruditio,
Hîc Iustitia simul adorantur,
Adorantur, non explicantur.
Fallor, satis explicantur, dum in Ara collocantur.
Huius aræ consilium si quæris, lege.
Suo Theatro æternitatem à religione quærens
Pompeius, Aram Magni numinis imposuit.
Huic ingentis animi theatro,
Innocentiori qua fulget doctrinæ gloria,
Maior Romano duce Theophilus
Immortalitatem à veneratione fœliciter aucupaturus
Aram, tanti Præsidis auspicio, venerandam adstruxit.

P. PETRVS GRAS S.I.

Amplissimo

Amplissimo & Nobilissimo D. D.

PETRO DE GRATET, IN DELPHINATIVM SVPREMA CVRIA PRÆSIDI, Comiti de Bouchage, &c.

Ode Tricolos Tetrastrophos.

MENS *litterato nobilis halitu,*
Et gratiosæ laurea purpuræ
Virtutis hospes, Iudicantis
Lingua Dei, Superúmque Prætor;
Legum tribunal, Præses amabili
Verendus ostro, flamma laboribus
Secunda nostris, & beato
Iustitiæ radiata vultu,
Atlas paterni maxime ponderis
Dignus capaci sydera brachio
Et iuris, illustri labore
Deciduos retinere fasces.
Dum liliati syderis arbiter,
Tutas subacto climate legibus
Componit aras, & labanti
Præsidium LODOICVS *orbi,*
Regenda motu sceptra vicario
Tibi sagaci Numine credidit,
Vt IVSTVS *in Iusto, fideli*
Iudicio loqueretur ore.

Bouchagius Dei Iudicis legatus.

Regiæ Iustitiæ Interpres.

Fasces minaci fulmine liberos
Honora iusto lilia nomine
Docto maritauit clienti
BOVCHAGIO *moderanda sensu.*
Forensis inter syrmata gratiæ,
Et purpurati lumina Climatis
Multiplicato spirat in te
Prodigio LODOICVS *absens.*
Vt rorulento Delius æthere
Se concolori pingit imagine,
Et lumen affini tabella
Artifici radio colorat.
Absens amico viuit in hospite,
Et innocenti fœnore luminis
Gaudet propagato colore
Multiplices reperisse vultus.
Regale lumen, sceptráque vindicis
Augusta dextra, Rex tibi deferens
Se vidit hæredem, paternæ
Effigiem peperisse lucis.
Te fabulosi Curia Cecropis
Colléque quondam pendula veritas
Supplex honorans, osculatur
Purpureos famulosa gressus.
Æterna magni filia Iudicis
Spernit seueri marmora Numinis,
Cerásque viuentes in vno
Ingenio veneratur omnes.
Inter verenda Lilia Purpuræ,
Et Gallicanæ fulgura Palladis
Credit Sacerdotem Deorum,
Qui patriis operetur aris,

Altera Regis imago, vt Iris Solem, sic ille Regẽ reddit.

Assertor antiqui Iuris.

Decreta

Decreta fonti sancta licentia
Cœli loquentis fulmina, prouidi
Voces parentis, verba sacra
Esse putat pretiosa vocis.
Non insolenti gentis inhospita
Damnata mundo, mœsta precarios
Ambit penates, nec tenaci
Barbarie malepressa viuit,
Paterna virtus, hospita veritas
Huic fecit aras, & domus, innocens
Fuit Mineruale, incruento
Qua caderet scelus omne cultro.
Delubra iusto condita Numini,
Quâ Mysta virtus, victima criminis
Exosa proles, tu Sacerdos
Pontifici trabeatus ostro.
Si quem infideli perfida pondere
Fortuna vexat, limina patria,
Vix tangit ara, iam beatos
Parturiit tua fama soles.
Inclusa proles carcere mobili,
Et vita primis indiga sensibus
Spirans parentali in sepulchro
Prima tuo petit astra iussu.
Materna rumpens ilia, sospita
Se sistit ara, claustráque libero
Rescindit ausu, purpuratis
In manibus positura cunas.
Doctrina crebro viuida pignore,
Constans cadentis vita scientia,
Doctúmque Numen, litterata
Prodigium populare gentis,

Domus eius Iustitiæ templum.

Argumentum libri.

Author libri doctrina & librorum multitudine vbique notum

Docto

Docto feracis fœnore spiritus
Vbique viuens, vnus in omnibus
Spirans Lycæis, erudita
Progenie numerosus Heros.
Inter cruenti funera temporis
Mortem potenti suscitat halitu,
Vt prona fœlices, honora
Familia veneretur aras.
Supplex merentis lumina Purpura,
Stirpémque adorans, sponte silentibus
Abscedit oris, inter vmbras
BOVCHAGIÆ *tuba iusta lucis.*

P. IOANNES PAPON S. I.

ARGV

ARGVMENTVM.

NON ita pridem, eruditus ac pius ſacri cuiuſdam inſtituti alumnus; vir præter cætera re-ilgioſa ornamenta, rei quoque Medicæ peritia clarus; quippe qui priuſquàm abiecto ſeculo ſub Chriſti vexillis mereretur, ſtudia Medicinæ coluerat; venit ad me rogatum ſententiã, de controuerſia negotio Medicorum proprio implantata: nimirum de Sectionis Cæſareæ honeſtate; ſiue, licitáne ſit materni vteri diſſectio, ad exemptionem fœtus, in deſperatione partus naturalis. Quod enim apud Inalpinos, Medicus quidam vt matri ac fœtui, vel alterutri ſaltem conſuleret, eam ſectionem Chirurgo mandaſſet, nec res felicem exitum eſſet ſortita, vt ſunt cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ; Medicus quidem, ſe ex arte, & de ſuorum Doctorum ſententia edixiſſe ſectionem excuſabat; nec

ſibi

ſibi vitio verti poſſe euentum minùs proſperum aſſerebat, cum *euentus, ſtultorum Magiſter ſit*, vt eſt apud Liuium Dec.3.l.2. ſitque iudice Plinio l. 5. epiſtol. 21. *omnino iniquum, vt honeſta conſilia vel turpia, provt malè aut proſperè cedunt, ita vel probentur, vel reprehendantur.* Probandam potiùs tanquam Sapientiæ pleniſſimam legem Ægyptiam à Diodoro relatam, ex qua Medicus ſecuri percuſſus eſt, quod ægri curationem contra artis præcepta molitus eſſet, quamuis ſecuto felici euentu. Alij verò, ſiue quos dolor ex defunctæ propinquæ mulieris obitu pungebat, ſiue quos alieni mœroris commiſeratio, aut de alienis factis pronunciandi frequens mortalibus vitium, prurigo ſtimulabat; ſectionem adhibitam, pluſquàm barbaricæ immanitatis damnabant. Et vt brutum vulgus dimittam, eáque linguarum ſpicula, quibus imperiti, cæco potiùs affectu quàm iudicio ducti, Medicum petebant: fuere viri haud indocti, & nodorum conſcientiæ nequaquam rudes, quibus Medici iuſſum, temeritatis pleniſſimum viſum eſt, nec grauis peccati expers, quod quanquam ex diſciplinæ ſuæ præſcripto id conſilium ſuſcepiſſet, & quantum per negotij

adiuncta

adiuncta licuerat, egisset prudenter; tamen nec sacris Doctoribus, & nodorum conscientiæ interpretibus placeat audax factum, nec omnibus Medicis arrideat, nisi immitioribus, & eius genij cuius Herophilum Medicum insimulat Tertullianus l. de anima cap. 10. quem à studio exsecandi humana corpora, lanium potiùs quàm Medicum appellandum decernit. Tandem alij, studia in contraria incerti scindebantur; nisi quod in eo contentionis æstu, tametsi attendendo solius rationis momenta in neutram partem abripiebantur; tamen scrupulum illis non leuem aduersus Medici factum infigebat, contrarius sacrorum Doctorum sensus, & quidem constans & vnanimis, vt non nemo ex Medici reprehensoribus affirmabat. Non est hæc lis mota nunc primùm. Nam Franciscus Victoria ante centum circiter annos, cum sui temporis Medico certandum sibi hac ex causa fuisse, scripto prodidit in summa de Sacramentis. Nec ita multo post, Bartholomæus Ledesma in tractatione de Baptismo, difficult. 18. *in fine*, alium sui temporis Medicum, grauiter notauit ea ex causâ. Non ita pridem Paulus Comitolus l. 1. respons. moral. q. 14. rixam

rixam ſibi non leuem fuiſſe cum Medico ſeptuagenario huiuſmodi ſectionibus patrocinante, prodidit.

Res digna viſa eſt, de qua adhibito non indiligenti examine pronunciaretur: eóque proniùs & gratiùs ad hanc operam deſcendi, quòd videam per occaſionem ſectionis Cæſareæ, de omnibus propè dubitationibus quæ circa prægnantes & fœtus materna aluo concluſos agitari poſſunt apud nodorum conſcientiæ tractatores, ſtatuendum eſſe; nec paucas ſcholaſticas difficultates, & aliquas etiam inter Iuriſconſultos iuris ambigui quæſtiones, cum hac controuerſia complicari. Quorum omnium diſcuſſio & illuſtratio, vt ob varietatem amœna, ſic ob non leues difficultates exercendo ingenio idonea, & ob frequentem vſum, non parum commoda appareat, præſertim ad infantium quibus ortus naturalis negatur, æternam ſalutem locandam in tuto; & miſellos, (vt Proſper alicubi nominat,) *paucorum dierum homines*, perpetuo exitio ſubducendos.

Ortum naturalem quem illis negari dico, & ob quem negatum, aio diſcrimen æternæ ſalutis ab eis adiri, non oppono illis non naturalibus ortubus quos enumerat

Mercur.

Mercur. l.2. de morb. mul. cap. 1. & fusiùs Iacobus Ruffius toto l. 4. muliebr. ac nominatim accessui illi ad hanc lucem qui proprius est Agripparum. Ita vocant eos, qui præpostero natali, & contra naturam ob causas à Laurentio discussas 8. Anatom. quæst. 29. in pedes procedunt nascentes, Agrippæ dicti, quod *ægrè parti* sint ; ait Plinius l. 7. cap. 8. addens eum nascendi modum, Marco Agrippæ, parenti ambarum Agrippinarum quæ Caium & Domitium Neronem principes genuere, ac etiam Neroni ominosum fuisse. Vterque enim, præposterum illum & naturæ contrarium ortum sortitus scribitur. At *ritu naturæ*, (inquit,) *capite hominem gigni, mos est, pedibus efferri.* Nec dissimiliter apud Agellium l. 16. c. itē 16. Varro, qui ei partui cōtra naturam procurando, & deprecando tanto infantis periculo, duabus Carmentibus aras statutas prodit : vnique *Postuertæ*, alteri *Prosæ*, à recto peruersóque & naturæ aduerso partu, inditum nomen. Est igitur hic Agripparum ortus, aliquatenus contra naturam, diuersus tamen ab eo, cuius negatione adiri ab infantibus æternum exitium admonebam. Imo ortus Agripparum, præ eo ad quem aggredimur, non

eſt contra naturam ; quia Agrippæ tametſi præpoſtero membrorum ordine, tamen per conſuetam viam ad lucem veniunt. At ij de quibus agendum proponimus, qua data per artem porta, educuntur è conceptus loco. Quare ortus eorum, antonomaſticè & abſolutè ORTVS INFANTIVM CONTRA NATVRAM, videtur denominandus, vt à nobis factum eſt in huius Opellæ titulo.

APPROBATIO

APPROBATIO.

Diligenter euoluimus librum, cui titulus est, *De ortu infantium contra naturam*, &c. conscriptum à R. P. Theophilo Raynaudo, Societatis nostræ Theologo: Nec modò omnia, quæ eo continentur, doctrinæ Catholicæ & bonis moribus congruentia, sed etiam insigni eruditione referta, atque adeò digna prælo censuimus. Lugduni 11. Augusti, 1637.

Iosephvs Gibalinvs.
Lavrentivs Granon.
Petrvs Labbe'.

Facultas Prouincialis.

Clavdivs Boniellvs Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Lugdunensi iuxta Priuilegium eidem Societ. à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc re-

gnante, 14. Februarij, 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant: Permittit GABRIELI BOISSAT, & Sociis, vt librum, cui inscriptio est: *De ortu infantium contra naturam*, &c. Autore P. THEOPHILO RAYNAVDO, Societatis IESV, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni, 15. Maij, 1637.

CLAVDIVS BONIELLVS.

Facultas Ordinarij.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, S. Theologiæ Doctor, in S. Crucis æde sacra Custos, & Eminentissimi ac Reuerendissimi D.D. Cardinalis & Archiepiscopi Lugdunensis Vicarius Generalis Substitutus: Librum R. P. THEOPHILI RAYNAVDI Societatis IESV, cui titulus est: *De ortu infantium contra naturam*, &c. à Doctoribus approbatũ, tanquàm sana doctrina refertum, & eruditione Autoris dignum, in lucem edi facultatem concedimus. Lugduni 13. Augusti, 16,7.

DEVILLE, V. G. S.

CONSENSVS.

LIBRVM, cui titulus est: *De ortu infantium contra naturam*, &c. Autore R. P. THEOPHILO RAYNAVDO, Societatis IESV Theologo, typis mandari publicis, ac in lucem exponi à GABRIELE BOISSAT, & Sociis, ego Regis in Præfectura Lugdunensi Consiliarius & Procurator non impedio. Die 14. Augusti, 1637.

PVGET.

PERMISSIO.

VISO Procuratoris Regis consensu, Librum hunc typis mandari à GABRIELE BOISSAT, Bibliopola Lugdunensi, & Sociis, concedimus; & ne quis vltra concessam facultatem denuò excudat, defendimus. Datum Lugduni, die 14. Augusti, 1637.

SEVE.

INDICVLVS CAPITVM.

ARGVMENTVM.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex, sit ſectio Cæſarea, de cuius honeſtate agendum eſt.

1. NOMINE *ſectionis Cæſareæ*, intelligo artificioſam diuiſionem, qua fœtus, è matris, ſiue ſuperſtitis ſiue iam demortuæ vtero, per viam non naturalem educitur, ob deficientem matri virtutem enitendi, & fœtum naturali modo foras mittendi; vel certè ob anteoccupatum iuſta de cauſa legitimum tempus pariendi, & adhibitam ante illud, exemptionem fœtus.

Sectiones fabuloſæ, ablegatæ.

2. Vides alienas eſſe ab hoc loco, fabuloſas illas ſectiones, quibus olim Ethnici commenti ſunt aliquos ad lucem veniſſe. *Apud Gymnoſophiſtas Indiæ*, (inquit S. Hieronymus lib. 1. in Iouinian. num. 69.) *quaſi per manus huius opinionis autoritas traditur, quod Buddam, principem dogmatis eorum, è latere ſuo Virgo generarit.* Vtrique è latere perfoſſo, vt pateret fœtui exitus citra penetrationem, cuius nulla apud ſeculi ſapientes mentio, multo

 minùs

minùs fides. Sed pergit S. Hieronymus. *Nec hoc mirum de Barbaris, cum Mineruam quoque de capite Iouis, & Liberum Patrem de femore eius procreatos, doctissima finxerit Gracia.* Etiam Mineruam fisso Iouis capite editam, habebat fabula. Itaque in eo item natali, creditum est interuenisse sectionem, æquè ac in Bacchi ortu ex Patris femore. Nota est fabula ex 3. Metamorph. passímque ex Mythologis, qui referunt, fulminata matre Semele, puerum Bacchum è materno vtero viuum fuisse eductum, & vt fœtus ille immaturus, debitam humano fœtui maturitatem consequeretur, Iouis femori immissum esse, indéque velut ex secundo vtero iteratò eductum & natum, vnde *Dithyrambus* & *bimater* est dictus, quod ei Iouis femur, materni vteri vice fuisset in ortu secundo. Igitur hîc quoque, sectionem in Iouis femore ad educendum in lucem Bacchum, imaginatos esse Ethnicos, perspicuum est. Sunt tamen (vt præmisi,) omnes hæ sectiones, alienæ ab hoc loco: tum quia non dicuntur fuisse sectiones vteri materni, sed lateris, aut cerebri, vel femoris: Tum quia apertè sunt fabulosæ, nec nisi partus Græcanicæ nugacitatis.

3. Nec refert quod S. Hieronymus ad Virginitatis commendationem prædictas sectiones retulerit: Aut quod Ruffinus ad tertium symboli articulum, Mineruæ ac Bacchi generationes ex Patris cerebro ac femore Ethnicis obiecerit, vt demonstraret conceptum & editum Christum absque maris & fœminæ copulatione, quod illi vt monstrosum figmentum auersabantur. Non inquam refert, quod hi Patres, & si qui alij, inter disputandum cum Ethnicis, ortus prædictos adduxerint, síntque ex

illis

illis argumentati pro Christiana Veritate, aduersus Ethnicos eidem obstrepentes. Quod enim eas fabulas adduxerint, argumento non est quod pro veris narrationibus illas habuerint: sed iure disputatoribus concesso cum possunt, ex aduersarij armamentario tela quibus eum saucient depromendi; assumpserunt quod Ethnici in prædictis fabulis vt verum iactabant: idque in ipsorum capita retorserunt, ostendentes longè verisimiliorem videri debere ortum Christi ex matre Virgine seclusa prorsus viri opera, quàm ortus prædictos è latere matris, vel è patris cerebro, aut femore: nec qui ista censent vera, posse Christi ortum ex sola matre semper imperuia, pronunciare absurdum, ac ne Deo quidem possibilem, quod iidem Ethnici quibus fabulosi ortus prædicti habebantur pro veris, malignè & inconsequenter aduersus Christianum mysterium effutiebant.

4. Non multum absimili modo, Patres, ipsáque Scriptura, fabulosas narrationes, cum ædificationi seruire possunt & ad morum informationem commodare, non dedignantur. V. g. narratio de Pelicano post triduum luctus pullos suos proprij sanguinis superfusione ad vitam reuocante, fabulosa est, vt satis significat S. Augustinus in Psalm. 101. qui tamen egregiè inde eruit, quantus erga nos fuerit Christi Domini affectus, cuius perspersi sanguine ad vitam rediimus. Narratio de Phœnice rediuiuo, innumeris scatet fabulositatibus: de quibus plenè Delrius Adag. 16. vet. Testam. & Fernand. à Corduba in Didasc. multipl. c. 7. Neminem tamen latet, quàm multi Patres, exemplum Phœnicis quod Ethnici admittebãt, áduersus eosdem resurrectioni

carnis infestos, vrgeant. Videndus nominatim Clemens Rom. 5. Constit. c. 6. Tertullianus l. de resurr. car. cap. 13. Ambros. l. de fide resurr. Epiphanius in Anchorato, Cyrillus Hieros. catech. 18. Ruffinus ad XI. symboli articulum, passímque cæteri, qui hoc telum è pharetra Ethnicorum depromptum, securè in illos intorquent, tametsi simul insinuent se id fabulis annumerare. Ipsa Scriptura quod notauit Nyss. homil. 9. in Cant. non refugit fabulas externorum, cum possunt ad pietatem conducere, quod idem confirmat exemplo fabularum de cinnamomo iactatarum, quas tamen à Scriptura vsurpatas obseruat & latè explicat, tum concludit. *Nemo verò, aspiciens quod non sint probabilia quæ dicuntur de cinnamomo, Verbum reprehendat, vt quod ex iis quæ non sunt vera, sponsæ laudem tribuat. Scit enim sæpè sancta Scriptura, etiam ab externis fabulas accipere, ad opem scopo suo ferendam.* Quod igitur Patres aliquando aduersus Ethnicos, Buddæ, Liberi, Mineruæ procreationes vrgeant, vt probent posse hominis generationem aliunde existere quàm ex maris & fœminæ complexu; non probat Patres illos habuisse pro veris, generationes prædictas; sed tantùm monstrat prudentiam Patrum, ex fabulis apud Ethnicos receptis, pro Christiana veritate aduersus eius hostes argumentantium.

Sectio Cæsarea, absurdè partus, dicta.

5. Sic explosis & ab hoc instituto sepositis fabulamentis illis sectionum quibus Ethnici commenti sunt aliquos ad lucem venisse, hærendum est in sectione Cæsarea, quæ non paterni capitis, aut

aut femoris, nec materni lateris ridicula dissectio est; sed vteri materni quo fœtus ante ortum concluditur, indéque artificio eximitur, quia naturali modo prodire non potest. Hæc causa est, cur huiusmodi ortum dixerim fieri ***per sectionem Cæsaream***, non autem quod aliquos facere video, ***per partum Cæsareum.*** Sic locuti præter cæteros Franciscus Roussetus, libro de partu Cæsareo, Rodericus à Castro l. 4. de morb. mul. c. 3. **Iacobus Duuallius** l. de Hermaphroditis & partubus cap. 24. & alij de Medicorum præsertim ac Chirurgorum cœtu.

6. Hæc tamen locutio nec est idonea, nec admittenda. Qui enim ex vtero matris merè passiuè se habentis extrahuntur; nec ab eâ pariuntur, nec ex ea nascuntur, propriè & accuratè loquendo. Nam vox ***partus***, siue pro actu pariendi, siue pro termino talis actus, id est, prole sic edita accipiatur; maternam aliquam efficientiam in fœtus emissionem præfert, vt optimè exposuit Aureolus in 3. d. 4. q. vnica, artic. 5. *sub finem*; annuúntque Toletus in c. 2. Lucæ annot. 7. & Suares t. 2. 3. p. d. 13. sect. 1. Et ita disertè statuitur l. ***Anniculus amittitur*** 132. ff. de Verb. signif. verbis illis, ***Falsum est eam peperisse, cui mortua, filius exsectus est.*** Idem statuendum est de voce ***nati*** & ***natiuitatis***; neque enim filius matri mortuæ exsectus, dicendus est ex ea natus, vt apertè traditur l. *si ego* 11. ff. de publiciana in rem actione, §. 5. verbis illis. ***Idem est, & si ex partu, partus est; & si non natus, sed post mortem matris, exsecto ventre eius, extractus est.*** Qui locus, pueris matri mortuæ exsectis, apertè abrogat & partum, & natiuitatem.

7. Ratio autem est perspicua; nimirum quia hæ voces, (vt præmisi,) planè sonant efficientiam aliquam,& matris & prolis, in eius emissionem è loco conceptus: ita vt exitus prolis non sit mera extractio facta ab extrinseco,matre ac fœtu purè passiuè se habentibus; sed sit extrusio & prosultus ab intrinseco causatus. Vnde Theologi, ex eo quod B. Virgo dicatur *peperisse filium suum*, & ipse Christus *ex ea natus* legatur, inferunt aduentum Christi in hanc lucem fuisse per portam communem,nec absque materna & sua aliqua efficientia: mirórque Baptistam Mantuanum tract. de loco conceptionis Christi, contendere, potuisse Christum dici natum ex B. Maria, tametsi ex ea aliunde prodiisset,quàm naturali & communi via; eo quod quomodocunque fœtus ad vitam veniat, dicatur nasci. Quod cum aliis quibusdam planè vanis ratiunculis confirmat ibi Mantuanus, tum nominatim exemplo eorum qui cæso matrum vtero extrahuntur in lucem, & tamen dicuntur ex illis nasci. Sed hæc est manifesta vocis abusio, cui non suffragantur Iurisperiti apud Alciatum l. *etiam* 141. ff. de verbo. signif. cum agnoscunt liberos mulieri mortuæ exsectos, verè esse filios illius mulieris, & ipsam esse matrem eorum. Nam ad fundandas denominationes *matris* & *filij*, sufficit conceptio ex substantia matris.

8. Video posse aliquem tricari, negando esse absolutè matres, quæ non tantundem conferunt ad esse filiorum, quantum eæ quæ prolem non modò concipiunt, & per aliquot menses intra se alunt ac fouent,sed etiam enituntur: sicut ob similem proportione defectum, Phauorinus apud

Agellium

Agellium l. 12.c. 1. pronunciat, non esse simpliciter dicendas matres, sed tantùm dimidiatas, quæ filios non lactant ipsæ, quia non conferunt tantundem ad esse filiorum, quantum cæteræ à quibus proles iam vtero fusa lactatur & alitur; ac continuata beneficentia procreatur. Fateor aliquem posse ad hunc modum tricari. Tamen absolutè loquendo, & rem ad viuum resecando, sicut non habetur ratio lactationis, vt fœmina dicatur mater, ita denominatio matris optimè fundari potest in sola collatione primi esse, continuata ad tempus vsque eductionis ex vtero, etiamsi defuerit enixus per vim natiuam matris prolem naturaliter fundentis ac extrudentis. At nomen *partus*, respectu *matris*; & nomina *natiuitatis*, ac *nati*, respectu filij, apertè ferunt *enixum* illum maternum, vel *connixum*: Vtraque quippe vox vsurpatur in eo negotio, & posterior (vt Mantuanus opusculo citato rectè notauit, post Glossam quandam ad Verba Vlpiani l. 141. ff. de Verb. signif.) apertè præfert actiuitatem, qua fœtus quoque matri collaborat & connititur, in sua ex vtero eductione; vt euidẽter patuit in ortu Gorgiæ Epirotæ, de quo mox, ex Valerio. Rectè id agnoscit Andreas Laurẽtius l.8.anatom.quæst.29. & Martinus Akakias l.2. de morb. mul. c. 15.

9. Quia igitur mater cui fœtus negato naturali enixu per vterum sectum eximitur, se habet ad ortum prolis merè passiuè, propterea refugio illum Medicorum quorundam loquendi modum, *partus Cæsareus*. Martialis quidem l. de spectac. epigram. 13. describens suis grauidæ solutionem ex vulnere in arena accepto, eum loquendi modum vsurpauit, cum dixit.

Inter Cæsarea discrimina sæua Dianæ,
Fixisset grauidam cum leuis hasta suem:
Exiliit partus, misera de vulnere matris.
O Lucina ferox; hoc peperisse fuit?

Rursus inferiùs epigr. 15.

Sus fera iam grauior maturi pignore ventris,
Emisit fœtum, vulnere facta parens.
Nec iacuit partus, sed matre cadente cucurrit:
O quantum est subitis casibus ingenium!

En vtrobique *partum*; tametsi scrophæ solutio, ex vulnere & dissectione vteri per hastam facta esset, matre non connitente, aut enitente. Similiter Valerius Maximus l. 1. c. 8. n. 14. sic scribit. *Gorgiæ Epirotæ, fortis viri, clara fuit origo: qui in funere matris vtero elapsus, inopinato vagitu suo, lectum ferentes consistere coëgit, nouùmque spectaculum patriæ præbuit, ex ipso genitricis rogo lucem & cunas assecutus. Eodem enim momento temporis; altera iam fato functa parit, alter ante elatus quàm natus est.* Viden' *fato functa parit.* Verùm Martialis, metri necessitate astrictus, *partum* dixit, qui reuera partus non erat. Valerius quoque dum argutiolam consectatur, & ingenti nouitate matrem post obitum parientem ostentat, impropriè & contra legitimam vocis notionem locutus est.

Num appellanda natiuitas.

10. Minùs reprehensioni patet, quod Gorgiam natum dicit, postquàm elatus esset. Qua etiam ratione Martialis in calce epigrammatis prioris, concludit, Bacchi natales ex eo exemplo firmans,

Sic genitum numen credite; nata fera est.

Hæc

Hæc inquam minùs patent criminationi. Nam quia connisus prolis, inadæquatè integrat concursum necessarium ad eius natiuitatem, aliquatenus quoque fundat *nati* denominationem. Vnde fœtus, matre præmortua prosiliens vi sua, & nisu ex vtero, minùs absurdè dici potest natus ex matre, cuius efficientia circa emissionem est desiderata, vt Gorgiæ illi Epirotæ contigit, & tergeminis illis pignoribus de quibus est Græcum epigramma perelegans, *εἰς γυναῖκας* lib. 3. anthol. quod Latinè sic habet.

Optet si qua volet sobolem, conquesta Polyxo est;
Dirupto natis perdita ventre tribus.
Et ruit in manibus trepida obstetricis; at illi
Protinùs ex aluo prosilüere foras,
E matre extincta viui: sic flebile fatum,
Huic vita munus dempsit, & hisce dedit.

Natis tribus, *τριαῶν τεκέων* dixit Poëta, agens de tribus è mortua matre prosilientibus, per consuetum lucis ostium. Sic enim rem contigisse, suadet cum similis Gorgiæ ortus, tum quod de prosultu per aliam viam siue extrinsecùs datam, siue ab ipsis cœco impetu & effractis vteri ac epigastrij claustris factam, prorsus tacetur. Itaque voces *nati* & *natiuitatis*, non adeò absurdè vsurpantur de ortu pueri absque matris connixu. At partus matre non enitente, ne intelligi quidem potest, rectéque affirmanti talis sobolis matrem peperisse, occinere liceat illud Poëtæ iam supra laudatum,

O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?

Cur dicatur Cæsarea.

11. Satis de causa cur abiecto multorum Medi-

corum loquendi modo, noluerim dicere *partum Cæsareum*, qui reuera partus non est, sed vocauerim sectionem; nec qualemcunque, sed Cæsaream, quæ scilicet est fissio materni vteri ad educendam prolem, vt circa illum factum est, qui inde primus dictus est *Cæsar*, iuxta receptissimam vocis notionem traditam ab Accursio ad initium institut. & digestorum, ac vt peritiores Latinitatis Magistros proferamus, Plinio quoque probatam l.7.c.9. & Solino cap. 4. ac Festo V. *Cæsones*. Consultò dixi, ex huiusmodi sectione denominatum esse *Cæsarem*, illum ex Romanis qui primus nomen Cæsaris tulit. Nam qui dixerunt, Iulium Cæsarem cui cæteri deinceps Romani Imperatores Monarchiæ initium debent, cæso matris vtero ad lucem eductum indéque Cæsarem dictum, vt S. Isidorus l.3. Orig. c. 3. Cedrenus, Suidas, Magnum Etymologicum & passim Iurisperiti in proœmio Instit. inde refelluntur à Beroaldo annotationibus in Seruium §. 9. & à Cuspiniano initio historiæ Cæsarum, quod Iulius Cæsar, matrem iam grandis natu, & in Gallia pugnans amiserit. Et quanquam iuxta ea quæ inferiùs dicentur, Cæsaris mater secto licet vtero, & inde educto filio, potuisset ad multos annos superstes esse; tamen quod ita extracti è matris ventre Iulij nulla sit mentio apud antiquos, vltro do, falsò iactari, Iulium ex eo euentu dictum esse Cæsarem: id quod admisi de illo qui primus dictus est Cæsar.

Hunc fuisse Scipionem Africanum, scribere videtur Plinius l. 7. c. 9. cuius tamen verba ancipitem sensum faciunt: sic enim habent. *Auspicatiùs, enecta parente gignuntur: sicut Scipio Africanus prior natus;*

natus; primúsque Cæsarum à caso matris vtero dictus. Videtur sensus esse, illum qui primus omnium à cæso matris vtero dictus est Cæsar, fuisse Scipionem, eóque pacto Plinium accepit Beroaldus annot. in Seruium §.9. & idem habet Plinij Simiolus, Solinus cap. 4. polyhistor. Tamen Hermolaus Barbarus Castigat. in Plinium, monstrat eum locum debere alium sensum facere; qui ferat talem ortum contigisse & Scipioni Africano priori, (duo quippe fuere Scipiones Africani;) & illi alteri qui primus ab eo euentu cognomentum Cæsaris in suam familiam intulit, fuítque Scipione longè anterior, vt Hermolaus probat ex antiquissima tabula quam profert. Quare non primus Iulius, Cæsaris cognomen tulit, eo quod cæso matris vtero prodiisset in lucem; Nec primus in gente Iulia cognominatus est Cæsar, quæ est multorum hallucinatio manifesta, vt Casaubonus ad Suetonium in Iulio cap. 2. annotauit. Et multo fœdior est lapsus Accursij in Glossis ante relatis, ac Pauli Castrensis ad l. *quod dicitur*. ff. de lib. & posthum. qui contra omnium antiquorum fidem, de Octauiano idipsum dixerunt. Sed quod verè de Iulio dicitur, illud est, nomen Cæsarum ab ipso ad reliquos deinceps Imperatores Romanos manasse, vt ex multis iuribus monstrat Brisson. ff. de Verb. signif. V. *Cæsar.* Quanquam postea Cæsaris nomen, ad Imperatores tantùm designatos fuisse restrictum, docet Bulengerius l. 1. de Rom. Imper. c. 4. Id primò factum in L. Ælio Vero, tradit his verbis Spartianus in Ælij Veri vita. *Huic naturalis pater fuit L. Ælius Verus, qui ab Adriano adoptatus, primus Cæsar est dictus.* Non igitur à Iulio Cæsare, sectionem de

qua

qua agimus, dixi *Cæsaream*, sed ab eo qui primus inter Romanos id cognomen retulit, & in gentem Iuliam intulit.

Sed quid si iste, non à cæso matris vtero, vt supponit tracta ab eo appellatio Cæsareæ sectionis, verùm aliunde dictus sit Cæsar? Variant sanè ea in parte sententiæ, vt refert Spartianus initio vitæ Ælij Veri. *Cæsarem* (inquit) *vel ab elephanto (qui lingua Maurorum Cæsa dicitur) in prælio cæso, eum qui primus sic appellatus est, doctissimi viri & eruditissimi, putant dictum; vel quia mortua matre ventre cæso sit natus; vel quod cum magnis crinibus* siue cæsarie, *sit vtero parentis effusus; vel quod oculis cæsiis & vltra humanum morem viguerit.* Eadem habet Constantinus Manasses in Annalibus n.71. Quam Spartianus dixit esse sententiam eruditissimorum ac doctissimorum virorum, nomen Cæsaris ab elephanto Mauricè siue vt Manasses ait, Punicè *Cæsa* dicto repetentium, est qui solam veram arbitretur; idque confirmet ex nummis antiquis quorum altera parte elephas anguem calcans subiecta inscriptione *Cæsar*, altera verò parte varia instrumenta exhibentur, quorum vsum censet fuisse ad elephantorum peremptionem. Ita refert nummis etiam appictis, Sigonius l. de nom. Rom. titulo *de nominibus ab aliis euentibus*, V. *Cæsar*. Sed hæc est perspicua hallucinatio. Nec in confirmationem propositæ sententiæ quicquam facere nummos illos, inspectione instrumentorum quæ in altera eorum parte visuntur, patere poterat. Illa quippe instrumenta, sunt, albogalerus seu tutulus, secespita, aspersorium, & vas sacrificale, siue id sit simpulum siue capedo: ad vtrumque enim referri potest eius forma. Quid verò

verò hæc, ad elephantos cædendos? Liuius sanè, fabrile scalprum cum malleo ad id adhibitum autor est, non quæ in altera nummorum illorum parte visuntur. Reuera itaque, nummi illi in Cæsaris apotheosi percussi sunt; designántque diuinos honores Cæsari decretos. Elephantem ad illos significandos vsurpari solitum, habetur ex Suetonio in Claudio, cum de diuinis Liuiæ honoribus. De angue ad hoc ipsum vsurpato, videndus Seruius in 5. Æneidos, vbi doctus Poëta, Anchisæ apotheosim per anguem tumulo eius appositum insinuat. Nam quod anguis opera ad implanandum hominem, & Deo veluti insultandum optimè in otbis initiis Satanæ cessisset, angues diuinis honoribus adiungere solemne Satanæ fuit, vt notauit Bosius l. 1. de signis, c. 4. & Baron. anno 315. aliàs 314. à num. 98. Exempla protuli in Natur. Theol. dist. 7. n. 42. Instrumenta ergo in nummis prædictis proposita, necnon elephanti & anguis effigies, ad Cæsaris consecrationem pertinebant, non ad cæsos elephantos, vt autor ille existimauit, qui primam sententiam ex Spartiano adductam, inde validè confirmari censuit. Est tamen aliunde, primæ isti sententiæ sua probabilitas; nec reliquæ colore aliquo verisimilitudinis destituuntur. Leue quippe videtur, quod aduersus tertiam vrget Meursius in Glossario Græcobarbaro V. Καισάρης, & Alfonsus Carranza in opere de partu cap. 6. sect. 1. num. 13. nempè in ea sententia, cæsariem cum coma confundi. At hoc non infrequens est, vt constat ex Adriano Iunio l. de Coma cap. 1. quod totum est de variis comæ nominibus: nec rarò habet exempla, quibus cæsaries laxiùs loquendo, cum coma confunditur.

Si

Si igitur qui primò dictus est Cæsar, vt est non improbabile, aliunde dictus est Cæsar, quàm ex ortu per cæsum matris vterum, corruit quod constituimus, de sectione materni vteri ad eximendam prolem, denominanda Cæsarea, quod qui primus appellatus est Cæsar, secto matris vtero lucem aspexerit. Fateor argumentum non esse imbelle. Neque tamen deest probabilis responsio. Nimirum, cum sententia quæ illum qui primò Cæsar dictus est, à cæso matris vtero sic denominatum statuit, sit satis probabilis: non posse iure explodi denominationem Cæsareæ sectionis, ad eam vteri diuisionem significandam. Quinimò tametsi ea notatio nominis *Cæsar*, esset prorsus falsa, planéque reuicta figmenti, cum tamen apud vulgus inualuerit, & omnium ore circumferatur, haud incongruè vsurpatur nomen ex ea notatione petitum, & in eodem vulgatissimo sensu accipitur; cum par sit loqui vt plures. Habemus exemplum ipsiusmet Scripturæ sacræ, imò ipsius Dei in Scriptura loquentis, de quo optimè S. Gregorius 9. moral. c.6. circa illud, *qui facit Arcturum, & Orionas, & hyadas, & interiora Austri.* Tradit eo loco S. P. Scripturam, nomina illa stellarum fabulositatis plena vsurpasse; non insistendo vestigiis Hesiodi, & Arati, atque Callimachi, sed *vt res quas insinuare appetit, notitia vsitata appellationis exprimantur. Nam si astra quæ vellet, per ignota nobis nomina diceret; homo pro quo hæc eadem Scriptura facta est, nesciret procul dubio quid audiret. Sic igitur in sacro eloquio, sapientes Dei sermonem trahunt à sapientibus seculi: sicut in eo pro vtilitate hominis, vocem in se humanæ passionis ipse conditor hominum sumit Deus, vt videlicet dicat,*

pœnitet

pœnitet me fecisse hominem super terram, cum profectò constet, quia is qui cuncta priùs quàm veniant conspicit; nequaquam postquàm aliquid fecerit, pœnitendo resipiscat. Accommodat se igitur Deus vsui humano, & siue per se, siue per Canonicum scriptorem loquatur, eas voces vsurpat quæ communi vsu receptæ sunt, tametsi improprium quid, nec Deo satis dignum, spectato extimo cortice sonent, redoleántque admistam alicunde fabulositatem. Idem igitur nobis fas esse debet, cum vox aliqua confictio sensu fœta, increbuit in vulgus. Atque ita denominatio *sectionis Cæsareæ*, à primo Cæsare per dissectum matris vterum ad lucem extracto, quia is passim sensus inualuit, vsurpari absque labe posset, quamuis suppositio illa de primo Cæsare, fabulosa esset.

Nulla hîc battologia.

Restat eximendus scrupulus circa eandem denominationem. Videtur enim laborare battologia, cum idipsum quod voce *sectionis* significatur, includatur denuò, iteretúrque in adiuncto attributo *Cæsareæ:* atque ita perinde esse videtur, dicere *sectionem Cæsaream*, ac dicere, *cæsuram cæsonis:* quod est patere eidem criminationi cui Ludouicus Viues ad l.3. de Ciuit. Dei c.15. obnoxios censuit eos qui se dicunt Canonicos Regulares: nam cum aliis maculis illos inspergit, tum nominatim battologiæ; quæ eo etiam insulsiot in re præsenti videtur, quod nulla hîc adhibeatur idiomatum diuersitas; vt ab iis factum est quos Viues reprehendit. Interdum enim, absque labe battologiæ, vsurpatis diuersi

idiomatis

idiomatis vocibus idem ſignificantibus, aliquid exprimitur. Qua ratione Chriſtus Dominus, inter orandum dixit, *Abba Pater*, magno myſterio, vt docet S. Auguſtinus lib. 3. de conſ. Euang. cap. 4. & autor Commentarij Diuo Hieronymo adſcripti ad c. 14. Marci v. 36. Et Apoſtolus Rom. 8. ad deſignationem ingentis Sacramenti quo Iudæi & Græci vnum in Chriſto cenſentur, eadem congeminatione abſque vitio vſus eſt, vt S. Auguſtinus admonuit l. de ſpir. & litera c. 32. & creditus Anſelmus, paſsímque cæteri Rom. 8. At in re noſtra, intra idem idioma fit congeminatio. Igitur modus ille loquendi *ſectio Cæſarea*, laborat battologia. Sed non eſt difficile hunc ſcrupulum reuellere, dimiſſis iis quæ Nauarr. comment. 1. de regular. num. 2. & 3. Ioan. Trullus l. 1. de Ord. Canon. Regul. c. 7. & Couarr. in Clem. *ſi furioſus* 1. p. num. 1. accumulant, vt battologiæ notam repellant ab iis qui ſe Canonicos regulares appellant. Cur enim battologiæ iure inſimuletur, vel ſi cæſuram Cæſaream dixerit, qui communem & ad plures patentem ſectionis ſiue cæſuræ rationem, arctat ad illam ſpecialem qua fiſſo materno vtero eximitur fœtus? Ea reſtrictio ſectionis generaliter acceptæ, & plurimas diuerſiſſimáſque ſectiones comprehendentis, commodè fit adiunctione differentiæ quam exprimit vox *Cæſarea*; iterans quidem vtcunque rationem genericam huius operationis, voce *ſectionis* iam expreſſam, ſed abſque inutilitate, imo cum commodo & declinatione longi anfractus verborum, qui alioqui adhibendus eſſet ad differentiam propoſitam exprimendam. Sed de his nominalibus tricis, plus ſatis.

Multiplicitas sectionis Cæsareæ.

Sectionem Cæsaream sic expositam, distinguere licet multiplicem. Vel enim matris præmortuæ vterus secatur vt educatur proles superstes. Vel vtroque superstite aperitur matris vterus, vt fœtus cui alius exitus interclusus supponitur, foràs prodeat, benéque vel ipsi, vel parenti, vel vtrique esse possit. Vel mortuo fœtu, mater superstes secatur, vt damnoso illo onere liberetur. Dimisi quartam sectionem quæ scilicet esset matris demortuæ, intra quam fœtus quoque iam mortuus lateret. Huius enim sectionis, vix alius potest esse vsus, quàm ad comparandam peritiam anatomicam, præsertim cum insolitum quid circa matrem ac fœtum contigisse deprehenditur. Quale illud quod Ioannes Albosius accuratè descripsit, de embryone petrefacto, quem mulier Senonensis annos 28. gestauerat vtero conclusum. Albosij libellum suis in Hippocratem de muliebr. commentariis ad calcem attexuit Cordæus. Itémque illud, quod Medicus quidam Friburgensis scriptis prodidit: nempe repperisse se anno 1595. mulieris vterum lapideum pondere librarum septem, vesicam item lapideam, & peritonæum cui vix nouacula immitti poterat. Et exegerat misera in eo statu, annos totos triginta septem. Hæc aut similia, cum contingunt, vel contigisse suspicio est, interest communis boni, mulierem demortuam secari, quod inde multa addisci possint ad aliarum mulierum fœlicem enixum, & fœtuum indemnitatem conductura. Verùm quod alius sit hoc loco scopus noster, non est quod ea sectio nos distineat, sed ad tres reliquas progrediendum

diendum est, quas omnes extensa voce ob affinitatem, & conformem eas exequendi modum vocaui sectiones Cæsareas: quamuis sola prima, attento vocis rigore sit Cæsarea, quia beneficio talis sectionis, extractus & seruatus creditur, qui primus *Cæsaris* vocabulo est appellatus.

CAPVT II.

De sectione matris demortuæ, vt fœtus superstes eximatur.

1. NIHIL vspiam est adeò fixũ ac firmum, quod aliquorũ audacia & ingenij effrænatio, improuidè tentare, ac pro viribus quatere & labefactare refugiat. Non is quidem ego sum, cui omnis planè circa disciplinas nouatio, piaculis annumeranda videatur: Idque pigrorum (vt ait) ingeniorum vitium, meritò sugillat Fabius l. 10. instit. cap. 2. & 5. quod item faciunt Seneca epist. 33. & 64. Themistius orat. 15. Lactantius 12. instit. c. 8. & alij quos profero in opere de iusta confixione librorum, partit. 1. erotem. 20. Tamen nemo non videt, si prudentiæ legibus regamur, eam vetustati deberi reuerentiam, vt cum potens ac ineluctabilis ratio non vrget ad nouandum, abstineamus conuulsione eorum quæ communi sapientum sensu probata fuerint, etiam circa humanas disciplinas; præsertim quoad ea placita, quorum disiectio Catholicæ fidei dogmatibus,

tibus, aut animarum saluti, directè vel indirectè incommodare quoquo modo potest. Hunc prudentiæ canonem, improuidè à quibusdam resigi, experimur subinde. Et vt alia taceam, est in hac ipsa sectionis Cæsareæ materia, luculentum huius improuidentiæ exemplum, quod propositum & discussum eo.

Aperiendam esse matrem demortuam, vt fœtus superstes eximatur, omnium retrò sapientum sententia, experimentis firmata.

Adhibendam esse hanc sectionem confestim à matris morte, vt proli si illhuc vsque viuere deprehensa est, consulatur, sapientum omnium calculo ad nostra vsque tempora firmatum fuerat. Ita disertè S.Thom.3.p.q 68.art.3.& ibi omnes ad vnum interpretes, nemine discrepante. Item Palud. in 4. d.6. q.1. art.1. conclus.3. Soto ibid.dist.5. q.vnica, articulo 11. conclus. 3. *circa tertium*, Gabr. dist.4. dub. 2. Angles q. 2. de baptis. art.3. concl.5. Astesanus 1. p. summæ lib. 4. tit. 6. artic. 2. quæst. 6. Angelus V. *baptismus* 6. num. 2. Fumus V. *baptismus* num. 39. De Graffis p. 2. decis. l. 1.c.4. n.33. & passim Summistæ. In plerisque iuribus idem supponitur, vel factum traditur. Videndus Vlpianus l. *posthumus*, versic. *simili modo*. ff. de inofficioso Testam.& l. *si ego*, versic. *idem est*. ff. de Publiciana in rem actio. & l. *quod dicitur*, ff. de liberis & posthumis. & l. *Etiam ea*. ff. de verb. signif. & Paulus l. *anniculus amittitur*. ff. eodem. Ad quæ loca, Iurisperiti omnes suffragantur. Et alios præterea dabo

inferiùs, ſub huius opellæ finem, diſcutiens controuerſias apud Iuriſperitos agitatas circa Cæſaream ſectionem. Grammatici quoque, hos (vt ipſi vocant) Cæſones, agnoſcunt, Feſtus, Probus, alij. Medicis omnibus, ſi vnum & alterum è recentioribus demas, idem viſum eſt.

2. Accedunt experimenta & antiqua & noua, quibus vtilitas ſectionis matris demortuæ patefacta eſt, fœtu extracto incolumi. Bacchum ac Scipionem, in exemplum Cæſonum profert Tertullianus l. de Anima c. 25. verbis illis. *Poſſumus illos quoque recogitare, qui execto matris vtero vini aërem hauſerunt, Liberi aliqui, & Scipiones.* De Scipione conſentit Plinius l. 7. c. 9. & pulchrè in ipſius Scipionis perſona Silius Italicus lib. 13. De Libero ſeu Baccho, cuius ortum pleriſque fabulamentis dehoneſtatum ſupra vidimus, non occurrit qui idem cum Tertulliano apertè dixerit. Imò Dalechampius ad illud c. 9. libri ſeptimi Plinij, ſuſpicatur mendum irrepſiſſe in Tertulliani Codices, & pro *Libero*, legendum *Laberium*. Sed hæc eſt voluntaria & merè gratis inuecta reiectio Codicum omnium, in quibus conſtanter habetur lectio propoſita, quæ per meram ſuſpicionem conuellenda non fuit; præſertim cum nullus proferatur à Dalechampio Laberius Cæſo, pro quo Liberum, apud Tertullianum irrepſiſſe, cauſari queat. Quare non videtur negandum, quin Bacchus vt apud Tertullianum legimus, exſecto matris vtero ad lucem venerit: Tertullianus enim qui diſertè id affirmat, potuit ex antiquioribus de Baccho ſcriptoribus qui ad nos minimè deuenerint, id addiſcere. Et fauet non adeò obſcurè Martialis l. de ſpectac. epigr. 13.

cum

cum enim descripsisset suem grauidam, qua ex vulnere mortua, fœtus de vulnere exiliit, concludit;

Quis negat esse satum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite, nata fera est.

3. Æsculapium inter Cæsones numerat Seruius ad 7. & 10. Æneid. Ideóque ait, Apollinis filium dici, quod Apollo medicinæ Deus sit: Cæsones autem Medicinæ beneficio veniant ad lucem, síntque eam ob causam, omnes Phœbo sacri, iuxta illud de Lyca 10. Æneid.

Inde Lycam ferit, exectum iam matre perempta,
Et tibi Phœbe sacrum.

Ad quem locum interpretes passim, notant, ideò Cæsarum familiam sacra Apollinis retinuisse, quod qui princeps in ea familia fuerat, exciso matris vtero vidisset lucem, vnde primus Cæsaris nomen tulerat; & beneficium ab Apolline medicinæ præside acceptum, sacris illis agnoscendum instituerat. Cæterum vt ad Æsculapium redeam, venisse illum ad lucem exsecto matris vtero, negat Tiraquellus l. de iure primig. q. 18. num. 2. prolato Pausania qui Æsculapium confestim ac editus est, expositum à matre scribit, quod non cohæret cum eius extractione ex aperto medica arte, matris vtero.

4. Manlium, qui Carthaginem cum exercitu intrauit, Cæsonibus annumerat Plinius lib. 7. c. 9. Hispanici plerique scriptores prodidere anno Christi 923. Sancium Abarcam, postea Vasconum Regem, trucidato per Arabes Garcia Eneco patre, & vxore eius Vrraca eodem casu & incursu hostili perempta, per vulnus quod mater in vtero acceperat, brachium extulisse. A Sanctio autem Gueuara qui fortè interuenit, ostentati brachij indicio,

deprehésam in matris cadauere vitam puelli:quem inde extractum,& ad iustam ætatem domi suæ summa cura nutritum,post annos demum vndeuiginti, disceptantibus de Regis electione proceribus, legitimum Garciæ Patris successorem esse,cum fidem fecisset idem Gueuara, promptissima omnium voluntate Regem renunciatum, à peronibus quos in priuata vita gestarat, Abarcam (nomen id rusticani calcei in ea ora,) appellatum scripsere. Quanquam Rodericus Toletanus l.5. de rebus Hispan. cap.22. Vrracam viuam, per vulnus Arabica lancea in vtero acceptum, infantem Sanctium emisisse affirmat. Vniuersam autem narrationem mendacij suspectam habet Mariana lib.8. de rebus Hispan. cap. 4. Haud ita multo post, anno scilicet Christi 959. Burchardus Comes, inde *Ingeniti* nomen tulit, quod cæsa matre præmortua, venisset ad lucem. Simili aditu in lucem prodiit anno 1001. Gerardus postea Constantiensis Episcopus, vt scribit Bruschius. Dux Albanus superiore seculo bellica gloria in Belgio & Lusitania clarus,eundem ortum habuit, vt scribit Molina tract.2. de Iust. disp.624. num. 1. Exemisse se è matre mortua infantem viuum, manibus & oculis sursum elatis, (rem profectò admirabilitatis plenissimam,) scribit Paræus l. 24. c. 14. *in fine.* His igitur aliísque huiusmodi exemplis, persuasum hactenus fuerat, matris mortuæ vterum vtiliter secari confestim ab eius obitu, vt proli extractæ bene esset.

Contraria nouitas, reiicitur.

5. Nuper tamen aliqui Medici receptissima persuasione

ſuaſione conuulſa, aſſeruerunt impoſſibile eſſe infantem præmortua matre, vel ad momentum in eius vtero hærere ſuperſtitem. Ita Rodericus à Caſtro lib. 4. de morbis mulier. c. 3. *in ſcholiis.* Eius argumentum eſt, quod motu & vita puerperæ ceſſante, ceſſet etiam in infante cordis motus qui pendet ex contractione & diſtenſione duarum arteriarum ymbilicalium, qui motus cum primùm in matre ceſſat, è veſtigio etiam ceſſat in infante: ac proinde infans, intercluſa per matris obitum reſpiratione, neceſſariò moritur; quia in vtero non reſpirat per os, nec per illud ante ſectum vmbilicum haurire ſpiritum poteſt, obſtante inuolucro ſecundinarum, & vteri pariete, tótque mucoribus circumfuſis. Quare quotquot feruntur cæſo matris vtero educti, contendit prædictus autor, eos ſuperſtite adhuc matre, tametſi agente animam, & extremos ſpiritus trahente, ex vteri conceptaculo fuiſſe extractos; alioqui enim negat fuiſſe vita incolumi extrahendos. Subſcribit eidem ſententiæ Varandæus lib. 2. de morbis mulierum c. 7. æquè enim affirmat, demortuæ matris ſectionem eſſe fœtus inutilem. Idque ea ratione probat, quod fœtui materno vtero concluſus, non alia quàm materna vita ſubſiſtat: ac proinde neceſſarium prorſus ſit, moriente matre, fœtum quoque extingui, ac ne vel ad breuem morulam qua ſectio materni vteri peragi poſſit, eſſe ſuperſtitem. Fœtum porrò qui viuus eximitur, è matre non niſi in ſpeciem defuncta eximi, confirmat narratio mulieris quæ à peritiſſimo anatomico mortua habita ad ſecundam nouaculæ impactionem ex qua poſtea obiit, deprehẽſa eſt paſſione hyſterica laboraſſe, vt refert Paræus l. 24. c. 54.

6. Hæc noua doctrina, repudianda eſt, aut etiam cum omni auerſatione repellenda. Nam vel ad fœdam matrum adhuc ſpirantium lanienam ſollicitat improuidos, vel ad æternum exitium fœtui creandum, neglecta prompta eius extractione confeſtim à morte matris, quandoquidem contendit, extractionem matre præmortua fore prorſus inutilem. Itaque proles quæ confeſtim à morte matris foras educta, poſſet baptiſmi beneficium conſequi, vnáque æternam ſalutem; miſerè immorietur materno cadaueri, & cum vita corporis, vitæ perpetuæ diſpendium ſubibit; quod ne accidat, omni ſtudio cauendum eſt. Conuellamus igitur hanc nouitatem, primùm directè; deinde ſolutione eorum quæ in contrarium ſunt adducta.

Eſt ſanè voluntaria obfirmatio in concepta gratis ſententia, qua hi autores diffitentur, vllos Cæſones mortuis iam matribus ſuperſtites, fuiſſe eductos. Nam pleraque iura ſuperiùs adducta, & alia quæ inſuper adducit Tiraquellus, l. de primog. q.18. num.1. manifeſtè ſupponunt ſæpè contigiſſe, vt mortuæ parentis fœtus, ſit extractus incolumis: talíque euentu ſuppoſito vt certo ac indubitato, ſtatuunt quid illis ex paterna vel materna hæreditate debeat obtingere. Hiſtorici præterea, & autores omni exceptione maiores, quos ſupra produximus, exempla ſignant eorum qui ex mortuarum matrum vtero ſint educti: nec dicunt matres adhuc palpitaſſe, vel ad vitæ limbum & mortis confinia adductas fuiſſe; ſed diſertè & apertè teſtantur, fuiſſe præmortuas. Nec ſi vnus aliquis aliquando cæcutiuit, & hyſtericam pro defuncta habuit, ſequitur alios vbiuis innumeros, ſimiliter eſſe hallucinatos,

quos

quos iam olim secus sensisse vidimus. Idem confirmare licet aliis recentioribus exemplis idipsum patentissimè ferentibus. Ac præter alia quæ collegit Schenchius l. 4. obseruat. medicarum pag. 664. testatur Cornelius Gemma l. 2. Cyclogn. c. 6. se fœtus sex vitales è mortuis matribus promptè incisis eduxisse. Sua item similia experimenta profert Carolus Stephanus l. 3. de dissect. part. corp. hum. cap. 1. Et vterque explicatissimè tradit, matres perspicuè mortuas fuisse cum adhibita est sectio. Horatius item Augenius l. 5. epist. 2. c. 11. puerum à se è matre haud ambiguè defuncta eductum scribit, cui super sacrum lauacrum Fortunati nomen à felici euentu sit inditum. Exemplum quod mihi ista exaranti, à fideli tametsi domestico teste suggestum est, præterire non placet. Degit hîc Lugduni è Societate nostra Chirurgus, qui priusquàm religiosæ militiæ adscriberetur, manuariæ illius medicinæ opifex annos complures fuerat non illaudatus. Is sanctè mihi confirmauit, Heluetiam fœminam præsidiarij militis vxorem abs se Auenione statim ab eius indubia morte dissectam vtero, & puerum illi viuum, móxque baptismi compotem factum, diuino beneficio extractum esse.

7. Tot támque idoneis testibus qui de certa fœminæ morte pronunciare absque ambiguitate possunt, liquidò & disertè affirmantibus, matres verè mortuas vteri sectionem subiisse, & fœtus eductos esse viuos; quæ ista siue temeritas, siue capitositas, aut exoculatio est, negare verè mortuas fuisse, quibus sic exemptus sit fœtus? Plúsne vnus & alter qui aberant, quàm tot alij oculati testes, rei Medicæ peritia & longo vsu clari, perspexisse

credendi sunt, vt ausint oculos tot cornicum configere, & contendere impositum ipsis esse, nec verè obiisse quas se illi planè mortuas vidisse confirmant? Sapienter Philo initio libri de Iudice, quantum esse debeat in oculato teste momentum, iudicem admonet. Apage igitur inconsultam præfidentiam, hominum tot oculatis testibus omni exceptione maioribus, mentitionem aut barditatem impingentium. Quid quod infantes intra vterum matris aliquanto antè perspicuè defunctæ, subsultare sunt deprehensi, vt rectè in hanc rem argumentatur Daniel Sennertus lib. 4. p. 2. sect. 6. c. 8? Alij verò è matre iam confossa, & trucidata, ac certò exanimi prosiluerunt; siue toti, vt trigemini Polyxus, & Gorgias Epirota; siue ex parte, vt Sanctius Vasconum postea & Nauarræ Rex. Indubitatum igitur videtur, infantes intra matris recens demortuæ cadauer, perstare aliquandiu viuos posse, nec simul cum matre necessariò emori.

Vitæ fœtus principia, non tolli moriente matre, contra nouum figmentum, monstratur.

8. His ita positis, perspicuè sequitur, argumenta quibus aduersarij nituntur, meros paralogismos esse: stante enim propositorum experimentorum veritate, concidere ea argumenta necesse est, vt per se liquet. Respondendum tamen ad ea est singillatim. Rodericus à Castro vrgebat interclusam in fœtu respirationem per matris obitum; & cessantem deficiente vita matris, motum cordis in fœtu, quippe pendentem ex contractione, & distensione duarum arteriarum vmbilicalium, quæ cessant cieri,

mortua

mortua matre. Aut ergo fœtum absque motu cordis & respiratione perstare necesse est; aut si id fieri non potest, (vt sanè est naturaliter impossibile,) concludit Rodericus, emori fœtum vnà cum matre, nec ei vel ad modicam moram esse superstitem.

Hoc argumentum, est telum imbelle sine ictu. Supponit enim aduersarius, cor, & pulmones in fœtu cieri, cum tamen neutrum verè dicatur, vt multis argumentis confirmat Andreas Laurentius l. 8. Anat. cap. 7. q. 26. & 27. Breuitérque perspici potest ex fine vtriusque illius motus. Respiratio enim spectat refrigerationem copiosi caloris: vnde hystericæ mulieres, ob caloris languorem, adeò respiratione non vtuntur, vt plerunque efferantur ante mortem, fallente respirationis defectu. Insecta item, & quæ hyeme in latibulis degunt, sola transpiratione vtuntur, non respiratione, ob caloris parcitatem. Similiter ergo fœtus, ob exiguitatem caloris, sola transpiratione contentus est, nec eget respiratione. Cordis quoque motum, necessarium non habet, siue ad proliciendam in cor spirituum materiam, siue ad spiritus vitales in cordis officina confectos, fumidorum vaporum & recrementorum admistione liberandos, siue ad eosdem dispellendos è corde in aortæ tubos, vt in iam natis contingit. Nihil horum cernitur in fœtu, qui spiritus vitales accipit à matre per vmbilicales arterias. Quamuis autem hæc erga fœtum beneficentia materna, cesset per matris obitum, tamen non est operosum agnoscere, posse vitam fœtui ad aliquod tempus perstare, vi subsidiorum per matrem adhuc viuentem collatorum. Neque enim tanta tam subitò fit exinanitio

 spirituum

ſpirituum iam in fœtum tranſmiſſorum, vt non poſſit fœtus ad aliquam moram, ſine appulſu nouorum ſpirituum, continuare vitam, & morte prohiberi.

Fœtus in vtero, alia quàm matris vita, ſubſiſtit.

9. Argumentum alterum, quo ſollicitatam aiebam receptiſſimam perſuaſionem de vtili matris mortuæ ſectione, vt fœtus extrahatur, erat Varandæi: qui inde probabat fœtum ne ad morulam quidem quantulamcunque poſſe eſſe matri ſuperſtitem, quod fœtus in materno vtero, non alia quàm materna vita, ſubſiſtat.

Verùm hæc probatio aut laborat aperta petitione principij, aut ſordet errore pridem antiquato. Dupliciter enim accipi poteſt quod in ea dicitur, fœtum in vtero non alia quàm materna vita ſubſiſtere. Nimirum primò, ita vt ſenſus ſit, fœtum illico emori moriente matre. Id enim populariter, & neglecto vocum rigore, exprimi poſſe videtur eo loquendi modo, *fœtus non alia in vtero quàm matris vita ſubſiſtit.* Et hoc pacto ſumpta aduerſarij probatio, continet manifeſtam principij petitionem: Aſſumit enim tanquam rationem, idipſum de quo quæritur. Nam cum in controuerſia ſit, an fœtus matri demortuæ poſſit intra vterum ſuperſtes eſſe, vtiléque eſſe queat, matrem mortuam ſecare, vt fœtus intra eam abditus non moriatur: pars negans, per probationem propoſitam in hoc primo ſenſu acceptam, inde ſtabilitur, quod fœtus non poſſit matri eſſe ſuperſtes, ſed matre moriẽte, illico moriatur

moriatur ipse quoque: quod est probare idem per idem,& ridiculè principium petere.

Secundò sensus probationis aduersarij esse potest, idcirco emori fœtum moriente matre,quia eademmet est vita matris, & fœtus intra eam conclusi. Nam si eadem numero est vtriusque vita,non debet mirum videri quod simul morte defungantur. Hoc si voluit aduersarius, vt cortex verborum præ se fert, incidit in errorem illum quorundam Philosophorum,qui animam à materna distinctam fœtui induci dixerunt,post partum duntaxat,vt refert Lactantius l. de opif. Dei c. 17. & fusè Tertullianus l. de anima c.25. & 26. qui id tribuit Platoni: tametsi Marsil. Ficinus l.18. Theol. Platon.c.3. & Carpentarius in c. 17. Alcinoi digress. 9. post Plotinum l.1. de dubiis animæ c. 19.& 33. ita Platonem acceperint, vt non de fœtus animatione,sed de respiratione egerit.Tribuit quoque Tertullianus placitum propositum Hicesio Medico, qui laudatur ab Athenæo sub libri septimi initium, & *non parua autoritatis medicus*, vocatur à Plinio l.27.c.4. eundem alibi persæpè allegante. Denique Ænesidemo ac Stoicis idipsum tribuit Tertullianus, post Plutarchum l.5.de placitis,cap.15.

10. Est autem placitum, non modò apertè erroneum, quippe è diametro pugnans cum Scripturis quas Tertullianus c. illo 26. appendit,& cum capacitate æterni exitij infantium intra vterum absque baptismo obeuntium, quam Ecclesia semper agnouit: sed etiam perspicuè delirum, & ipsomet sensu reuictum falsitatis, iudicio præsertim prægnantium ad quas prouocat Tertullianus illo capite 25. quo sic vrget aduersarios. *Puduit opinor illos, hoc*

statuere

ſtatuere quod fœminæ agnoſcerent. At quanto roboratior exitus, à fœminis reuinci, quàm probari? In iſta namque ſpecie nemo tam idoneus magiſter, arbiter, teſtis, quàm ſexus ipſius. Reſpondete matres vóſque prægnantes, vóſque puerperæ; ſteriles & maſculi, taceant: Veſtra naturæ veritas quæritur, veſtra paſſionis fides conuenitur. An aliquam ſentiatis in fœtu viuacitatem alienam de veſtro: de quo palpitent ilia, micent latera, tota ventris ambitio pulſetur, vbique ponderis regio mutetur? An hi motus, gaudia veſtra ſint, & certa ſecuritas, quod ita infantem & viuere confidatis & ludere? an ſi deſierit inquies eius, illi priùs pertimeſcatis, an & audiat iam in vobis cum ad nouum ſonum excutitur. Addere poterat, & clamores puerorum in matrum vtero quandoque exauditos, vt peculiari lucubratione proſecutus eſt Andreas Libauius. Eſtque eius rei inſigne exemplum in vita S. Geraldi Comitis Auriliacenſis, quem S. Odo vitæ illius ſcriptor, lib. 1. cap. 3. teſtatur ter in vtero matris clamaſſe. Addit poſt nonnulla Tertullianus. *Si alimonia, inedia, crementa, decrementa, pauor, motus, tractatio eſt animæ; his qui fungitur, viuit: denique deſinit viuere, qui deſinit fungi. Denique & mortui eduntur, quomodo niſi & viui? qui autem & mortui, niſi qui priùs viui? Atqui & in ipſo adhuc vtero, infans trucidatur neceſſaria crudelitate, cum in exitu obliquatus denegat partum, matricida ni moriturus.* Tandémque inferiùs. *Poſſumus illos quoque recogitare qui execto matris vtero viui aërem hauſerunt, Liberi aliqui & Scipiones.*

Pertinent quoque ad hunc locum, omnia argumenta quibus Gregorius Nyſſ. l. de hom. procreat. à

cap. 29.

cap. 29. & l. de anima & resurr. fusè confirmat, animam esse corpori ritè disposito coæuam, nec post illud creari. Quæ adducere supersedeo, quod iam fastidiam hanc qualemcunque insulsissimi placiti depulsionem, ad quam me adegit iustus timor, ne verba Scriptoris à Catholica fide alieni; cui pro more Sectariorum & cauteriatæ conscientiæ Medicorum, (bonos & Medici nomine dignos semper excipio,) quidlibet sentire liberum est, idipsum reuera ex autoris mente contineant quod sonant & extimo cortice præferunt: nimirum eandem esse fœtus vtero abditi, & matris aluo gerentis vitam.

Concluditur vtilitas sectionis matris demortuæ; suggestis ad eam cautionibus.

11. Quare ratum & fixum esto, infantes matris vtero adhuc conclusos, non emori necessariò vna cum matre: atque adeò verissimè censuisse antiquos omnes, cum sectionem matris demortuæ faciendam præscripserunt, vt fœtus retineatur incolumis, & ad baptismi initiationem perueniat. Est autem hac in re opus celeritate, quia periculum est in morá, tum ob congeminatum carceris illius pædorem, tum ob defectum alimenti, & indigentiam refrigerationis ab externo aëre attracto, ac etiam fomentorum quibus corpusculum tenerrimum, siue suo vitio & morbositate, siue matris ægritudine, aut etiam colluctatione & nisu inter tentandam eruptionem, malè affectum, refici & summoueri ab extremo vitæ periculo queat. Prædictas enim ob causas, infantem intra vterum, vix vltra horam defunctæ matri esse superstitem, de Medicorum

corum valdè peritorum ſententia, affirmat Poſſeuinus l. de Officio Curati, cap. 6. num. 9. Imo addit, obſtetrices octogenarias muneris illius valdè peritas, liquidò confirmaſſe, infantem poſt matrem mortuam, non niſi ad modicum tempus abditum vtero viuere. Nec iuuari poſſe immiſſo ori matris epiſtomio, quaſi ſic ſubiturus ſit aër ad fœtum, notat Paræus l. 24. c. 38. etiamſi contrarium affirmet Lud. Mercatus l. 4. de mul. affect. c. 3. *in fine.* Quare optimum conſilium eſt, cum mater eniti non valet, nec ea diſpoſitione eſt vt poſſit viuenti adhiberi ſectio, habere paratum chirurgum, qui confeſtim ac mater obiiſſe deprehenſa fuerit, ſi de infantis morte ante non conſtet, matrem aperiat, & fœtum extrahat, lauacto baptiſmi illico intingendum.

12. Sectionis porrò matri in eo euentu adhibendæ, & quidem abſque mora, grauis neceſſitas iniicitur idoneo adminiſtro; ita vt ſi operam ſuam vel neget, vel abſque conuenienti cauſa differat, peccet mortaliter: quia abiicit proximum in extrema ſua neceſſitate ſpirituali, cui ſubuenire ne æterna beatitudine ob baptiſmi defectum excidat, grauiter tenebatur. Alij item quorum intereſt, vt pater, propinqui, ac ſimiles, vel in eorum defectum publicæ rei ſpiritualis aut temporariæ curatores, graui obligatione obſtringuntur, ad hoc beneficium cuius fructus per totam æternitatem fundetur, promptè infanti curandum, per matris diſſectionem, cum primùm de eius morte conſtiterit. Indicia verò obitus matris, facilè deprehendent Medici, aliive periti ægrorum adminiſtri, aut etiam obſtetrices exercitatæ; quibus frequens eſt, ad indubiæ mortis explorationem, ſpiculum lumen ori
iacentis

iacentis admouere, & obseruare num flamma deiiciatur. Vel bombycis aut lanæ carptæ tantillum, ibidem locare, attentéque inspicere num leuissima illa materia, succutiunculam aliquam subeat ab ægri corporis halitu. Nam si flamma nullo modo deiicitur, aut pauxillum illud villosæ materiæ perstat prorsus immotum, arguméto est excessisse matrem. Quod alij æquè certò explorare se dicunt, si cyathus aqua plenus ad suprema vsque labra, super os ventris ponatur, & aqua planè immota permaneat. An verò secanda sit mater, si dubitetur an verè sit mortua, nec possit moralis saltem certitudo haberi de eius obitu, pendet ex infra dicendis de sectione matris moribundæ, vbi patebit in tali dúbio abstinendum esse matris sectione.

CAPVT III.

De sectione matris superstitis, infante item superstite, variantes sententiæ.

1. E Triplici sectióne Cæsarea, ad primi capitis calcem proposita, expediuimus primam, quæ erat matris demortuæ, ad extrahendum fœtum in ea superstitem. Nunc pergo ad sectionem matris viuentis, fœtu item intra eam adhuc viuente, sed desperata naturali eius emissione. Quanquam autem primæ sectioni, subiicienda congruè videbatur sectio matris viuentis, mortuo intra eam infante, tamen

 consultò

consultò differo discussionem huius sectionis; quia nullo negotio expedietur post tractatam eam sectionem quam proposui. Et quia circa hanc maximè sectionem matris viuentis, quæ viuo item fœtu grauatur, feruet contentio dissidentium sententiarum, placet ab ea contentione auspicari: referendo quid in hoc puncto variis & Medicis & Theologis sit visum, & singulorum fundamenta perstringendo. Quibus auditis, quid de hac re vniuersa sit statuendum, ex propria sententia trademus.

Secari non posse matrem viuam, doctrina olim communissima.

2. Theologi qui hoc punctum attigerunt, in ea omnes videntur fuisse sententia, vt matrem viuam aperire, aliud non sit quàm eam trucidare: Ideóque, cum iuxta pronunciatum Apostoli Rom 3. non sint facienda mala, vt eueniant bona, inferunt, tametsi infans esset intra matris non discissæ vterum periturus absque baptismo, non esse tamen aperiendam matrem viuam: quia quod infans absque baptismo in euentu illo pereat, nulla nostra culpa continget: Matris autem viuæ discissio, nequit ab immani homicidio excusari, ideóque nullo modo facienda est. Ita S.Thomas in 4. d. 6. q. 1. artic. 1. quæst. 1. ad 4. & 3. p. q. 68. art. 11. Alensis 4. p. q. 8. memb. 7. art. 1. §.4. Paludanus in 4. d.6. q. 1. art.1. Gabr. dist. 4. q.2. art.3. dub.2. Maior eadem dist. q.2.§. *contra has.* Soto dist.5. q.vnica, art. XI. versic. *tertiò arguitur.* Viguerius in Theol. instit. cap. 16. §.1. v. 8. Angles in 4. q. de recipientibus baptismum art.3. conclus.4. Ægid. 3.p. q.66. art.7. dub.1.

dub. 1. num. 75. Malderus de Iust. tract. 3. cap. 1. dub. 16. Chapeauille de casibus in peste c. 2. q. 10. *sub finem*. Idem passim tradunt Summistæ. S. Antoninus 3. p. summæ tit. 14. c. 13. §. 1. Astesanus in summa 1. p. l.4. tit.6. art.2. q.6. Angelus V. *baptismus* 6.num.2.Tabienna V. *baptismus* 5.num.5.Syluester *baptismus* 4. num.2. Rosella eod.num.1. Armilla V. *baptismus* num. 38. Victoria de Sacram. q.33. Lopes 1. p.instruct.c. 63. § *sed in casu*. Graffis parte 2. decis. l. 1. c.4. num. 20. Villalobos t. 2. tract. 12. diffic. 13. *in fine*. Henriq. l. de baptism. cap.21. num. 5. Rodericus in summa 1. p. cap. 5. num.3. Diana 2.p. tract.1. miscell. resol.44. Bonac. disp.2. de Sacram. q. 2. p. 6. num.9. Fernandus de Moure p.4. c.12. §. 2. n.4. Omnium acerrimè Comitolus l. 1. respons. q.14. & lib.4. q.13. Ex Iuris Canonici peritis idem constanter tradunt Nauarr. Consil. 1. de homicid. Franc.Marcus p.2.decis.951. num. 15. Alphonsus Carranza in opere de partu natur. & legit. c.6. sect.2. *in fine*.

3. Minus mirum esset, Theologos & Iuris Canonici peritos, consentire in hanc sententiam, nisi etiam Medicorum doctissimorum, lanienam aliis quibusdam Medicis probatam auersantium, suffragium accederet. Certè Alexander Massaria lib. 4. rei Medicæ cap.12. *in fine*, testatur se per annos 40. non plus quàm ter vidisse secari viuas mulieres in naturalis partus desperatione, & omnes periisse. Itaque ea sectio fuit matrum occisio, quæ intrinsecè mala est,& scelus horrendum.Ioachimus Fortius referente Mizaldo centur. 1. memorab. aphorism.100. indubitatum habet, perimi matrem cum ei secatur vterus:& fabulis annumerat narrationes

 contrarium

contrarium ferentes. Idem tradit Ambrosius Paræus l. de hom. generat. cap. 38. aliàs 31. negans mirari se satis posse, eos qui matrem posse sectioni esse superstitem, atque adeò per eam non interimi existimabant, cum ingens magnitudo vulneris ad fœtum extrahendum inferendi substantiæ vteri & musculis epigastrij, ingentem hæmorrhagiam planéque lethalem necessariò sit inuectura, tot vndique vasis multo sanguine distentis vtero implantatis. Qui verò etiam iteratò, superstitem matrem secari potuisse retulerant, eos Paræus incredibiliora commentos non dubitat: quandoquidē consolidato vteri vulnere, haudquaquam permissura sit obducta cicatrix, vterum denuò dilatari ad nouæ prolis gestationem. Eandem ob causam Ludouicus Guionus l. 5. de pulchritud. & sanit. corpor. c. 25. mentitionem impingit Scriptoribus qui abs se visas superstites Cæsareæ sectioni mulieres ac post eam quoque, matres, prodiderunt. Videtur idem velle Varandæus lib. 2. de morbis mulierum cap. 7. Quæ attigisse placuit, quod quamuis ad cardinem præsentis controuersiæ non spectent; (aliud quippe est, non posse mulierem dissectam iteratò concipere, aut in perpetuum naturali partu prohiberi, aliud perire per sectionem, de quo est lis;) Tamen ex hoc grauissimorum Neotericorum iudicio, de narrationibus per quas ab aduersariis honestas sectionis Cæsareæ, maximè stabilitur, eneruatur planè robur contrariæ factionis. Et qua ratione euertitur fides narrationum, quibus fabulini quidam visas sibi mulieres prodiderunt, quæ post sectionem fœtum conceperint, & naturaliter fuderint; eadem quatiuntur & concidunt tot narrationes, (an commenta;)

menta ;) de cæsis vtero, vita superstite, mulieribus; quod tamen est primarium partis aduersariæ firmamentum.

4. Non modò igitur Doctores sacri, sed etiam inter Medicos plerique, sectionem matri viuenti adhibitam improbant, agnoscentes eam esse veram cædem matris: & qui mitiùs agunt, hócque probrum declinari vtcunque posse annuunt, tamen à præcluso in æternum conceptu, sectionem matris viuentis, constanter infamant. Sunt tamen ex sacris Doctoribus, qui omnia incommoda proposita, locum duntaxat habere censeant, quoad matrem non criminosam. Nam eam quæ mortem commeritа esset, quia iure cædi potest, fatentur posse aperiri ante partus naturalis periodum, si periculum sit in mora ; & prospiciatur saluti corporeæ infantis: quod fieri posse non ambigunt, si peritus sector adhibeatur, & fœtus sit maturus, ita vt saltem sit septimestris. Ita Suarez t.3. 3.p. q.68. ad articulum 11. Ægidius ibidem num.92. Præpositus 3.p. q.66. num.93. Diana 2.p. tract.1. miscell. resol.44. Filliucius tract.2. num. 139. At alij, ne in hoc quidem euentu quo mater noxia sit & capitale supplicium commerita, admittunt posse viuam secari, idque S.Antoninus 3.p. tit.14. c.13.§.1. & Tabienna V. *Baptismus* 5. num.6. ac Henriques l. de bapt. cap.21.num.5.ad eum quoque euentum extendunt, quo timeretur ne fœtus vtero matris immoriatur ante partum: nam ne tunc quidem sinunt illum extrahi per viuæ matris sectionem,quod non dubitent hanc esse fœtus trucidationem ; vt clariùs expressit Lopes 1.p. instruct.cap.63.§.*sed in casu.* ac Maldetus 2.2. tract.3. c.1, dub.16.

5. Et hoc est alterum caput, penes quod nonnulli ex Doctoribus adductis, damnant sectionem Cæsaream matris viuentis. Quæcunque enim hactenus prolata sunt, matrem dumtaxat spectarunt. At iuxta nonnullos ex Doctoribus supra adductis, vrgenda est contra sectionem Cæsaream, etiam cædes prolis, quam certum habent maternæ per hanc sectionem trucidationi adiungi. Neque patiuntur obtendi æternum exitium proli certò impendens, nisi sic extrahatur, quippe baptismo carituræ; cum de multorum sententia, baptismus quia est renatorum, non possit nisi natis conferri. Hoc enim damnant falsitatis, censéntque validè omnino baptizari posse infantem in maternis visceribus prorsus abditum, si ad illum vel ad secundinam qua obuoluitur pertingat aqua, per manum madidam obstetricis, aut aliter. Et quamuis hæc via iuuandi infantem præcluderetur, non censent esse prorsus conclamatam Gersonis, & Caietani sententiam, quæ asserit fœtum in tanta necessitate mundari posse à labe parentali, & sanctificantem gratiam adipisci, per fidem parentum; hoc est, per externam protestationem & oblationem à parentibus factam: quod erat remedium puerorum in lege naturæ, itémque puerorum Hebræorum, si ante vitæ octiduum expletum, mortis discrimen ingrueret. Quod si ne hac quidem ratione, æterna puerorum salus videatur in tuto locari, veréque fatendum sit, infantem ni adhibeatur matris viuentis dissectio, versari in extrema necessitate & corporea & spirituali, permittendum potiùs arbitrantur, eius & vitæ corporeæ & spiritualis exitium, quàm peccandum, matrem simul & infantem cædendo.

Contraria sententia, nunc apud Medicos receptissima.

6. In contraria planè sententia sunt recentiorum Medicorum plerique. Dissectionem quippe vteri matris viuentis in partus naturalis desperatione,non modò honestam & licitam, cum ex parte matris, tum ex parte fœtus, sed etiam necessariam & ex obligatione adhibendam contendunt. Et quamuis inter eos multi de hac obligatione sileant, tamen non potest ea obligatio non consequi honestatem sectionis Cæsareæ, adhibitæ matri viuenti; quam honestatem vtilitas sectionis ab his Medicis acerrimè & constantissimè defensa, apertè infert. Quomodo enim non iniiceretur obligatio vsurpandi hoc remedium in desperatione partus naturalis, si per illud vita & matri & fœtui retinenda est, & fœtui quoque æterna salus per baptismum curanda; neglecto autem illo remedio, & mater & fœtus vita corporis priuabuntur, fœtúsque insuper non recipiet vitam animæ, & æterno exitio inuoluetur? Itaque clauus clauo truditur in hoc negotio. Peccatum inquam, cuius intentato timore Theologi à sectione matris viuentis absterrebant, prætermissione sectionis incurrendum opponitur: indéque stimuli admouentur ad vsurpandam sectionem.

Hæc omnia voluuntur iis quos dixi cardinibus, vtilitatis & honestatis sectionis Cæsareæ matris viuentis,pro qua omnium plenissimè pugnat Franciscus Roussetus toto opusculo de partu Cæsareo. Subscripsítque Gaspar Bahuinus appendice ad librum Rousseti, referens in eandem sententiam

Ioannem Albosium, & Franciscum Saguyerium, doctos eiusdem temporis Medicos. Idem tradunt Mauritius Cordæus comment. 1. ad 1. lib. Hippocratis de morbis mulieb. text. 11. Iacobus Duuallius l. de Hermaphrod. & partubus cap. 24. Laurentius lib.8. Anatom. q.32. Veichardus l. de morbis mulier. c.19. Ioannes Marinellus l.3. de morbis mul. c.50. Ioannes Scherichius in opere Obseruationum Medicarum l. 4. fol. mihi 665. & seqq. Rodericus à Castro l. 4. de morb. mulier. cap. 3. Mizaldus Centur.1.memorabil.aphoris.100.Franc. Ranchinus l. 7. qq. Chirurgic. q.14. Daniel Sennertus l.4. Medic. practicæ p.2. s.6. c.8. casu 3.

7. Itaque hæc sententia,communissima nunc est inter Medicos, quamuis dissidium inter hos ipsos quos protuli, nonnullum sit quoad aliquà adiuncta sectionis eámque consequentia: nempe posítne mulier sic dissecta, denuo concipere, & parere modo naturali. Id enim & fieri posse,& sæpè accidisse, affirmat Roussetus,nominatim tota sect.6. & Duuallius c. illo 24. At hoc esse impossibile, censent aliqui, & nominatim quoad partum naturalem sectione posteriorem, Rodericus à Castro dicto c.3. *in scholiis*. Argumentum eius est, quia tametsi vterus post vulnus consolidatum, possit concipere, tamen in partu post ingentem cicatricem dilatari satis non poterit, nisi vulnus recrudescat,& cicatrix denuo hiscat: qua ratione vis vteri expultrix dispergetur, & infirmior fiet quàm vt possit prolem naturaliter excludere. Verùm hæc nihil officiunt cardinibus huius controuersiæ. Nam quamuis sectio matris viuentis, conceptum deinceps excluderet,ac etiam partum naturalem, tamen dummodò

dummodò in desperatione partus naturalis & vitæ matris & infantis commodet, vsurpanda erit, alioqui intercedet mors, & fœtus & matris, per quam æquè impedietur iteratus conceptus & partus, ac per sectionem Cæsaream. Longè igitur eligibilior est sectio Cæsarea, quæ ita illa qualiacunque incommoda inuehet, vt tamen incolumitatem conferat. Itaque satis in præsentia est, quod ad matris & fœtus vitam retinendam, sectio Cæsarea commodare posse concedatur, de quo solo præsertim contendunt autores vtrinque hactenus propositi, maiore recentiorum Medicorum parte in hanc sententiam consentiente, quod ad finem prædictum, vtilis atque adeò licita sit hæc viuentis matris dissectio, quidquid sit de illis aliis adiunctis.

Potiora eius firmamenta, obiter tacta.

8. Nituntur hi DD. multiplici experimento quod postea attingemus cap. 5. addúntque etiam rationem ex eo petitam, quod contingere possit vt materni vteri porta iusto angustior sit, nec possit per eam educi infans, præsertim si nimium crassus sit, siue à naturali conformatione ob vbertatem materiæ, siue à tumore vitioso. Esse autem aliquando, etiam ex natiua dispositione, & seclusa nimia infantis obesitate, tantam phymosim atque occlusionem naturalis ostij quo fœtui ad lucem veniendum esset, vt non possit per illud emitti, notauit Moschio & Theodorus Priscianus in excerptis p.2. cap. 15. quod est de atretis, & Auicenna 21. tertij, tract.4. cap.1. Et frequentissimè idem contingit ob deprauatam ossium ischij ac pubis cōformationem,

vel luxatum os femoris versus internam partem,& comprimens vterum, qua parte exeundum fœtui esset, vt accidit in exemplo quod recitat Moxius l.3. de venæ sect. in morb. acut. c. 3. Idem contingere potest ob affectus illos accidentarios de quibus plenè Matt. Akakia toto l.1. de morb. mul. vt ob callum, cicatricem, lupiam, scirrhum, calculum, molam carneam, similésve tumores, aliquando etiam ob gangrænam, & cancrum, quæ ea in parte quandoque contingere ibidem Moschio c.33. & experientia docuit. Quomodocunque autem contingat, vt fœtus educi nequeat viuus per naturalem viam & communem portam, non superest alia ratio consulendi vitæ eius, quam si adhibeatur sectio Cæsarea. Nam si diutiùs hæreat intrà matris viscera, suffocabitur à nimio æstu cordis supra modum concalefacti,quem mater temperare nequibit: Deficiet etiam præ inopia alimenti, quod necessarium illi est in maiore copia, quàm priùs: à squalore denique & pædore carceris quo distinetur, incurret breui in mortem certam & ineuitabilem; & quod longè tetrius est, cum morte corporis subibit æternam mortem animæ, quippe exsors baptismi, qui non aperto matris vtero conferri non potest. Quomodo enim in eas latebras immittetur aqua, fiétque infantis ablutio, interiacentibus tot inuolucris? Aut quomodò renascetur denuò,qui non est natus primò, & intra matris viscera abditus nōdum lucem conspexit? Hinc demonstrari videtur,attendendo summam veréque extremam necessitatem fœtus,tam spirituale quàm corpoream, fas esse matris viuentis vtero adhibere sectionem ad educendum fœtum in desperatione partus naturalis.

Nec

Nec minus ad idem valida ratio eruitur, attendendo necessitatem matris, cui nisi sectio in eo euentu adhibeatur, vel moriendum erit, vel subeunda obtritio fœtus intra vterum, planè horrenda, & crudelitatis ac sceleris plena: aut si hæc declinentur, ineuitabilis tamen erit extractio fœtus facta frustillatim, quæ non minùs matri atrox, & plena grauissimorum discriminum, summorum item cruciatuum ferax haberi debet, quàm sectio Cæsarea, à qua nequaquam mors matris timenda est, si adsit peritus artifex, & seponantur extrinseca incommoda accidentaria, quæ etiam absque sectione, matrem perderent. Affundetur his omnibus lux plenior inferiùs. Nunc enim fundamenta huius sententiæ perstringimus duntaxat, & per summum veluti verticem crispamus, quæ honestati sectionis Cæsareæ matris viuentis suffragantur, de sententia magnæ partis recentiorum Medicorum.

Media quadam sententia, refertur.

9. Audiuit ista non nemo, & consideratis inde, quæ Theologi & Doctores Medici anteriores vno propè ore tradiderant, tantopere auersati hanc sectionem; hinc, quæ nuper Medici experimentis quàm plurimis adiuti docuerunt: quoddam vt putauit sententiæ temperamentum adamauit; dicens, Medicis quidem qui nunc tam atrox & periculosæ plenum aleæ remedium vsurpant, posse alicui solatio & remissioni remorsus esse experientiam anteriorem, indéque conceptam spem similis euentus boni. Tamen eum qui primus id opus vix ante seculum aggressus est, immaniter peccasse, etiamsi desperata

desperata videretur, corporea matris, & vtraque prolis salus. Detestanda quippe est audacia proiecta Medicorum illorum, qui in ægrotis, etiamsi desperatis, experimentum sumunt remedij cuius hactenus ignota vis fuerit, tentantes sítne ægro profuturum aut nociturum, vt rectè tradunt Corduba l.3. quæstionarij q.5. §. *secundò probatur.* Azor.t.1. l.2. c.17. q.11. Vasques 1.2. disp.64. c. 4. Sayrus in Claui l.1. c.10. num.6. Castro Palaü tract. de conscientia disp. 2. p.9. num.3. & alios adducens Sanches l. 1. in decal. c.9. n. 38. Et ratio est perspicua; quia Medicus ad eum modum se gerens, quantum est ex se influit in mortem, vel mortis accelerationem; quam ex nullo hactenus experimento compertum fuit, minimè consecuturam ex tali actu. Grauissimi igitur peccati insimulari meritò potuit, quisquis fragili trucem commisit pelago ratem primus, cum tanto gemini naufragij alieni, & exitij duorum corporum discrimine, cuius aditionem temerariam, fortuitus euentus bonus non honestauit. Esto, nunc prætextu spei ex iactatis bonis euentibus conceptæ, tolerabilius vel etiam labis expers videri possit, in euentu de quo agimus, secare viuam prægnantem. Ita visum condimentario, quem dixi pugnantium sententiarum ante adductarum temperationem quandam adamasse, auditis quæ vtrinque proferebantur.

CAPVT

CAPVT IV.

Præsuppositio ad diiudicationem controuersiæ propositæ; Sectionem matris viuentis quacunque tandem ex causa fiat, extremum remedium esse oportere.

1. DISCVSSIO sententiarum superiori capite propositarum, complurium & sanè grauium difficultatum enodationem continebit, ad quam vnius certi principij per omnes resolutiones subiiciendas vagantis, & ab omnibus necessariò admittendi, explicatione proludendum est: Inde ad extremarum sententiarum quas compendio hactenus retulimus, veritatem disquirendam progrediemur, quod in singulis verisimilius occurret seligentes, & pro extremis sectantes media, quod iuxta Nouatiani pronunciatum l. de Trinit. c. 30. non secùs veritas inter extremos errores media stet, quàm Christus æterna veritas, inter extremos latrones pependit medius.

Supponitur, sectionem matris viuentis extremum remedium esse oportere.

2. Principium quod iaciendum aiebam, est huiusmodi. Extra ineluctabilem, planéque summam & extremam necessitatem; sectionis Cæsareæ matri viuenti

viuenti adhibendæ,nullum esse vsum debere. Non intendo hîc definire, penes quam personam attendenda sit extrema illa necessitas; nimirum an penes matrem, cui alioqui mors immineat, nisi fœtu superstite ad eum modum liberetur, ob angustias & malam dispositionem viæ ordinariæ, aliámve similem causam: An penes prolem cui vtriusque vitæ dispendium impendet, per necessariam crudelitatem, vt loquitur Tertullianus l. de anima cap.25. hoc est per obtritionem intra vterum, aut lacerationem, eductionémque ex eo per frusta: Aut certè penes vtrumque simul, cum aliquando, aut etiam semper contingat, vt nexa sint & matris & prolis summa pericula, nisi extrinseco isto remedio subueniatur vtrique: An denique penes publicum bonum, quod aliquando ferat vt mater fœtu maturo grauata, priusquàm naturaliter enitatur, & plenum naturaliter pariendi tempus aduenerit, viua secetur. Penes quod inquam horum capitum definienda sit extrema necessitas,nunc non decido.Nec illud item pronuncio, posito vno aliquo extremæ huiusmodi necessitatis articulo, aut simul concurrentibus eorum pluribus, vel etiam omnibus, fas esse adhibere matri viuenti sectionem Cæsaream. Id enim pedetentim postea discutiendum erit. Tantum itaque dico, nisi interueniat talis aliqua extrema necessitas, sectionis Cæsareæ matris viuentis, vsum esse nullum debere. Qua de re nullam puto esse posse dubitationem; videtúrque certum,non modò Theologos, sed ne Medicos quidem vllos refragaturos: etiam illos qui in aliquo euentu vsum sectionis Cæsareæ matris viuentis ratum habent, & labis expertem. Neque enim in alium finem approbant sectionem

sectionem prædictam, quàm vt corporeæ vitæ matris aut vtrique fœtus saluti, vel bono publico consulatur: quos omnes fines supponunt aliter obtineri non posse, quàm interuentu sectionis matri adhibitæ. Est igitur hæc sectio extremum remedium, quod non nisi extremis malis est admouendum. Et ita Medicos contestatur Rodericus à Castro lib. 4. de morbis mul. c. 3. *in scholio*, & Ioannes Marinellus lib. 3. eiusdem argumenti cap. 50.

Vsus contrarius, esset tacita Dei accusatio.

3. Nemo sanè non videt, vsum sectionis Cæsareæ extra summam & extremam necessitatem, fore tacitam Dei accusationem, & humanæ fabricæ criminationẽ. Deus enim humani corporis opifex, ita generis nostri conseruationi & propagationi per sexuum diuersitatem consultum voluit, vt fœtus intra matris vterum conceptus, ibique ad tempus vsque congruum aptè ad crementum necessarium conseruatus, tali via & modo naturali, ex illo occulto & terræ inferioribus educeretur. Omnino siquidem oportuit, prospici à naturæ autore medium quo fœtus ex materni vteri conceptaculo prodire in lucem naturaliter posset; alioqui natura defecisset in necessariis, præstitissétque deesse concipiendi vim & rationem, quàm meatum naturalem ad exitum: quo negato, pereundum miserè esset fœtui concepto, è suis illis latebris obstetricante natura nunquam educendo. Quare Deus naturæ autor qui naturam non vult in necessariis deficere, medium naturale fœtui prouidit, quo venire ad lucem posset: ita vt quamuis aliquando præcludatur medij

medij illius vſus ob materiæ indiſpoſitionem, (qua ratione pleriſque omnibus naturalibus partium quarumcunque functionibus & vſibus à ſimili materiæ malè affectæ indiſpoſitione obex iniicitur;) tamen id ſit per accidens. At per ſe loquendo, ſuppetit naturale medium ab opifice naturæ Deo prouiſum, quo fœtus conceptus & debitam maturitatem aſſecutus ad lucis vſuram deducatur; quod abiicere, quamdiu nihil per accidens interuenit ad abiiciendum compellens & planè cogens, tacita eſſet Dei naturæ autoris accuſatio, tanquam ortui animalis pretioſiſſimi vel proſpicere neglexerit, vel non valuerit; quod vel cogitare blaſphemum ſit, nec minori ſuppliciorum atrocitati obnoxium, quàm ſacrilega licentia Alphonſi 10. Caſtellæ Regis, cuius ſunt Alphonſinæ tabulæ. Eum enim Rodericus Sanctius p. 4. hiſtor. Hiſpan. c. 5. ob improbatum diuinum opificium, quod diceret ordinatiùs meliúſque edi emendatis aliquibus potuiſſe, in grauem numinis iram incurriſſe, & licet tandem reſipiſcentem, ſeuerè à Deo vltore fuiſſe caſtigatum, ſcriptis prodidit.

4. Cum autem diuina manus in vniuerſi corporis humani ſtructura verè ſit mirabilis, quod in ſcalis à viſibili creatura ad Deum gradu 11. memini expendere, in opificio tamen partium quibus immortalitati generis noſtri ſeruitur, & fœtus vitam ac lucem accipit, eo pleniùs effuſa eſt diuinæ ſapientiæ vbertas, quo ſunt partes illæ excellentiores, & fini addictæ ſublimiori: quæ eſt præclara in hanc rem Gregorij Nyſſeni conſideratio in orat. magna catechet. cap. 28. demonſtrantis excellentiam illarum partium quæ ſunt ortus noſtri principia, longè ampliorem

ampliorem esse quàm oculorum, aurium, & linguæ alteriúsve cuiusuis corporei organi in quo maximè micare videatur summi Opificis industria & sapientia. Qua in re, nihil supra verum statui à Nysseno, agnoscet quisquis Theophili Protospatarij de hominis fabrica librum 5. & Meletium sub finem operis de structura hominis, legerit. Inde & eximiam, omníque laude superiorem Dei artem in compactione partium ortui nostro addictarum deprehendet apertissimè, & qui Lactantij l. de opif. Dei c. 13. post hæc perpensa sensus fuit, non poterit non *queri, homines impios ac profanos, summum nefas admittere, qui diuinum & admirabile Dei opus ad propagandam successionem inexcogitabili ratione prouisum & effectum, vel ad turpissimos quæstus, vel ad obscœna libidinis pudenda opera conuertunt, vt iam nihil aliud ex re sanctissima petant, quàm inanem & sterilem voluptatem.* Nec nostri duntaxat, structuram partium per quas ortus noster peragitur, inemendabilem & omni præconio cumulandam dixerunt, nominatim cum disputant aduersus spurcos Manichæos, quibus incredibilis visa est Dei corporati commoratio in virginis vtero, & deductio ad hanc lucem per communem viam: vt S. Cyrillus Hierosol. catech. 12. Tertullianus l. de carne Christi c. 4. Theodotus Ancyranus homilia illa in Natal. Saluat. quæ habetur in append. 5. ad tom. 6. Conc. Ephes. edit. Peltani, & S. August. orat. de 5. hæres. c. 5. sed etiam Ethnici; intérque eos Galenus, ad tantum artificium autoris naturæ stupuerunt. Nec dubitauit hic ipse Medicorum antesignanus, miraculum non vnum in huiusmodi opificio agnoscere ac celebrare; eam præsertim ob causam, quod

D vterus

vterus qui post exceptam conformandæ prolis materiam tantopere occluditur, vt eius orificium ne aciem quidem acus præ constrictione admitteret; (dempto raro aliquo euentu ob peculiares causas vnde existit superfœtatio, de quibus alibi post Hippocratem libro de ea) tamen cum fœtus maturuit, & in lucem fundendus est, idemmet vteri osculum adeò dehiscat, vt fœtui per illud exitus pateat. Hoc Galenus l. 15. de vsu partium, mirabilis prouidentiæ argumentum, admirabilitatis plenum censuit, & sanè meritò. Ab iis tamen qui extra vrgentissimam & ineluctabilem necessitatem, alias vias educendo fœtui tentare vellent, perspicuum est, tam exquisitum opificium perinde ac imperfectum & maioris per nos commodi ac vsus capax, emendationi subiiciendum, imò abiiciendum esse.

5. Hoc verò quantumuis fœtus eductio fieret, illa alia via, non minori absurditate sorderet, quàm si quis nollet per os & œsophagum cibos in stomachum demittere, eo quod succis immissis per clysmata, aut per emplasmata nutrientia apposita vmbilico, suppleri aliquando possit vsus viæ naturalis ciborum ad ventriculum, vt obseruat Valesius 8. controu. c. 3. sicut ergo seclusa grauissima necessitate, præposterus ille alimenti remoti ductus ad stomachum, aliter quàm per fistulam cibalem, (provt Lactantius appellat l. de opif. Dei c. 11.) absurdus esset, & tacitam reprehensionem continens diuini opificij circa commolendos & concoquendos cibos, ad cuius imitationem humana solertia molendinum & clibanum excogitauit, vt Seneca epist. 90. ex Possidonio disputat. Ita extractio fœtus per viam ab ea diuersam quam Deus naturæ

autor

autor inſtituit, niſi ad id grauiſſima & indeclinabilis neceſſitas adigat, non vacaret Dei ſugillatione per hominem: cui illud Ruperti lib. de volunt. Dei c.6. haud iniuria occineretur. *Hodie natus rudis homuncio, docere vult antiquum dierum cani & maturi capitis, qualiter debuiſſet operari; qui tunc operari cœpit, quando nullus noſtrum adeſſe potuit, vt illi operis normam oſtenderet, & digitos operantis, in quamlibet partem duceret aut reuocaret.*

Temeritas ſumma, vſus eiuſdem contrarij.

6. Quid quòd tentatio illa extraordinariæ eductionis fœtus, cum ordinaria non negatur, pleniſſima eſt temeritatis: quia ad auertenda pleraque grauiſſima damna quæ tot partium diuiſione inferri poſſunt, peritus admodùm artifex exigitur, qui non eſt adeò obuius. Et vt ſcientiſſimus medicinæ manuariæ opifex non deeſſet, vix licet ambigere, quin per vteri ſectionem à quantumuis perita & felici manu peractam, & mater & fœtus non vulgari mortis diſcrimini obiiciantur; quod temerarium planè ſit vltrò adire, ſi declinari poſſit. Nec licet cauſari acerbiſſimos & interdum ſatis diuturnos naturalis partus dolores, interuentu ſectionis commutari breuioribus ac leuioribus, indéque elui poſſe notam temeritatis, cuius inſimulabamus ineuntes nouam hanc extrahēdi fœtus viam, dimiſſa naturali, quæ non præcludatur. Non inquam licet iſtud obtendere ad probrum impactum auertendum. Vix enim credibile eſt, ex diuiſione non exigua tam multarum partium ſenſu acerrimo vigentium; abdominis ſcilicet, peritonæi, ac vteri,

non existere dolorem naturalis partus dolores æquantem, vel etiam superantem; præsertim cum horror ex insolita laniena, dolorum acerbitatem cumulet, faciátque atrociorem. Vt propterea sint qui scribant, mulieres quæ priùs naturali partu per accidens prohibitæ, ad sectionem Cæsaream compulsæ summa necessitate fuerant: postea concepto iterum fœtu, non tentasse illi eundem exitum, si naturali via proditurum spes affulgeret; sed sublatis impedimentis ortus naturalis, vt eum fœtus denuò conceptus assequeretur, fategisse feruntur; & sibi summoperè gratulatas esse partum naturalem. Et tamen perspicuum est, in illis, alteram fœtus eductionem per sectionem Cæsaream, minùs acerbam & horrendam futuram fuisse, quàm eductionem primam. Nam rescisso priore hiatu qui vix vnquam benè coalescit, posset leuiore mulieris excruciatione, & absque eo horrore quem insolita sectio intulerat, scopus intentus attingi.

7. Itaque nota temeritatis grauissimæ, cuius arguebamus neglectum ortus naturalis, & voluntariam eius commutationem in sectionem Cæsaream matris viuentis, non potest depelli prætextu leuiorum & breuiorum dolorum, matris vltrò subeuntis sectionem Cæsaream. Esséque etiam in eo prætextu, quod ad Dei dedecus pertineret. Deus enim vt liquet ex Genes. 3. naturalis partus difficultates quas status innocentiæ auertisset, interueniente peccato vertit in mulieris excruciationem, iustúmque supplicium; non quidem adiectione aliqua in hoc statu facta ad eam doloris mensuram quæ partui naturaliter iungitur, vt malè suspicatur Delrio in c. 3. Genes. num. 41. id enim æquè fundamento

damento caret circa hanc mulieris pœnam, ac circa ſubiectionem ad viri imperium, vel circa obnoxietatem moriendi contractam poſt peccatum:Non igitur ob eam cauſam, inter pœnas mulieri à Deo ob peccatum inflictas, numeratur dolor inter pariendum: ſed quia poſt peccatum,adempta eſt prærogatiua immunitatis à dolore quam fœmina diuino beneficio nacta eſſet, niſi abieciſſet innocentiam; & quod naturale eſt, ſublato gratiæ beneficio per quod fuiſſet emendatum, manſit quale ex ſe eſt, & eatenus in pœnam tranſiit. Igitur etiamſi (quod non puto,) per ſectionem Cæſaream obtineretur declinatio dolorum partui naturali comitantium; tamen ſecluſa vrgentiſſima neceſſitate, adhibitio ſectionis eſſet deluſio Dei vltoris, & effugium à facie arcus; ne dicam exprobratio, quod minæ quibus Deus primam mulierem poſt peccatum terruit, vanæ fuerint, & mulcta quam irrogauit, abierit in fumum.

CAPVT V.

Quid ſtatuendum de ſectione matris viuentis fœtu item ſuperſtite, ſi ſectio neutri mortem illatura, probabiliter ſperetur.

1. AGGREDIOR ad diiudicationem difficultatum quarum ſemētis facta eſt in ſuperioribus,

ribus, ducto initio à capitali quæstione circa quam maximè feruet diſſidentium contentio. Aio igitur, ſi ad extremam neceſſitatem & omnimodam partus naturalis deſperationem deuentum ſit, affulgeátque probabilis ſpes felicis euentus, licere adhibere ſectionem Cæſaream,& eo modo fœtum extrahere è matris viuentis vtero.

Status controuerſiæ.

Vt ratio ordinis ſit manifeſta, obſeruandum eſt; poſſe multiplicem excitari controuerſiam de honeſtate ſectionis Cæſareæ matris viuentis, fœtu item ſuperſtite. Nimirum primò, quærendo ſítne ea ſectio honeſta, ſuppoſito probabili iudicio, indéque concepta rationabili ſpe vitæ matri & fœtui conſeruandæ. Secundò idem quæri poteſt, ſuppoſita certitudine morali mali euentus; ex parte quidem matris, quia nimium debilis eſt, nec par ferendæ excruciationi per ſectionem: Ex parte verò prolis, ob imperitiam ſectoris, quæ etiam iuſta eſſe cauſa poteſt timendi materni exitij. Potéſtque moralis certitudo mali euentus habèri tam ex parte matris quàm fœtus; vel certè ex parte tantùm alterutrius, vnde ſubnaſcitur quæſtio comparatiua, matríſne an fœtus potior habenda ſit ratio, ſi alterutri tantùm poſſit conſuli,nec niſi vnius vita retineri.Tertiò controuerſia eſſe poteſt,quid facto ſit opus, in dubio proſperúmne & felicem,an calamitoſum exitum ſit habitura ſectio. Nunc ad primam quæſtionem accingor, in qua mentionem duntaxat feci iudicij probabilis, & rationabilis ſpei; quia certitudo omnimoda boni euentus dari non poteſt,
ſed

sed duntaxat aliqua, quæ ad ferendum probabile indicium, & prudenter operandum sit satis: quando autem suppetat, infra attingetur.

Desperato partu naturali, licitum est matrem aperire, affulgente spe boni euentus.

2. Quòd igitur sectio Cæsarea matris viuentis in desperatione partus naturalis, licita sit & honesta, si spes probabilis & rationabilis, boni euentus affulgeat; habeo persuasissimum, & hac in parte subscribo sententiæ multorum recentiorum Medicorum; nec puto aduersaturos Theologos. Imo plerique apertè annuunt. Nam tametsi apud eos, sectio Cæsarea idem esse videtur quod matris trucidatio, ideóque passim sectionem huiusmodi damnent, saltem quoad matrem innoxiam, de qua sola nunc agimus: Tamen in eam sententiam concesserunt, quia videbant Medicos negare talem sectionem posse absque matris cæde perfici. Vix enim ante annos septuaginta vel octoginta, inualuit inter Medicos opinio vtilitatis sectionis Cæsareæ, incolumi matre. Si tamen Theologi audiuissent, sectionem vteri cum spe probabili vitæ matris ac prolis vsurpari posse, & vsurpatam non semel reipsa esse; nequaquam inficiati essent honestatem talis sectionis, in partus naturalis desperatione.

Et ita apertè habetur ex Alensi 4.p. q. 17. membro 4. vbi cum negasset, mulierem prægnantem cuius salus corporea & naturalis partus desperatur, secari posse vt proles baptizetur; rationémque negationis inde petiisset, quod ea sectio matri interitum eiúsve accelerationem sit certò illatura; nec

fœtus incolumitas & per baptiſmum initiatio poſſit certa eſſe; Nefarium autem ſit facere malum certum, vt eueniat bonum incertum: Cum inquam hæc præmiſiſſet Alenſis, ſubdit licitum omnino fore matris vterum in tali euentu aperire, ſi id præſtari poſſet abſque cæde matris & fœtus. Quo nihil potuit commodius dici in rem præſentem. Nam quamuis Alenſis, defectu experimentorum ſupponat, mortem matris cui vterus aperitur eſſe indeclinabilem; tamen agnoſcit, ſi per impoſſibile mors matris declinari poſſet, omnino ſecandam fore honeſtè ac licitè. Quod autem ipſe impoſſibile duxit, prolatis nouis experimentis agnitum eſt poſſibile. Quare haud dubiè Alenſis, in euentu propoſito ſubſcriberet iis quæ diximus, ſi recentiorum Medicorum experimenta & rationes audiſſet. Diſertè idem cum Alenſi habent nonnulli alij Theologi, qui propterea cenſendi quoque ſunt ſuffragari, vt Pelbartus roſario 4. tract. de baptiſmo cap. 5. caſu 5. & Brianſonis in 4. q. 4. corollario 2. *litera K.*

Rationes ex magnis bonis ſectionis, in prædictis circunſtantiis.

3. Probatio ſententiæ à nobis poſitæ, ducenda eſt ex eo quod per ſectionem Cæſaream mater alioqui ferè certò mortem opetitura, putreſcente intra eam fœtu, ſeruanda ſit incolumis: vel ſaltem liberanda immani illa laniena quam deſcribit Tertullianus l. de Anima c. 25. dum fœtus emortuus, fruſtillatim extrahitur, *violento* (vt ille appellat) *puerperio.* Per eandem ſectionem, fœtus emerget è materno

materno vtero incolumis, nec fraudabitur Christiana initiatione per baptismum, qui in lege noua, quoad infantes extra martyrij priuilegium est planè insupplebilis, nec potest delitescenti intra materna viscera conferri, tot veluti parietibus intergerinis ac septis carneis impedientibus appulsum aquæ ad ipsum fœtum, cuius immediata ablutione peragitur baptismi Sacramentum. Cum ergo per sectionem Cæsaream, & matris vita corporea in euentu de quo agimus locetur in tuto, & vtraque prolis salus Deo benè propitio obtineatur, dubitare non licet, quin talis sectio in circunstantiis quas supponimus, licita sit & honesta. Hæc probatio planè conuincit, si constet de eo quod in illa assumitur, nempe quod matre incolumi possit adhiberi sectio. Nam de prolis incolumitate, vix erit qui neget eam posse probabilissimè sperari, atque adeò per hoc medium prudenter quæri, si mors matris non obstaret, quam multorum veterum Cæsonum experimenta adiunctam fuisse apertioni materni vteri, docuerunt. Tota ergo difficultas est, vt ostendatur sectionem matris viuentis, posse absque eius cæde peragi. Id verò & à posteriori per effectus & euenta, & à priori optima ratione demonstratum eo.

Matrem posse sectioni esse superstitem, demonstratur.

4. Ad primum caput, pertinent imprimis varia exempla, quæ testes locupletes partim à se visa, partim à grauibus & omni fide dignis autoribus prodita, retulerunt. Quos omnes commenti redarguere, tametsi personas, & tempus cæteráque

adiuncta accuratè consignent, illisque ipsis locis scribant, vbi reuinci haud difficile possent, ob temporum & locorum viciniam; illiberale omnino & indignum videtur, & à Fortio aliisque perpaucis in hoc negotio factum demiror. Contra quos intorquere par sit illam Ennodij contestationem initio vitæ S. Epiphanij, qua confirmat se vera dicturum, quia vulgata & præsentia de viro sancto erat scripturus. *Nihil* (inquit) *de laboribus eius tam mediocre vel humile inueniam, vt necessariis illud bullis vt plerique solent, viuidi sermonis amplificem. Testes enim calentium citabo negotiorum, & trophaea illius adhuc fumantia & exornata de manubiis Diabolicæ nuditatis ostendam. Nemo enim sub oculis præsentia penè & nimiùm nota commemorat, nisi, qui de veritate confidit, vt quos forsitan ficta dicturus velut impudentia mea conscius euitarem, eorum auribus relegam illa quæ cognouit adspectus.* Cum igitur similiter, autores quos mox producemus, exempla referant iis locis in quibus scribebant peruulgata; & vrbes, tempora, personas per quas & circa quas sectio Cæsarea matre & fœtu incolumibus administrata est, diligenter consignent, censendi profectò sunt vera dicere; nec nisi ab indocilibus & illiberalibus ingeniis repulsam in testificando ferent; maximè cum non sint testes singulares, nec priuatam suam causam agant, vel audita tantùm referant, quibus ex capitibus multorum longinqua narrantium autoritas frequenter ruit, etiam eorum qui historici audiunt; quandoquidem Seneca l. 7. natur. qq. c. 15. aliàs 16. ad detrahendam Ephoro autoritatem, negat magna molitione opus esse, eo quod *historicus sit* procul posita scribens, cui hominum generi

generi solemne est *incredibilium relatu commendationem parare, & lectorem aliud acturum si per quotidiana duceretur, miraculo excitare.* Prӕterquàm quod, *quidam inter eos creduli, quidam negligentes sunt; quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet: Illi non euitant, hi appetunt. Et hoc in commune de tota natione, quӕ approbare opus suum, & fieri populare non putat posse, nisi illud mendacio asperfit.* Nihil horum in re nostra obtendi potest. Nam nec de Historicis, scenӕ plerunque ac tempori seruientibus agitur, nec de citò credentibus & corde leuibus, vel oscitanter in hac causa versatis: sed de grauibus autoribus, qui visa sibi & diligenter perspecta, in re quӕ nec gratiӕ nec lucri ferax esse potest, apud eos quibus narrata explorare & reuincere facilè erat, scriptis prodiderunt.

Videbor profusione aliqua verborum vti, in concilianda fide autoribus mox adducendis. Verùm extorsit à me hanc prӕmunitionem potentissimi pro nostra sententia argumenti ab experimentis petiti, capitositas & obfirmatio, (an etiam insulsitas atque rusticitas?) paucorum quorundam inurbani & agrestis ingenij scriptorum qui non habentes vnde sectionem Cӕsaream in euentu de quo agimus contra perspicua experimenta repellerent, omnes eiusmodi narrationes, quibus facta feliciter & matre ac fœtu incolumi sectio Cӕsarea proditur, ad Deum Fabulinum ablegarunt, & autores vt mendaciorum artifices atque propolas, per ora hominum traduxerunt.

Exempla varia.

5. Superiore itaque seculo, & hoc ipso quod nunc

nunc voluitur, plerique omni exceptione maiores testes, sectionem Cæsaream saluis fœtu & matre peractam, se optimè consciis, non semel esse, disertè prodiderunt. Mizaldus centur. 1. memorab. Aphoris. 100. ait rem esse indubitatam, & multis experimentis firmatam. Decem prosperos euentus sectionis de qua agimus retulit Franciscus Roussetus, partim à se visos, partim ex testibus fide dignissimis cópertos, quos legere licebit laudato superiùs opere à cap. 5. Gallo scriptori Rousseto astipulator accessit ex Germania Gaspar Bahuinus, qui ad librum Rousseti addidit appendicem, cuius c. 1. septem præterea alias narrationes, sectionis Cæsareæ matri & fœtui commodantis exhibuit, vel à se coram perspectas, vel ab oculatis testibus quorum fides nullo modo vacillaret, ad se conscriptas. Ex tanta apud vtrumque exemplorum vbertate, vnum duntaxat ab vtroque delibo.

Illustrissimum ergo videtur exemplum, mulieris sexties ictæ, quod Roussetus recitat. Hæc Mesnilij in Vastinetensi agro degebat, quæ ora est Galliæ haud ita procul Lutetia. Cum autem alio modo parere non posset, sexies illi eductus est à Nicolao Guilleto Chirurgo oppidano, fœtus viuus. Mortuo deinde Guilleto, cum septimùm grauida facta esset, frustra quæsito Chirurgo qui sectionem Cæsaream adhibere vellet, septimum illum fœtum præ angustia naturalis ostij nullo modo excludere valuit: atque ita cum fœtu miserè periit.

6. Iam Bahuinus, scribit de sectore Germano, (& sectorem intelligo, non huius de qua agimus sectionis opificem ex arte operantem & Chirurgiæ peritum, sed quod Latina vox fert, *castratorem*, heu

qualem

qualem artificem sectionis Cæsareæ!) cum vxorem cuius primus partus desperabatur, indubiæ mortis nisi subueniretur damnatam, domi iacentem haberet, eam annuentem facta per Magistratum potestate ne vxoricidij tentati argueretur, intrepidè aperuisse. Modus autem aperiendi is fuit qui imperitissimo artifici congrueret, & tamen optimè cessit. Vxorem ægram adhibitis perpaucis testibus ex iis quas ægra habebat maximè amicas & fideles, mensæ imposuit; eiúsque abdomini non secus ac scrofæ inflixit vulnus, adeò altè & tamen feliciter, vt ad primum illum ictum exiluerit infans, ac illæsus planè & prorsus incolumis, exemptus sit, salua matre, cui felicior quàm peritior artifex, veterinario more vulnus consuit: & nihilominus postmodum probè coaluit, ita vt postea, hæc ipsa mulier primùm gemellos, & quidem naturali partu sit enixa; deinde singulatim alios quatuor liberos, tandem autem plusquàm sexagenaria obierit, seculo superiore.

Ex literis D. Pellaire apud Maurianenses Medici ad R. P. Amedeum à Portu, Ordinis D. Augustini strictioris disciplinæ alumnum, comperi in Oppido Auçois Comitatus Maurianensis, mulierem nuper fuisse, cui sectio Cæsarea sexies adhibita fuerit, suo & fœtus commodo: additúrque ibidem, *idipsũ accidisse in Ciuitate S. Ioannis Maurianensis, mulieri nomine Maupa.* Quid illud, *idipsum?* An sensus est, hanc quoque sexies cæsam fœliciter fuisse? An duntaxat significare voluit, eam quoque mulierem sectione Cæsarea subleuatam esse, tacito sectionum numero, ac forassis absque numero, quod semel tantum ita contigerit? Subiungitur denique in

iisdem literis, peruulgatam & omni fide testatam rem esse, eximium Chirurgum cui nomen Ludouico, ante annos perpaucos, Aquis in Sabaudia, matre ac fœtu saluis, obiuisse Cæsaream sectionem, cum naturalis partus esset desperatus.

7. De Vrsula quadam VVitembergensi scribit Daniel Sennertus testis oculatus l. 4. Medic. pract. p. 1. sect. 2. cap. 17. cum prægnans inaudito prorsus euentu, vterum in fascia pendulum extra abdomen gestasset, eúmque provt res ferebant, nunc in femore, nunc alia in parte locasset, tandem & ipsa matre & fœtu incolumi, se autore & sectioni inuigilante, liberatam esse ea sarcina anno 1610. Vix occurrere possit quippiam circa mulierem aluo gestantem admiratione dignius.

8. Testimonio Chirurgi scientissimi Ludouici Panthot, cuius peritiæ cum humanitate certanti, hæc lucubratio non parum debet, compertum habeo, anno 1627. Aprili mense in Lugdunensis oræ pago cui nomen *Meissemy*, Ioannam Matheuiere, Matthæi Fournelli vxorem, post acerbissimam plurium dierum excruciationem, cum partus naturalis prorsus desperaretur; leuatam denique esse adhibita sectione Cæsarea, qua & mater incolumis seruata est, & fœtus baptismi beneficium adeptus. Idipsum confirmauit eiusdem manuariæ Medicinæ professor egregius, Ioannes Feret.

Visam sibi Flexiæ apud Andegauos, mulierẽ quæ se ter cæsam saluo fœtu profiteretur, narrauit homo de Societate nostra qui Chirurgum in seculo egit, annos complures, & rem esse extra dubium, sanctè confirmauit.

Obiter

Obiter infertur; sectione Cæsarea, nec conceptum, nec naturalem partum excludi.

9. Habemus exemplorum & experimentorum satis. Inter hæc verò pauca quæ ex innumeris selegi, obseruata velim ea præsertim, quibus iterata proditur sectio Cæsarea. Inde enim manifestè reuincuntur, qui dixerunt, sectione Cæsarea inuehi sterilitatem, ita vt fœmina deinceps nequeat concipere,& aluo gestare,eo quod obductum vteri vulnus, per cicatricem residuam obstiturum sit nouæ vteri dilatationi, qualis ad fœtus gestationem est necessaria; quod erat Paræi, Guionij, & Varandæi argumentum superiùs propositum cap. 3. ad probandum, non posse mulierem post sectionem, iteratò matrem esse. Eodémque argumento Rodericus à Castro ibidem adductus, demonstrari censet, per sectionem præcludi deinceps partum naturalem: eo quod tametsi vterus post vulnus obductum poterit concipere, tamen in partu dilatari satis non poterit, quin cicatrix denuò hiscat, & vis vteri expultrix dispergatur, fiátque infirmior,quàm vt pôssit ad excludendum naturaliter fœtum sufficere. Et id quoque falsitatis reuincitur, cum aliis exemplis quæ apud Roussetum legere est sect. 1. c. 5. narratione 3. & cap. 6. narratione 2. & 5. tum maximè experimento illo sectoris Germani quod Bahuinus suppeditauit.

Quanquam verò ad controuersiam, quam hoc capite excutimus,non refert, an sectio Cæsarea iteratos conceptus & naturales partus impediat, nobisque

bísque abundè sit,quod matris & fœtus incolumitas obtineri per eam possit; (est sanè id multo optabilius quàm denuò concipere, & conceptum fundere naturaliter:) Tamen non est difficile, rationem ex neganda vtero dilatatione ad conceptum, gestationem fœtus, & naturalem partum necessaria, ita retundere, vt planè hebescat. Ex quo enim vulnus vteri ritè consolidatum & exactè obductum fuerit, (quod non est adeò operosum,) nihil procliuius est,quàm dilatari vterum cum res feret;cum tanta sit partis illius ad distensionem aptitudo; vt monstrat triplicis interdum fœtus, insupérque molæ, intra eum gestatio per menses non paucos. Nec per quantamcunque vteri distensionem, ad naturalem partum requisitam, necesse est denuo hiscere cicatricem, cum possit tanta inter partes priùs diuisas intercessisse cohæsio,vt planè excludatur noua disruptio,vulnerísque reclusio.

Secabilitas absque cæde matris, aliarum sectionum exemplo, monstratur.

10. Primæ probationi hactenus propositæ, ductæque ex effectibus,quibus monstratum est,matre incolumi, aperiri posse vterum, si naturalis partus desperetur,adiungenda est non leuis confirmatio,ex affinibus sectionibus æquè vel etiam magis periculosis, quas tamen cum ex arte obeuntur, feliciter cedere, & honestè tentari, extra controuersiam est. Quidni enim multo magis fas sit,cum id fert extrema necessitas, & spes bona felicis euentus affulget, aperire vterum mulieris, vnde non eius modò incolumitas corporea, sed vtraque etiam prolis salus possit

possit existere? Nam in illis aliis sectionibus, de vnius ægri salute corporea agitur: In hac, verritur æterna salus prolis, vnà cum eiusdem & matris incolumitate corporea. Et quamuis hæc non sit directa ostensio honestatis sectionis Cæsareæ pro qua satagimus, est tamen indirecta, & apud cordatum prudentémque æstimatorem admodum efficax, si sectionem sectioni, & vtriusque vsum & adiuncta atque pericula, rectè componat.

11. Eiusmodi est sectio membri syderati, cum ab eo exitium reliquo corpori imminet. Parti enim adhuc viuenti ferrum admouetur ad os vsque depressum, & nerui, tendones, venæ, arteriæ, secantur, sistendóque sanguini admouentur candentes laminæ. Hæc præcisio non peragitur absque horrenda carnificina, & magnis corporum sic laceratorum vel ambustorum conuulsionibus. Experientia tamen docet, eam posse ægrò commodare; & idcirco licitè ac honestè adhiberi, cum de consilio prudentis Medici, bona spes affulget, omnes nemine discrepante consentiunt.

Parachentesim hydrope laborantium, ex Hippocratis decreto l. 6. epidem. s. 3. multa experimenta quæ Schenchius collegit l. 3. obseruat. & præclara Andreæ Laurentij disputatio l. 6. anatom. q. 9. securè ac licitè administrari posse confirmant, cum morbi pertinacia quoduis aliud remedium excludit. Peragitur autem immisso (horrendum vel cogitatu,) per musculos transuersales abdominis ad peritonæum vsque ferro, vel compunctione medij vmbilici immisso præacuto ferro qua parte vasa dehiscunt: sícque via aperitur, qua stagnans illa aqua & cum corporis pernicie putrescens, foras

E exiliat.

exiliat. Quod ex arte in his ascitibus hydropicis tentatur, fortuito euentu, salute ex inimico profecta obtigit Aurelianensi baiulo de quo Roussetus s.3. c.3. Ei ex hydrope pessimè habenti, cum nebulo in rixa impacto validè cultro perforasset abdomen ac peritonæum, riuus putridæ aquæ illicò profluxit: & desperata sanitas per sectionem fortuitam, Deo inimicam voluntatem in bonum vertente, est restituta. Euentus ei geminus quem refert Plutarchus l. de vtilit. ex inimicis.

12 Laryngotomia, sectio est anginæ interioris siue musculorum laryngis, quos acrimonia vitiosi defluxus adeò tumefecerit, vt aëris & potus cuiuscunque, aditus planè omnis intercludatur. Vnde certa suffocatio & mors existeret, nisi prouideretur. Vt ergo aëri admittendo paretur via, secundus faucium orbiculus cartilagineus, adhibita sectione à tertio seiungitur. Sic partam salutem certo exitio expositam, gratulari frequenter contigit. Illustre est exemplum quod refert Alexander Benedictus lib.8. de Chirurg. curat. de quodam qui seruatus est in conclamata strangulatione tracharteriæ, dissecta membrana inter annulum & annulum sub epiglottide. Similia exempla passim prostant.

Æquè rata & frequentibus experimentis testata habetur apud Schenchium l. 2. obseruat. & ex Cōcilio quodam Vesalij pro Duce Terræ nouæ edito inter Ingrassiæ opuscula, perfossio ac discissio pectoris, vt purulentia ibi collecta educatur. Eáque ratione ante annos aliquot, Chirurgus præstans in paucis Brondellus, militem cui nomen *Bonna*, cuius pectoris sinum ex vulnere in humeros inflicto multus sanguis oppleuerat, restituit exoptatæ sanitati,

nitati, cæso latere dextro, & pure copioso ac fœtentissimo ex vomica perfossa, industriè educto.

13. Non est semper lethifera, vt quotidiana experimenta testatum faciunt, vesicæ in perinæo sectio ad calculi exemptionem: & tamen longè operosior & periculosior est, sectione vteri ad extrahendum fœtum: quia in perinæo occurrunt plures insignes venæ, arteriæ, nerui, musculi, tendones, ac ligamenta: & idem est de sphinctere & vicinis vasis spermaticis, quæ per illam sectionem, veriùs lacerationem vesicæ, facillimè contingit lædi. Ipsa vesica priusquàm incidatur, vt plurimùm est exulcerata, ideóque sectionis incapacior. Symptomata inde passim consequentia, víxque euitabilia, longè sunt teterrima: nominatim perpetuum vrinæ stillicidium per vulnus ægerrimè coalescens, adiunctis doloribus ac fœtoribus vix ferendis. Horum nihil in vteri sectione de qua agimus metuendum est; cum & vterus ante sectionem supponatur valens ac sanus, & eam partium siue internarum siue adiunctarum facilè lædendarum copiam non habeat, à qua circa vesicam timebatur.

14. Suppetunt aliæ item sectiones, ei pro qua satagimus viciniores, ac propè geminæ, quas extrema necessitas, cum bona spes affulget, licitè ac honestè adhiberi suadet, & frequenti experimento deprehensum est, non esse semper lethales. Eiusmodi est sectio vesicalis, & extractio calculi per epigastrium, vt in sectione Cæsarea. Liquet eam sectionem ad calculi exemptionem, longè periculosiorem esse altera proximè tacta, quæ in perinæo perficitur: Et tamen si accidentaria incommoda secludantur, lethalem esse negat, & probabiliter

licitam esse affirmat Roussetus sect.3. c.6.7.8. & 9. Scribit Villanouanus Valreacensis apud Cauares Medicus, notissimæ eruditionis ac experientiæ, admotum à se Montiliensi mulieri actuale cauterium, fisso epigastrio ad interiorem vsque vteri partem; vnde magna puris vbertas profluxit: Post trimestre verò redditam sanitati mulierem, nec ita multo post concepisse,& quater peperisse. Narrante Ioanne Albosio Regio Medico constat aliquibus aliis mulieribus abdomen actuali cauterio feliciter fuisse apertum profundè ac latè impresso vulnere, ita vt per illud in vna quadam muliere, secundina fœtus emortui & priùs ferro extracti educeretur, muliere salua & denuo ac sæpiùs matre facta.

15. Non ausim planè affirmare, an vteri incisio ad sterilitatem mulieri inducendam, quæ olim in vsu erat, fieret extrinsecùs & secto simul epigastrio ac peritonæo, (vt est certè verisimillimum,) an verò absque partium illarum diuisione vt in ἰμβρίῳ λχείᾳ. Factam quidem fuisse,ostendit Brodæus lib.5. miscellan. c.3. ex Athenæo lib. XII. qui id inuentum fuisse Lydorum, & Regis eorum Adramytis, testatur. Ibidem tamen Casaubonus, ex Herodoto & Hesychio illustri l. de sapientibus, Gygem statuit incisionis illius autorem. Suspicio est, à suibus translatum eius vsum ad mulieres. Nam porcarum vterum,vt gratius vniuersa caro saperet, traiici ferro solitum,& suem factam non genitalem, alij obseruarunt; meminítque etiam Columella l.7. c. 9. tametsi id aliò refert. Sed Galenus l. 1. de semine *sub finem*, tradit quod dixi; & addit, muliebres didymos ad vtrumque vteri cornu finientes, exscindi solitos vtroque vteri latere diffisso; quæ causa est, cur

cur dixerim verisimillimum esse talem incisionem peractam fuisse scisso extrinsecùs epigastrio & subiectis partibus: eáque ratione hæc incisio gemina erat sectionis Cæsareæ, & sicut illa non erat lethalis, ita nec sectio Cæsarea habenda esset mortifera. Si verò illo alio modo quem attingebam, peragebatur; commodat quoque ad ostendendum sectionem Cæsaream non esse cædem ac trucidationem matris, cum tanta vteri incisio & quidem gemina, letho non daret mulierem. Qua etiam ratione argumentari proportione possumus ex Eunuchis maribus, iis præsertim quos Turcæ in sui Imperatoris cubicularios euirant. Non enim (quod ferè vnum olim fiebat,) solis didymis vel attritis vel abscissis mulctantur; sed insuper membrum totum cum scroto, resecatur. Idque etiam à paucis quibusdam olim patratum, scribit S. Basilius l. de vera virginit. *sub finem.* Sic demessos, propriè dici Eunuchos notat Brodæus l. 4. miscell. cap. 21. secernens ab eis Thlasias quibus tantùm rupti didymi; Spadones quibus auulsi; Thlibias quibus collisi attritíque; Ectomias quibus amputati atque resecti. Eunuchorum ergo sectio eo periculosior est, quo acriori sensu pollent partes quæ per eam exscinduntur. Nam scrotum vtero inuerso est persimile, membrum verò adiunctum affine est collo vteri, quod in sectione Cæsarea nequaquam inciditur, sed aliæ tantùm partes minùs exquisiti sensus & minùs periculosæ.

Excluduntur omnia, quæ semper lethali matris sectioni, obtendi possunt.

16. Potentissima ergo ratione, ex effectibus cum

geminis tum affinibus petita, demonſtratum videtur, ſectionem Cæſaream non ſemper eſſe matri mortiferam, atque adeò poſſe affulgente boni euentus ſpe, honeſtam eſſe. Nunc ſubiicienda eſt probatio alia per cauſam, declarata & firmata partium quæ in ſectione Cæſarea aperiendæ ſunt, non lethali ſecabilitate; & ſymptomatum omnium ſectioni adiunctorum vel ſubiunctorum declinabilitate, citra matris & fœtus mortem. Quæ erit optima ſimul veritatis propoſitæ ſtabilitio, ſimul depulſio omnium quæ ab aduerſariis intorqueri aduerſus eam ſolent, aut poſſunt. Sic igitur argumentari licet. Si mors matris per ſectionem Cæſaream inueheretur, oporteret id fieri, vel 1. ob epigaſtrij ſiue abdominis ſectionem, conſequentémque ex ea hæmorrhagiam. Vel 2. ob ſectionem membranæ muſculis abdominis ſubtenſæ, id eſt, peritonæi, quod cum ſit ſubſtantiæ membranoſæ, non videtur abſque ſpaſmo incidi poſſe. Vel 3. ob ipſius vteri diuiſionem. Atqui ex nullo horum capitum mors matris iure timenda eſt adhibita ſectione Cæſarea, dummodò in iis circunſtantiis adhibeatur quas initio poſtulauimus, & ſeponantur incommoda accidentaria, & affectus mali qui etiam abſque ſectione matrem diſcrimini obiicerent, & perdere poſſent. Igitur ſectio Cæſarea, vrgente extremæ neceſſitatis articulo, licita eſt & honeſta. Sola minor eget probatione, quam particulatim exhibeo percurſis breuiter tribus illis capitibus, per quæ ſola dixi poſſe mortem matri inferri, ſi adhibeatur ſectio Cæſarea. Oſtendo ergo penes nullum ex dictis capitibus, matrem vi ſectionis Cæſareæ letho dandam.

17. Ac

17. Ac primùm musculos epigastrij posse citra mortem incidi, magno etiam hiatu facto, docet Galenus lib. 6 methodi med. c. 4. quo loco artificiosæ gastroraphiæ modum ad vulnera huiusmodi musculorum consuenda & curanda proponit. Nec vlla huic incisioni hæmorrhagia adiungitur, quæ mortis timorem meritò faciat. Paucæ enim insignes venæ diffunduntur eo loco quo musculorum incisio peragitur. Venæ autem mammariæ ascendentes, à quibus maximè timeri posset hæmorrhagia, secundum rectorum musculorum longitudinē conscendunt. Tandem puluisculi astringentes, & alia sanguinis effluxui cohibendo opportuna, qualia congessit permulta Trincauellius consilio vltimo, obuia sunt & semper ad manum.

Iam peritonæum posse salua vita incidi, apertè liquet ex iis quæ præcellentes Medici Galenus, Celsus, Ægineta, aliique tradiderunt de curatione peritonæi, etiam vulnerati & amplo hiatu patentis. Quid quod nonnullis, citra vitæ noxam, computruisse deprehensum est peritonæum? Potest ergo vita superstite incidi. Et cum fibræ eius non sint exquisitè neruosæ; finisque extremitatum partis anterioris, sit multo laxior faciléque cedens; nequaquam ex eius vulneratione aut incisione timendum est à spasmo, qui tum demum timendus accidit, cum fibræ exquisitè neruosæ pari robore circa extrema firmatæ, ad suum principium cum violenta distensione contrahuntur. Multò minus timendum est ab hernia quæ nec post curatum peritonæi vulnus necessariò remanet, nec si semper remaneret, esset malum graue, aut difficulter leuabile, vel vlla ratione conferendum cum malo quod sectione

Cæſarea declinatur; nempe cum certa morte matris vel fœtus extractione per fruſta, ad quorum alterum eſt neceſſariò veniendum, in circunſtantiis in quibus verſamur ni mater ſecetur.

18. Vteri denique inciſio, nullo modo eſt lethalis, quantumuis amplum vulnus inferatur, & fœtui educendo par. Quomodò verò lethale eſſet ſecari vterum, cum ne omnimoda quidem eius abſciſſio mortem aduchat, vt deprehenſum eſt in nonnullis puerperis, quæ validiſſimo impetu enixæ, vnà cum fœtu vterum radicitùs euulſum emiſerunt, abſque vitæ diſpendio, vt à ſe viſum ſcribit Fernelius l. 7. phyſiologiæ cap. 11? Exempla aliarum quibus vterus ob gangrænam ſimilémve cauſam exciſus mortem non intulit, ſignant Chriſtophorus à Vega tract. de procidentia vteri, Carpus in ſua Anatome, Langius lib. 2. epiſt. Medic. in 39. Paræus lib. 24. cap. 48. Mercur. lib. 4. de morb. mul. c. 21. Rouſſetus ſect. 4. cap. 5. & 6. ac Bahuinus in appendice ad eum §. 4. Idem agnouerant antiqui. Nam Paulus Ægineta l. 6. c. 88. ſic ſcribit *Conſtat tota ablata matrice, nec mortem inde ſubſequi.* Similia repetit l. 3. c. 72. Sorani quoque hæc ſunt verba l. de locis muliebr. *Minimè exiſtimandum eſt, vterum principatum ad vitam obtinere: quia is non ſolùm procidit, ſed etiam in quibuſdam præciditur, nec tamen mortem affert, vt Themiſo literarum monimentis commendauit. Præterea in Gallia, ſues, habitiores & valentioris alimenti fieri aiunt, poſtquàm vterus abſciſſus fuerit.* Apud Aëtium idem explicatiſſimè traditur lib. 16. c. 76. Et Auicenna ac Auenzoar referente Paræo l. 24. cap. 48. idem affirmaut.

Fortiſſima confirmatio omnium quæ hîc præmiſſa

missa sunt, de non lethali epigastrij, peritonæi, & vteri incisione, peti potest ex aliis huiusmodi partium perfossionibus, quas fieri contigit matre superstite. Scribit Langius l. 2. epist. medicin. in 39. impium quendam ciuem suum,(Andreæ Remptero nomen erat,) œstro percitum, ilia vxoris sextum iam mensem aluo gerentis,cultro dextra capulo tenus immissa traiecisse. Aduocatus peritus Chirurgus,intestina elapsa reposuit,vulnus epigastrij consuit. Triduo post illatum vulnus, mater puerum occisum emisit, cuius dextra suprema caluariæ pars adhuc cartilaginosa, ab immani & truculento infanticida,ad sinistri vsque oculi supercilium vulnerata apparuit.Mater conualuit,& diu superstes fuit. Quid clarius, vt liquidò deprehendatur vulnera abdominis, peritonæi, & vteri non esse lethalia? Alia item à sectione Cæsarea fuit ea vteri, peritonæi,ac epigastrij perfossio,quàm suo tempore accidisse Lutetiæ, scribit Hollerius sub finem libri primi de morbis internis. Mulieris vtero gerentis, decimo quinto die priusquàm pareret, fœtus viuens ac vegetus brachium foras propulit, extendítque per vmbilicum matris: quod absque vteri, ac peritonæi,& abdominis materni traiectu, fieri non potuit. Et tamen superstes mater cum fœtu fuit. Imo stato tempore, fœtum incolumem, incolumis ipsa, per naturale ostium emisit. Quam longè horridiorem sectione Cæsarea, vteri, peritonæi & abdominis perfossionem, matris vitæ innoxiam, quisquis Hollerio teste grauissimo, sibi perspecta narrante compererit, non poterit prudenter ambigere, quin incisio illarum partium ex arte facta, possit citra mulieris interitum adhiberi.

Honestas sectionis Cæsareæ in circumstantiis propositis, concluditur, & muta naturæ voce firmatur.

19. Validissimè itaque euictum est, penes nullum è tribus supra propositis capitibus quibus mors matri per sectionem Cæsaream inferri posse videbatur, timendam reuera esse mortis irrogationem. Atque adeò, cum id vnum obstare posset, quominus sectio Cæsarea in euentu de quo disceptamus, honesta & licita haberetur, fatendum ingenuè est, eam licitam esse. Id quod muta naturæ ipsius oratione, argumentis omnibus & ratiunculis nostris robustiore, doceri putat Iacobus Duuallius l. de hermaphrod. & partubus cap. 24. *in fine*. Plerumque igitur natura, infantem in vtero mortuum, cum per communem portam extrudi non potest, tentat abigere per latera, vnde existunt in ventre tumores contra naturam, quos vegetæ naturæ impetu disrumpi, indéque semiputridum cadauer educi non semel contigit, vt docent narrationes à Paræo, libro 25. cap. 16. aliísque adductæ. Refert ex Albucasi l.2. c.76. Marsilius Cagnatus l. 4. obseruat. c.9. mortui fœtus ossa, ab ipso Albucasi, per matris vmbilicum exempta fuisse, matre superstite; quod connitente natura & illhuc miseras reliquias propellente, ob negatum illis conuenientem exitum, accidere oportuit. Hic ergo naturæ connisus ad eum innaturalem exitum mortuo fœtui concedendum, argumento euidenti est, cum fert extrema necessitas, negatúrque fœtui viuo naturalis exitus, fas esse naturam imitari, & fœtum per latera educere,

cere adhibita sectione de qua agimus; dummodò & nihil vitæ fœtus timeatur, quod facilè est cauere si peritus sit artifex; & ex parte matris bona spes felicis euentus affulgeat, ita vt vita matris auferenda non sit vi sectionis, saltem vt causæ partialis, de quo postea.

Vnde, & per quem, de spe boni euentus statuendum.

Exponendum hîc superest, quando sufficienter constare queat de spe probabili boni euentus, & cuius sit de ea spe pronunciare. Dicendum ergo breuiter est, iudicium de ea probabilitate ad Medicum peritum & minimè præcipitem spectare. Sunt enim interdum impij Medici, qui ea occidendi impunitate, nixi, quam in eis Philemon apud Stobæum, & Plinius l. 29. c. 1. deplorant, *discunt periculis nostris,* (reddo Plinij verba,) *& experimenta per mortes agunt.* Tales cæco impetu, in vilibus præsertim capitibus, vt experimentum capiant artis suæ, vel nomen sibi ex ea faciant, proruunt facillimè in insignem aliquam nouitatem. His non plus committenda est ægrorum curatio, quàm laniis & carnificibus; nec securiùs eorum iudiciis statur, quàm agyrtarum & impostorum circumforaneorum. At qui sunt digni ea professione quam Scriptura ipsa honorandam decernit, Origenes homil. 22. in Num. scientiam Deo ipsi maximè propriam censuit, & omnis antiquitas vt diuinum munus suspexit, quod Tiraquellus l. de nobilit. c. 31. fusissimè persequitur, hi prudenter & ritè pensatis omnibus nec nisi delphino anchoræ alligato, vt ferebat

ferebat Octauiani & postea Titi symbolum, id est, non ignauo, sed tamen suspenso gradu, & iusto timore interueniente, pronunciant quæ cuique curatio sit opportuna. Talis igitur Medicus, attenta dispositione ac viribus mulieris,& fœtus conditione; idoneus est ad ferendum iudicium, sítne spes probabilis, quod mater quæ ex circunstantiis apparet omnino impotens ad naturalem partum,non sit letho danda per sectionem Cæsaream, seclusis accidentariis incommodis improuisis, quæ possunt præter artis prænotionem contingere; vnde non variant iudicium de probabilitate boni euentus, quod diximus prælucere debere, vt fas sit adhibere sectionem Cæsaream in euentu de quo agimus. De indiciis huiusmodi, præcognoscendis huic operationi, videdus Roussetus in parænesi ad Chirurgos, & Martinus Akakias l.2. de morb. mul. c.15. ac ex Auicenna Ludou. Mercatus l.4. de mulier. affect. c.5.

CAPVT VI.

An in euentu de quo proximè, sectio Cæsarea non modò licita sit, sed etiam necessaria, & ex obligatione cum subeunda, tum adhibenda.

1. CONSTITVTVM hactenus est, in desperatione partus naturalis cum affulget spes boni euentus, fas esse sectionem Cæsaream

sectionem adhibere. Nunc discutiendum sequitur, an in illis circunstantiis, tale remedium non modò licitum sit, sed etiam ex obligatione, cum excipiendum à matre, tum ab aliis adhibendum, aut curandum. Qua in parte, aliter statuendum esset si haberetur ratio solius matris, quàm statuendum reipsa sit, ad matrem simul ac fœtum (vt par est) attendendo. Quia enim vtriusque illius personæ res agitur in hoc negotio, idcircò vt benè ac ex integra causa de huius operationis necessitate morali, siue obligatione pronuncietur, neutrius respectus prætereundus est, sed vtraque coniunctim consideranda, si plenum iudicium sit ferendum.

Spectato solius matris bono, nulla ei est subeundæ sectionis obligatio.

2. Si igitur haberetur ratio solius matris in circunstantiis in quibus versamur, vix vnquam iniiceretur obligatio admittendi hanc sectionem, & multo minùs eam adhibendi. Nam obligatio aliorum ad sectionem adhibendam, supponit obligationem mulieris ad eam subeundam. Si autem mulier non teneatur, ideóque renuat sectionem excipere; non est dubium quin per se loquendo, alij exoluantur obligatione adhibendi sectionem, vt notum est ex proportione ad obligationem sumendi vel præbendi alia remedia in aliis quibusuis ægritudinibus. Matris ergo obligationem ad subeundam sectionem, quantumuis bona spe affulgente, vix agnoscerem, si res penes eam solam spectaretur, quia posset respuere remedium adeò asperum, & malle de vitæ statione decedere, quàm tanto tormento

tormento subiici. Receptum quippe est apud Doctores, si remedium ægritudinis graues cruciatus sit ægro inuecturum, V. g. si truncatio brachij syderati sit facienda, liberum esse ægro, illam remedij atrocitatem vel vitæ periculo redimere: ita vt neque in debitam vitæ custodiam, neque in charitatem propriam, aliámve vllam virtutem peccet, si adeò asperum retinendæ vitæ medium respuat; quandoquidem nemo secundùm rectam rationem astringi potest, vt vitæ suæ consultum in præsentia velit, per tantos cruciatus: præsertim quorum fructus nunquam possit esse planè certus, nec fortassis sit futurus admodum diuturnus, vel liber à grauibus incommodis, remedij illius vsurpationem per reliquam deinceps vitam consecuturis. Quæ omnia, recta ratio dictat, posse abiectionem studij, de vita per remedium atrox & asperum retinenda, honestare. Ita præter cæteros Bannes 2. 2. q. 65. art. 1. & ibidem Salon. Controu. 2. Torres t. 2. in 2. 2. d. 29. dub. 1. num. 13. Lessius l. de Iust. cap. 9. num. 96. Bonac. disp. 2. de restit. q. vltima, sect. 1. p. 6. qui addit, ne religiosum quidem, cuius voluntas Superiorum arbitrio maximè deuincta est, adigi per Superiores posse ad huiusmodi remedium admittendum; tantum abest, vt persona quæ planè sui iuris est, ex aliquo naturali præcepto ad id teneatur.

3. Imo, (quod non parum conducit ad intelligendum fas esse declinare immanitatem cruciatuum remedio asperrimo adiunctorum; nec tantam esse homini tuendæ vitæ suæ obligationem, vt ad quæcunque fini illi necessaria adigi sit censendus;) nemo æger vi curæ quam vitæ suæ debet, tenetur

tenetur facultates omnes earúmve bonam partem effundere in remedium aliquod cuius admotione sanandus credatur: quia præterquàm quod remedium aliàs efficax, pro varia ægri dispositione sæpè inutile redditur; clarum videtur, profusionem illam impensarum per quam reliqua vita incommodè transigeretur, tam cari remedij prætermissionem honestare, vt rectè statuit Victoria relect. de homicid. num. 35. & Ægidius Coninck 2. 2. q. 27. num. 135. Denique (vt id quoque non omittam, quod ad molliendum apparentem rigorem in neglectu asperrimorum remediorum iuuat permultum;) etiam vulgarium pharmacorum, quæ & modicæ sint impensæ, & vacua cruciatibus, ægro libera est prætermissio, si sibi persuadeat expugnari posse morbum viribus naturæ sibi relictæ, vt sæpè præter expectationem contingit: vel si (quod interdum vsuuenit & ex variis exemplis induci sibi in animum ab ægro potest,) maiorem naturæ exacerbationem ex pharmaci vel remedij vsurpatione vereatur; ita vt natura eo adhibito impar sit futura violentiæ ægritudinis.

Cuiusuis remedij neglectus, aliquando innoxius.

4. Nec desunt qui neglectum & repudiationem quorumuis remediorum, ad exercitationem spei in Deum & resignationem testandam, vacare vitio velint, ita vt possit æger absque culpa, præstolari diuinum auxilium in tali articulo & medicinam carnalem corpori suo adhibere renuat, permittens cursui naturæ & Dei prouidentiæ exitum ægritudinis

dinis suæ. Damnant id quidem nonnulli, vt Nauarrus in summa cap. 11. num. 40. Suares tract. 3. de relig. l. 1. cap. 3. num. 1. Lessius lib. de Iustit. cap. 45. num. 4. Sanches l. 2. in decalog. cap. 34. num. 4. quia putant id esse tentare Deum, atque adeò graui labe sordere. Tamen alij, eam Dei tentationem in tali remediorum prætermissione minimè agnoscunt: quia qui se gerit ad modum quem dixi, non expectat salutem à Deo per miraculum, quod esset tentare Deum; sed diuinæ prouidentiæ & arbitrio committit vitam suam, vt quod è sua potiùs gloria & bono nostro fore perspexerit, id permittat. In quo esse magnam disparitatem, inter reiectionem pharmacorum pro depellenda ægritudine, & reiectionem cuiusuis alimenti pro vita sustentanda ad quod natura ordinauit cibos, latè prosequitur Victoria relect. de Temper. num. 1. qui ibidem *sub finem*, eam reiectionem cuiusuis remedij ad morbi depulsionem videtur simpliciter admittere, tanquam innoxiam & honestam, cùm dicat id planè fas esse, dummodò desit certitudo moralis recuperandæ eo remedio sanitatis; móxque addat, eam moralem certitudinem vix posse haberi. Quinetiam argumentum quo probat, remedium si ea certitudo adsit, non posse absque graui culpa reiici, est planè enerue. Ait enim, qui in simili euentu, proximo ægrotanti remedium negaret, grauiter peccaturum; igitur grauiter quoque peccabit, si sibi eo remedio vsurpato opitulari renuat. Verùm eam consecutionem non esse validam, tradit ipse Victoria relect. de homicid. n. 25. Neque enim quoties teneor vitæ proximi opitulari, æquè teneor opitulari meæ: cũ possim quoad me, cedere iuribus, quibus

quibus non possum cedere quoad alios.

5. Vt vt verò res habeat, cum affulget illa propè paratu impossibilis certitudo moralis, depellendæ ægritudinis; ea deficiente admittit Victoria repudiationem remediorum omnium posse labe vacare. Atque ita viri plerique sanctissimi, reiectionem hanc omnium humanorum remediorum ex motiuo quod proponebam, habuere ratam & licitam. Nominatim S. Macarius homil. 48. *in fine,* S. Diadochus l. de perfect. spir. c. 53. S. Bernardus epistol. 321. S. Ephrem tomo 1. tract. de fide, vbi Vossius alios adducit. Fauet S. Chrysostomus homil. 14. in 1. ad Timoth. *sub finem partis moralis,* agens de ægris in cœnobiis. Viguisse eam praxim in quodam sanctarum Virginum monasterio, habetur in Actis S. Euphrasiæ cap. 6. Et idem seruasse S. Fulgentium moribundum, scribit autor vitæ eius cap. 30. & firmatum esse miraculo in sorore sua S. Macrina, narrat in eius vita Gregorius Nyssenus, cum agit de sancto eius cadauere. Quæ omnia intelligenda sunt per se loquendo, & seclusis extrinsecis causis quibus quis ob alienam communem aut priuatam necessitatem, teneatur conseruandæ vitæ suæ inuigilare, quocunque licito modo, aut nisi ex conscientia errante putet se obligari vitam conseruare per medicamenta. In quibus euentibus locum habent quæ de vocatione & obedientia erga Medicum sub obligationem cadente, tradit Codronchus l. 2. de Christ. med. ratio. c. 1. & 2. Et idem extendit Molin. tract. 3. disp. 1. *in fine,* ad constitutos sub alterius obedientia.

Mater sectionem renuens non esset causa mortis suæ.

Ex his apertissimè concluditur, vix vnquam adigendam matrem, si res per se loquendo & ex parte eius duntaxat, spectaretur; admittere sectionem Cæsaream, quæ & summos cruciatus adiunctos habet, & omnimodam certitudinem seruandæ vitæ præbere nunquam potest. At neque charitas propria, neque fortitudo, nec alia vlla virtus, obligationem iniicit vitæ cum tantis cruciatibus retinendæ. Perperam verò ea reiectio sectionis Cæsareæ per matrem, insimularetur influxus moralis, vel qualiscunque cooperationis, in mortem suam. Nam cooperatio physica perspicuè deest. Moralis autem absque debito operandi interuenire non potest. Itaque probādum priùs esset, teneri matrem admittere huiusmodi remedium. At hoc est de quo disceptamus. Itaque probare, teneri matrem in euentu proposito admittere sectionem Cæsaream, quia alioqui cooperabitur moraliter in mortem suam, est petere principium. Accedit quod ex non extracto per hunc modum fœtu, non sequitur necessariò mors matris: quia quamvis fœtus, secluso partu naturali nisi per sectionem eximatur, sit matri immoriturus: tamen vel aliis magis ordinariis operationibus eximi poterit per naturale ostium, vel naturæ solius viribus excerni, vt sæpè accidisse, dicemus cap. 13. Quare si res penes matrem solam attendatur, ægrè continget iniici illi necessitatem admittendi sectionem Cæsaream in euentu proposito, si velit grauis peccati exsors esse.

Vnde

Vnde eleuanda sectionis in matre obligatio, si doloris atrocitate non elidatur.

6. Video opponi posse, declinationem cruciatuum non posse honestare neglectum sectionis. Neque enim reuera mater declinabit immanes dolores, cum non minùs atroces ei subeundi sint à prole non exempta. In quo est latum discrimen inter rem præsentem, & truncationem brachij, alteriúsve membri adeò malè affecti, vt nisi resecetur, sit futurum corpori exitiale. Tunc enim æger declinat atroces dolores sectionis, nec subiacet aliis vel æqualibus vel maioribus, repudiationem sectionis consecuturis. At in præsenti negotio, mater retento fœtu non minùs immaniter excruciabitur: siue quamdiu fœtus intra vterum superstes erit, & ad exitum connitetur, siue post fœtus interitum à tabefacto eius cadauere & fœda illa mortui corporis cum viuo coniunctione, aut violenta extractione per lanienam ab artis auxilio. Cadaueris verò illius exclusionem, naturæ cursui velle permittere, perinde esse videtur, ac vitam meditatò prodigere, in tanta exclusionis illius per naturæ vires incertitudine, & certa mortis inuectione, ni fœtus matri immortuus alicunde excernatur è matris vtero, imò sepulcro.

Respondendum est, hanc incertitudinem exclusionis, tantam non esse, vt obligare possit mulierem ad subeundam sectionem Cæsaream, cum non rarò contigerit aliter excludi solis naturæ viribus fœtum vtero immortuum, vt suo loco monstrabitur. Quod verò ad dolorum æqualitatem attinet, siue admittatur siue repudietur sectio Cæsarea, viderint

alij quid ſtatuant. Nam ego quidem pronunciare de ea æqualitate non poſſum. Sed licet eam gratis agnoſcere lubeat; ac etiam licet perfugium illud de permittenda ægritudine curſui naturæ, intutum eſſe velimus; adhuc ſupereſt vnde mater eximi queat obligatione admittendi ſectionem Cæſaream, ſi res penes eam ſolam ſpectetur in euentu de quo agimus. Nimirum magnus horror tam inſolentis remedij, ſatis ſupérque eſſe poteſt, vt mulier ſolum eius bonum attendendo, illa obligatione liberetur. Quotieſcunque enim, etiam abſque immanibus doloribus idcirco ſubeundis, magnus horror remedij cuiuſpiam occupat ægrum, non tenetur horrorem illum vincere, vt vitæ ſuæ conſulat, & ægritudinem depellat. Hac ratione, nemo in extrema fame tenetur cibare ſe carnibus hominis, ſiue naturaliter mortui, ſiue alia iam ex cauſa occiſi: quia ſcilicet homo non tenetur vitam conſeruare tam horrifico medio à quo natura tantoperè abhorret, vt rectè affirmat Sanches lib. 1. in decalog. c. 18. num. 14. & Leſſius l. de Temper. num. 12. Quanquam enim non peccaret qui in tanta neceſſitate carnibus illis veſceretur, vt rectè iidem autores tradunt, Leſſius num. 10. & Sanches num. 12. malè repugnante Victoria relect. de Temper. num. 6. & Valentia 2. 2. d. 9. q. 3. p. 1. problematicè autem rem agitante Maldero de Iuſtitia tract. 3. c. 1. dub. 1. Tamen ſummus horror illius pabuli, exoluit hominem obligatione ſe ita cibandi, & vitam ſuſtentandi eo ritu belluino. Id quod æquè ad vſurpationem felium, canum, murium, calceorum, & ſimilium in cibum extendo, quamuis aliqui in ſumma neceſſitate talia comederint, nec comedendo peccarint.

7. Quia

7. Quia igitur facillimè potest accidere, vt sexus fragilis & imaginosus, ad sectionis Cæsareæ propositionem insigni horrore percellatur, meritò liberandus esset obligatione illam subeundi, etiamsi dolores acerbiores iis quos perfert, vel etiam pares minimè timeret, quantum quidem est ex parte solius charitatis propriæ, & studij ab vnoquoque debiti vitæ suæ, vt sit custos eius fidelis. Si tamen dolores præconciperêtur mitiores à sectione quàm à retentione fœtus, & deesset horror sectionis, vt fortassis posset accidere post experimentum sectionis aliàs exceptæ, per eandem fœminam; nec placeret approbare principium superiùs adductum de morbis licitè permittendis cursui naturæ: Tunc fatendum esset, prægnantem affulgente probabili spe boni euentus, obligandam esse ad subeundam sectionem, etiam ratione suimet solius. Quia tamen hæc obligatio non nisi cum tot temperamentis enasci potest, idcirco dixi, mulierem in euentu de quo agebamus, rem spectando penes ipsam solam, vix vnquam teneri admittere sectionem Cæsaream, sed posse ferè semper absque peccato, illam respuere.

Spectato prolis bono, mater in circunstantiis propositis, sectionem subire tenetur, ex charitate, vel vitam propriam saluti æternæ alterius præferente.

8. Iam verò si hoc negotium non modo penes matrem spectetur, sed etiam (vt sanè par est,) penes fœtum, cuius & vita temporaria & salus æterna pendere ex sectione matris supponitur; sic

 fateor,

fateor, matrem ex charitate erga fœtum teneri admittere sectionem Cæsaream. Quod in euétu quem nunc excutimus, in quo scilicet affulget bona spes, eo validiùs euincitur, quod vel si vita nostra corporalis exponenda esset manifesto discrimini, non licere tamen periculum illud declinare, vt spirituale bonum alicuius extrema necessitate pressi locaretur in tuto, sententia est grauissimorum Theologorum omni acceptione digna. Ita D. Thomas 2.2. q.26. art.5. & ibi interpretes, nominatim Malderus assert. 1. qui notat Scholasticos communiter consentire in 3. d.27. vel 29. Corduba l.1. q. 26. in 2. puncto. Lopes 1.p. instruct. c. 67. Idem habet Toletus in summa l. 4. c. 10. num. 2. Azor. t. 2. l. 12. cap.4. §. *tertio loco.* Nauarrus in summa cap.24.n.9. & fusè in cap. *non inferenda* 23. q. 3. à num. 10. sparsim ad 47. Abul. in c.18. Matth. q.95. Gabriel lect.74. in Canon. *litera O.* Castro de charit. disp.1. p.9 Esse quoque communem omnium Doctorum sententiā, docet Lorca 2.2.sect.3.disp.28. membr.2. & Ægid.Coninck disp.25. de actibus supern. n.86. qui alios multos proferunt. Et quamuis dissidium est inter DD. hícne aut ille euentus è plurimis quos proponunt, contineat extremam proximi necessitatem spiritualem, quæ meritò præferenda sit saluti nostræ corporeæ; tamen posito quod sit verè extrema necessitas spiritualis, qua proximus laborat; possítque nostra opera etiam cum vitæ corporeæ dispendio & obiectatione in patens discrimen subleuari; omnes æquè consentiunt, obligationem cuique iniici proximum subleuandi, cum proprio discrimine prædicto: iuxta illud 1. Ioan. 3. quod aut nunquam obligat, aut saltem in tali euentu:
Christus

Christus *animam suam*, id est vitam, *pro nobis posuit*; *& nos debemus pro fratribus animas ponere*. Ratio D. Thomæ ad hunc charitatis ordinem confirmandum, inde ducitur, quod in ea prælatione extremæ necessitatis spiritualis alienæ supra salutem nostram corpoream, atque adeò in tali bono proximi, magis eluceat ratio motiua charitatis, cum maius Dei externum bonum, id est, auctior gloria inde redundet.

9. Ex hoc principio, inferunt non pauci, quos refert & sequitur Philibertus Marchinus de bello diuino p. 1. c. 9. si verè sit extrema necessitas spiritualis alicubi tempore pestis, & desit alius qui eam subleuet, ego autem subleuare possim, docendo quod præcisè necessarium est ad æternam salutem, vel sacramentum necessarium ministrando, teneri me abiicere hac ex parte studium meæ conseruationis, & adire discrimen vitæ corporeæ, ne aliis anima in æternum pereat. Et quamuis quoad adultos tricari aliquatenus liceat, eo quod non sit ita obuium quis sit quoad eos supremæ egestatis spiritualis articulus: Tamen quoad infantes absque baptismo morituros nisi ego subueniam, saltem si sint infantes Christianorum, longè communissima doctrina est, infantes illos laborare extrema necessitate spirituali, ideóque per me & vnumquemque qui fortè solus possit, opitulandum illis esse, ex graui obligatione charitatis: etiamsi opitulatoris vita corporea, in apertum discrimen ventura esset. Ita Syluester V. *bellum* 2. q. 4. Corduba lib. 1. q. 26. in 2. parte quæstionis, §. *sed aliter*, Maior in 4. d. 15. q. 22. Fumus V. *homicidium*, num. 7. Nauarrus in summa cap. 14. num. 9. Lopes (tametsi nonnihil

 anceps)

anceps) 1.p. instr. c. 67. Filliuc. tract.28. num.35. Lorca 2. 2. ſ 3. d 28. membro 2. num.32. Ægidius disp. 25. de actibus supern. num. 88. & passim alij: qui consequenter debent concedere, matrem prægnantem, si probabilis spes affulgeat salutis suæ corporeæ, ita vt sectio eius non sit trucidatio innoxiæ, teneri admittere sectionem Cæsaream, vt fœtui in extrema necessitate spirituali constituto subueniatur, collatione baptismi quo alioqui cariturus esset, vnáque æternæ salutis iacturam faceret: quia *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, (saltem in voto, id est, in actu perfectæ charitatis, cuius fœtus non est capax,) *non potest introire in regnum Dei.*

Noua conuulsio obligationis prædictæ, iniectæ à charitate.

10. Contrarium tradit Ioannes Sanches disp. 10. selecta num. 9. vbi & principium generale ex D.Thoma positum, de necessaria vitæ propriæ corporalis expositione, vt salus animæ proximi in extremum discrimen vocata locetur in tuto, conuellendum suscipit, & æquè impetit indè erutam doctrinam de obligatione baptizandi infantem sine baptismo moriturum; ac etiam de obligatione matris in tali euentu, ad sectionem Cæsaream affulgente spe boni exitus admittendam. Ne autem cum D. Thoma pugnare videatur, quem diximus affirmare secundùm obligationem charitatis ordinatæ, vitam nostram corpoream postponendam esse saluti spirituali proximorum, ait Sanches D.Thomam ita accipi debere, vt tantùm velit *quod quis amore vitæ suæ conseruandæ, non præstet consilium proximo pa-*

trandi

trandi scelus: siue quod positiuè ad necem spiritualem ipsius non concurrat, quia tunc amans vitam corporalem suam, æternam perdit, peccato deprauati consilij intercedente. At quod non omittat prouidere animæ proximi, ob conseruandam propriam vitam, non affirmat D. Thomas: nisi fortè in casu quo pactum intercessisset de non omittenda cura animæ proximi, etiam cum periculo propriæ vitæ. Addit idem autor, Doctores illos qui absolutè dixerunt obligari hominem vitam suam spiritualem posthabere spirituali vitæ proximi in extremum discrimen adductæ, *aberrare sanè, & quod ipsi nequaquam exequerentur, cæteros exequi esse obnoxios docere.*

Improbatur.

11. Hæc conuulsio communis doctrinæ, nullo modo est probanda. Quod enim communiter DD. agnoscant obligationem secundùm charitatem ordinatam postponendi propriam vitam corpoream spirituali vitæ aliorum ad extrema deductæ, is tantum diffiteri potest, qui vltrò vult oculos occludere, aut quæ in oculos incurrunt non vult perspicere. Nominatímque ridiculum est, S. Thomæ mentem tam conceptis verbis proditam, & ipsis (vt ita dicam) Solis radiis expressam, contorquere ad solam exclusionem inuitationis ad peccandum, ne inuitantis vita corporea exscindatur; vel certè ad solum euentum obligationis ex pacto oneroso de non omittenda cura spiritualis salutis proximorum, etiam cum periculo propriæ vitæ corporeæ: cuiusmodi obligatione posset etiam quis deuinciri ratione acceptæ in eum finem pecuniæ. Eas quidem

[illegible] dari, nemo diffitetur. Nam quis ferat [illegible] alium velit anima & corpore perdere ac [illegible] in gehennam, vt carni suæ benè sit, & vi[illegible] aliquando finiendam, paulo citiùs non abrum[illegible] Itaque tenetur quilibet mori potiùs, quàm vt [illegible] viuat, fieri alteri laqueus æternæ perditio[illegible]. Altera item obligatio præferendæ salutis spiri[illegible] alienæ saluti propriæ corporeæ, non est am[illegible]. Eáque obstringi Parochos & alios qui ex officio iuuare plebem in spiritualibus debent, vt possent grassante lue, etiamsi de vita sint pericli[illegible]turi, fusè exponunt Suares t. 4. 3. p. d. 44. s. 3. num. 8. Rutilius Benzonius in speculo Episcoporum l. 1. disp. 1. q. 1. Marchinus de bello diuino p. 1. c. 2. qui num. 4. allegat in hanc rem omnino multos, monstrátque esse omnium Theologorum sententiam vnanimem. Verùm hæc secunda obligatio non est charitatis, de quâ sola agebat D. Thomas, sed iustitiæ. Prior autem, est ipsamet obligatio cauendi scandali actiui, quæ vt plurimùm non est obligatio charitatis, sed alterius virtutis. Nam quamuis scandalum speciale, quod cum ea obligatione specialiter colliditur, sit peccatum contra charitatem, ideóque ex obligatione charitatis auertentis malum proximi, vitandum sit: Tamen scandalum illud est infrequentissimum, quia pauci sunt adeò efferatæ impietatis, vt directè intendant spiritualem proximi cladem, quæ est notio scandali specialis, charitati aduersantis. At scandalum generaliter dictum, quod in vsu plurimorum est, nec nisi indirecta volitione spiritualis miseriæ alienæ constituitur, non est speciale peccatum, distinctum ab eo ad quod proximus verbo aut exemplo pellicitur

vnd-

vnde obligatio illud vitandi, plerunque est aliarum virtutum quàm charitatis: earum nimirum ad quarum violationem per actus contrarios fit inductio. Quam esse perspicuam D. Thomæ sententiam, liquet ex 2. 2. q.43. art. 3. & latè euincunt Vasques 1. 2. d. 102. cap. 4. & Torres t. 1. in 2. 2. d. 95. dub.3. Vt quid ergo D.Thomas, tractans ordinem charitatis & præcepta illa connexa, præposterè ac extra locum auertisset disputationem ad præceptum cuius obseruatio aliis potiùs virtutibus incumbit, quàm charitati? Quid quod locus D. Augustini ex 1. de doctr. Christ. cap. 27. quem D. Thomas adducit, & ratio quam pro sua sententia profert, apertè clamant, mentem D. Thomæ fuisse, quam diximus?

12. Quare præstitisset reuerenter S. Doctorem abiicere, quàm adeò distorta interpretatione ei illudere. Iudicium verò,quo autor cum quo agimus, ex se metiens cæteros, grauat Doctores communissimæ doctrinæ astipulatos, pronuncians eos alligare in humeros hominum onus graue, quod ipsi in tali euentu detrectarent, hoc inquam iudicium probrosum, veriùs conuicium, non est quod repellatur: cum non quæratur quid quisque facturus esset secundùm ordinem charitatis, si in tali occasione constitueretur, sed quid facere astringeretur. Et per Dei gratiam & benignitatem, abundamus exemplis antiquis & nuperis, eorum qui tradiderunt animas suas, (vitæ inquam studium abiecerunt,) vt aliorum animas extrema necessitate pressas iuuarét. Nec enim dedidicimus Christi pugiles, qui grassante annis superioribus lüe, vt plerisque per Sacramenta certam facerent spem salutis de qua

Mater sectionem renuens non esset causa mortis suæ.

Ex his apertissimè concluditur, vix vnquam adigendam matrem, si res per se loquendo & ex parte eius duntaxat, spectaretur; admittere sectionem Cæsaream, quæ & summos cruciatus adiunctos habet, & omnimodam certitudinem seruandæ vitæ præbere nunquam potest. At neque charitas propria, neque fortitudo, nec alia vlla virtus, obligationem iniicit vitæ cum tantis cruciatibus retinendæ. Perperam verò ea reiectio sectionis Cæsareæ per matrem, insimularetur influxus moralis, vel qualiscunque cooperationis, in mortem suam. Nam cooperatio physica perspicuè deest. Moralis autem absque debito operandi interuenire non potest. Itaque probādum priùs esset, teneri matrem admittere huiusmodi remedium. At hoc est de quo disceptamus. Itaque probare, teneri matrem in euentu proposito admittere sectionem Cæsaream, quia alioqui cooperabitur moraliter in mortem suam, est petere principium. Accedit quod ex non extracto per hunc modum fœtu, non sequitur necessariò mors matris: quia quamvis fœtus, secluso partu naturali nisi per sectionem eximatur, sit matri immoriturus: tamen vel aliis magis ordinariis operationibus eximi poterit per naturale ostium, vel naturæ solius viribus excerni, vt sæpè accidisse, dicemus cap. 13. Quare si res penes matrem solam attendatur, ægrè continget iniici illi necessitatem admittendi sectionem Cæsaream in euentu proposito, si velit grauis peccati exsors esse.

Vnde

Vnde eleuanda sectionis in matre obligatio, si doloris atrocitate non elidatur.

6. Video opponi posse, declinationem cruciatuum non posse honestare neglectum sectionis. Neque enim reuera mater declinabit immanes dolores, cum non minùs atroces ei subeundi sint à prole non exempta. In quo est latum discrimen inter rem præsentem, & truncationem brachij, alteriúsve membri adeò malè affecti, vt nisi resecetur, sit futurum corpori exitiale. Tunc enim æger declinat atroces dolores sectionis, nec subiacet aliis vel æqualibus vel maioribus, repudiationem sectionis consecuturis. At in præsenti negotio, mater retento fœtu non minùs immaniter excruciabitur: siue quamdiu fœtus intra vterum superstes erit, & ad exitum connitetur, siue post fœtus interitum à tabefacto eius cadauere & fœda illa mortui corporis cum viuo coniunctione, aut violenta extractione per lanienam ab artis auxilio. Cadaueris verò illius exclusionem, naturæ cursui velle permittere, perinde esse videtur, ac vitam meditatò prodigere, in tanta exclusionis illius per naturæ vires incertitudine, & certa mortis inuectione, ni fœtus matri immortuus alicundę excernatur è matris vtero, imò sepulcro.

Respondendum est, hanc incertitudinem exclusionis, tantam non esse, vt obligare possit mulierem ad subeundam sectionem Cæsaream, cum non raro contigerit aliter excludi solis naturæ viribus fœtum vtero immortuum, vt suo loco monstrabitur. Quod verò ad dolorum æqualitatem attinet, siue admittatur siue repudietur sectio Cæsarea, viderint

alij quid statuant. Nam ego quidem pronunciare de ea æqualitate non possum. Sed licet eam gratis agnoscere lubeat; ac etiam licet perfugium illud de permittenda ægritudine cursui naturæ, intutum esse velimus; adhuc superest vnde mater eximi queat obligatione admittendi sectionem Cæsaream, si res penes eam solam spectetur in euentu de quo agimus. Nimirum magnus horror tam insolentis remedij, satis supérque esse potest, vt mulier solum eius bonum attendendo, illa obligatione liberetur. Quotiescunque enim, etiam absque immanibus doloribus idcirco subeundis, magnus horror remedij cuiuspiam occupat ægrum, non tenetur horrorem illum vincere, vt vitæ suæ consulat, & ægritudinem depellat. Hac ratione, nemo in extrema fame tenetur cibare se carnibus hominis, siue naturaliter mortui, siue alia iam ex causa occisi: quia scilicet homo non tenetur vitam conseruare tam horrifico medio à quo natura tantoperè abhorret, vt rectè affirmat Sanches lib. 1. in decalog. c. 18. num. 14. & Lessius l. de Temper. num. 12. Quanquam enim non peccaret qui in tanta necessitate carnibus illis vesceretur, vt rectè iidem autores tradunt, Lessius num. 10. & Sanches num. 12. malè repugnante Victoria relect. de Temper. num. 6. & Valentia 2. 2. d. 9. q. 3. p. 1. problematicè autem rem agitante Maldero de Iustitia tract. 3. c. 1. dub. 1. Tamen summus horror illius pabuli, exoluit hominem obligatione se ita cibandi, & vitam sustentandi eo ritu belluino. Id quod æquè ad vsurpationem felium, canum, murium, calceorum, & similium in cibum extendo, quamuis aliqui in summa necessitate talia comederint, nec comedendo peccarint.

7. Quia

7. Quia igitur facillimè poteſt accidere, vt ſexus fragilis & imaginoſus, ad ſectionis Cæſareæ propoſitionem inſigni horrore percellatur, meritò liberandus eſſet obligatione illam ſubeundi, etiamſi dolores acerbiores iis quos perfert, vel etiam pares minimè timeret, quantum quidem eſt ex parte ſolius charitatis propriæ, & ſtudij ab vnoquoque debiti vitæ ſuæ, vt ſit cuſtos eius fidelis. Si tamen dolores præconciperētur mitiores à ſectione quàm à retentione fœtus, & deeſſet horror ſectionis, vt fortaſſis poſſet accidere poſt experimentum ſectionis aliàs exceptæ, per eandem fœminam; nec placeret approbare principium ſuperiùs adductum de morbis licitè permittendis curſui naturæ: Tunc fatendum eſſet, prægnantem affulgente probabili ſpe boni euentus, obligandam eſſe ad ſubeundam ſectionem, etiam ratione ſuimet ſolius. Quia tamen hæc obligatio non niſi cum tot temperamentis enaſci poteſt, idcirco dixi, mulierem in euentu de quo agebamus, rem ſpectando penes ipſam ſolam, vix vnquam teneri admittere ſectionem Cæſaream, ſed poſſe ferè ſemper abſque peccato, illam reſpuere.

Spectato prolis bono, mater in circunſtantiis propoſitis, ſectionem ſubire tenetur, ex charitate, vel vitam propriam ſaluti æternæ alterius præferente.

8. Iam verò ſi hoc negotium non modo penes matrem ſpectetur, ſed etiam (vt ſanè par eſt,) penes fœtum, cuius & vita temporaria & ſalus æterna pendere ex ſectione matris ſupponitur; ſic

fateor, matrem ex charitate erga fœtum teneri admittere sectionem Cæsaream. Quod in euētu quem nunc excutimus, in quo scilicet affulget bona spes, eo validiùs euincitur, quod vel si vita nostra corporalis exponenda esset manifesto discrimini, non licere tamen periculum illud declinare, vt spirituale bonum alicuius extrema necessitate pressi locaretur in tuto, sententia est grauissimorum Theologorum omni acceptione digna. Ita D. Thomas 2.2. q.26. art.5. & ibi interpretes, nominatim Malderus assert. 1. qui notat Scholasticos communiter consentire in 3. d.27. vel 29. Corduba l.1. q. 26. in 2. puncto. Lopes 1.p. instruct. c. 67. Idem habet Toletus in summa l. 4. c. 10. num. 2. Azor. t. 2. l. 12. cap.4. §. *tertio loco.* Nauarrus in summa cap.24.n.9. & fusè in cap. *non inferenda* 23. q. 3. à num. 10. sparsim ad 47. Abul. in c.18. Matth. q.95. Gabriel lect.74 in Canon. *litera O.* Castro de charit. disp.1. p.9 Esse quoque communem omnium Doctorum sententiã, docet Lorca 2.2.sect.3.disp.28. membr.2. & Ægid. Coninck disp.25. de actibus supern. n.86. qui alios multos proferunt. Et quamuis dissidium est inter DD. hícne aut ille euentus è plurimis quos proponunt, contineat extremam proximi necessitatem spiritualem, quæ meritò præferenda sit saluti nostræ corporeæ; tamen posito quod sit verè extrema necessitas spiritualis, qua proximus laborat; posśitque nostra opera etiam cum vitæ corporeæ dispendio & obiectatione in patens discrimen subleuari; omnes æquè consentiunt, obligationem cuique iniici proximum subleuandi, cum proprio discrimine prædicto: iuxta illud 1. Ioan. 3. quod aut nunquam obligat, aut saltem in tali euentu:

Christus

Christus *animam suam*, id est vitam, *pro nobis posuit*; *& nos debemus pro fratribus animas ponere*. Ratio D. Thomæ ad hunc charitatis ordinem confirmandum, inde ducitur, quod in ea prælatione extremæ necessitatis spiritualis alienæ supra salutem nostram corpoream, atque adeò in tali bono proximi, magis eluceat ratio motiua charitatis, cum maius Dei externum bonum, id est, auctior gloria inde redundet.

9. Ex hoc principio, inferunt non pauci, quos refert & sequitur Philibertus Marchinus de bello diuino p.1. c.9. si verè sit extrema necessitas spiritualis alicubi tempore pestis, & desit alius qui eam subleuet, ego autem subleuare possim, docendo quod præcisè necessarium est ad æternam salutem, vel sacramentum necessarium ministrando, teneri me abiicere hac ex parte studium meæ conseruationis, & adire discrimen vitæ corporeæ, ne aliis anima in æternum pereat. Et quamuis quoad adultos tricari aliquatenus liceat, eo quod non sit ita obuium quis sit quoad eos supremæ egestatis spiritualis articulus: Tamen quoad infantes absque baptismo morituros nisi ego subueniam, saltem si sint infantes Christianorum, longè communissima doctrina est, infantes illos laborare extrema necessitate spirituali, ideóque per me & vnumquemque qui fortè solus possit, opitulandum illis esse, ex graui obligatione charitatis: etiamsi opitulatoris vita corporea, in apertum discrimen ventura esset. Ita Syluester V. *bellum* 2. q.4. Corduba lib.1. q.26. in 2.parte quæstionis, §. *sed aliter*, Maior in 4.d.15. q. 22. Fumus V. *homicidium*, num. 7. Nauarrus in summa cap. 24. num. 9. Lopes (tametsi nonnihil

 anceps)

anceps) 1.p. instr. c. 67. Filliuc. tract.28. num.35. Lorca 2. 2. f 3. d 28. membro 2. num.32. Ægidius disp. 25. de actibus supern. num. 88. & passim alij: qui consequenter debent concedere, matrem prægnantem, si probabilis spes affulgeat salutis suæ corporeæ, ita vt sectio eius non sit trucidatio innoxiæ, teneri admittere sectionem Cæsaream, vt fœtui in extrema necessitate spirituali constituto subueniatur, collatione baptismi quo alioqui cariturus esset, vnáque æternæ salutis iacturam faceret: quia *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, (saltem in voto, id est, in actu perfectæ charitatis, cuius fœtus non est capax,) *non potest introire in regnum Dei.*

Noua conuulsio obligationis prædictæ, iniectæ à charitate.

10. Contrarium tradit Ioannes Sanches disp. 10. selecta num. 9. vbi & principium generale ex D.Thoma positum, de necessaria vitæ propriæ corporalis expositione, vt salus animæ proximi in extremum discrimen vocata locetur in tuto, conuellendum suscipit, & æquè impetit indę erutam doctrinam de obligatione baptizandi infantem sine baptismo moriturum; ac etiam de obligatione matris in tali euentu, ad sectionem Cæsaream affulgente spe boni exitus admittendam. Ne autem cum D. Thoma pugnare videatur, quem diximus affirmare secundùm obligationem charitatis ordinatæ, vitam nostram corpoream postponendam esse saluti spirituali proximorum, ait Sanches D.Thomam ita accipi debere, vt tantùm velit *quod quis amore vitæ suæ conseruandæ, non præstet consilium proximo pa-*

trandi

trandi scelus: siue quod positiuè ad necem spiritualem ipsius non concurrat, quia tunc amans vitam corporalem suam, æternam perdit, peccato deprauati consilij intercedente. At quod non omittat prouidere animæ proximi, ob conseruandam propriam vitam, non affirmat D. Thomas: nisi fortè in casu quo pactum intercessisset de non omittenda cura animæ proximi, etiam cum periculo propriæ vitæ. Addit idem autor, Doctores illos qui absolutè dixerunt obligari hominem vitam suam spiritualem posthabere spirituali vitæ proximi in extremum discrimen adductæ, *aberrare sanè, & quod ipsi nequaquam exequerentur, cæteros exequi esse obnoxios docere.*

Improbatur.

11. Hæc conuulsio communis doctrinæ, nullo modo est probanda. Quod enim communiter DD. agnoscant obligationem secundùm charitatem ordinatam postponendi propriam vitam corpoream spirituali vitæ aliorum ad extrema deductæ, is tantum diffiteri potest, qui vltrò vult oculos occludere, aut quæ in oculos incurrunt non vult perspicere. Nominatímque ridiculum est, S. Thomæ mentem tam conceptis verbis proditam, & ipsis (vt ita dicam) Solis radiis expressam, contorquere ad solam exclusionem inuitationis ad peccandum, ne inuitantis vita corporea exscindatur; vel certè ad solum euentum obligationis ex pacto oneroso de non omittenda cura spiritualis salutis proximorum, etiam cum periculo propriæ vitæ corporeæ: cuiusmodi obligatione posset etiam quis deuinciri ratione acceptæ in eum finem pecuniæ. Eas quidem

obligationes dari, nemo diffitetur. Nam quis ferat eum qui alium velit anima & corpore perdere ac trudere in gehennam, vt carni suæ benè sit, & vitam aliquando finiendam,paulo citiùs non abrumpat? Itaque tenetur quilibet mori potiùs, quàm vt corpore viuat, fieri alteri laqueus æternæ perditionis. Altera item obligatio præferendæ salutis spiritualis alienæ saluti propriæ corporeæ, non est ambigua. Eáque obstringi Parochos & alios qui ex officio iuuare plebem in spiritualibus debent, vt perstent grassante lue, etiamsi de vita sint periclitaturi, fusè exponunt Suares t. 4. 3. p. d.44. s.3. num. 8. Rutilius Benzonius in speculo Episcoporum l. 1. disp. 1. q. 1. Marchinus de bello diuino p. 1. c. 2. qui num. 4. allegat in hanc rem omnino multos, monstrátque esse omnium Theologorum sententiam vnanimem. Verùm hæc secunda obligatio non est charitatis,de qua sola agebat D.Thomas,sed iustitiæ. Prior autem, est ipsamet obligatio cauendi scandali actiui, quæ vt plurimùm non est obligatio charitatis, sed alterius virtutis. Nam quamuis scandalum speciale, quod cum ea obligatione specialiter colliditur, sit peccatum contra charitatem,ideóque ex obligatione charitatis auertentis malum proximi, vitandum sit: Tamen scandalum illud est infrequentissimum, quia pauci sunt adeò efferatæ impietatis, vt directè intendant spiritualem proximi cladem,quæ est notio scandali specialis, charitati aduersantis. At scandalum generaliter dictum, quod in vsu plurimorum est, nec nisi indirecta volitione spiritualis miseriæ alienæ constituitur, non est speciale peccatum, distinctum ab eo ad quod proximus verbo aut exemplo pellicitur; vnde

vnde obligatio illud vitandi, plerunque est aliarum virtutum quàm charitatis: earum nimirum ad quarum violationem per actus contrarios fit inductio. Quam esse perspicuam D. Thomæ sententiam, liquet ex 2. 2. q.43. art. 3. & latè euincunt Vasques 1. 2. d. 102. cap. 4. & Torres t. 1. in 2. 2. d. 95. dub.3. Vt quid ergo D.Thomas, tractans ordinem charitatis & præcepta illa connexa, præposterè ac extra locum auertisset disputationem ad præceptum cuius obseruatio aliis potiùs virtutibus incumbit, quàm charitati? Quid quod locus D. Augustini ex 1. de doctr. Christ. cap. 27. quem D. Thomas adducit, & ratio quam pro sua sententia profert, apertè clamant, mentem D. Thomæ fuisse, quam diximus?

12. Quare præstitisset reuerenter S. Doctorem abiicere, quàm adeò distorta interpretatione ei illudere. Iudicium verò,quo autor cum quo agimus, ex se metiens cæteros, grauat Doctores communissimæ doctrinæ astipulatos, pronuncians eos alligare in humeros hominum onus graue, quod ipsi in tali euentu detrectarent, hoc inquam iudicium probrosum, veriùs conuicium, non est quod repellatur: cum non quæratur quid quisque facturus esset secundùm ordinem charitatis, si in tali occasione constitueretur, sed quid facere astringeretur. Et per Dei gratiam & benignitatem, abundamus exemplis antiquis & nuperis, eorum qui tradiderunt animas suas, (vitæ inquam studium abiecerunt,) vt aliorum animas extrema necessitate pressas iuuarét. Nec enim dedidicimus Christi pugiles, qui grassante annis superioribus lüe, vt plerisque per Sacramenta certam facerent spem salutis de

qua

Mater sectionem renuens non esset causa mortis suæ.

Ex his apertissimè concluditur, vix vnquam adigendam matrem, si res per se loquendo & ex parte eius duntaxat, spectaretur; admittere sectionem Cæsaream, quæ & summos cruciatus adiunctos habet, & omnimodam certitudinem seruandæ vitæ præbere nunquam potest. At neque charitas propria, neque fortitudo, nec alia vlla virtus, obligationem iniicit vitæ cum tantis cruciatibus retinendæ. Perperam verò ea reiectio sectionis Cæsareæ per matrem, insimularetur influxus moralis, vel qualiscunque cooperationis, in mortem suam. Nam cooperatio physica perspicuè deest. Moralis autem absque debito operandi interuenire non potest. Itaque probãdum priùs esset, teneri matrem admittere huiusmodi remedium. At hoc est de quo disceptamus. Itaque probare, teneri matrem in euentu proposito admittere sectionem Cæsaream, quia alioqui cooperabitur moraliter in mortem suam, est petere principium. Accedit quod ex non extracto per hunc modum fœtu, non sequitur necessariò mors matris: quia quamvis fœtus, secluso partu naturali nisi per sectionem eximatur, sit matri immoriturus; tamen vel aliis magis ordinariis operationibus eximi poterit per naturale ostium, vel naturæ solius viribus excerni, vt sæpè accidisse, dicemus cap. 13. Quare si res penes matrem solam attendatur, ægrè continget iniici illi necessitatem admittendi sectionem Cæsaream in euentu proposito, si velit grauis peccati exsors esse.

Vnde

Vnde eleuanda sectionis in matre obligatio, si doloris atrocitate non elidatur.

6. Video opponi posse, declinationem cruciatuum non posse honestare neglectum sectionis. Neque enim reuera mater declinabit immanes dolores, cum non minùs atroces ei subeundi sint à prole non exempta. In quo est latum discrimen inter rem præsentem, & truncationem brachij, alteriúsve membri adeò malè affecti, vt nisi resecetur, sit futurum corpori exitiale. Tunc enim æger declinat atroces dolores sectionis, nec subiacet aliis vel æqualibus vel maioribus, repudiationem sectionis consecuturis. At in præsenti negotio, mater retento fœtu non minùs immaniter excruciabitur: siue quamdiu fœtus intra vterum superstes erit, & ad exitum connitetur, siue post fœtus interitum à tabefacto eius cadauere & fœda illa mortui corporis cum viuo coniunctione, aut violenta extractione per lanienam ab artis auxilio. Cadaueris verò illius exclusionem, naturæ cursui velle permittere, perinde esse videtur, ac vitam meditatò prodigere, in tanta exclusionis illius per naturæ vires incertitudine, & certa mortis inuectione, ni fœtus matri immortuus alicundę excernatur è matris vtero, imò sepulcro.

Respondendum est, hanc incertitudinem exclusionis, tantam non esse, vt obligare possit mulierem ad subeundam sectionem Cæsaream, cum non rarò contigerit aliter excludi solis naturæ viribus fœtum vtero immortuum, vt suo loco monstrabitur. Quod verò ad dolorum æqualitatem attinet, siue admittatur siue repudietur sectio Cæsarea, viderint

 alij

alij quid statuant. Nam ego quidem pronunciare de ea æqualitate non possum. Sed licet eam gratis agnoscere lubeat; ac etiam licet perfugium illud de permittenda ægritudine cursui naturæ, intutum esse velimus; adhuc superest vnde mater eximi queat obligatione admittendi sectionem Cæsaream, si res penes eam solam spectetur in euentu de quo agimus. Nimirum magnus horror tam insolentis remedij, satis supérque esse potest, vt mulier solum eius bonum attendendo, illa obligatione liberetur. Quotiescunque enim, etiam absque immanibus doloribus idcirco subeundis, magnus horror remedij cuiuspiam occupat ægrum, non tenetur horrorem illum vincere, vt vitæ suæ consulat, & ægritudinem depellat. Hac ratione, nemo in extrema fame tenetur cibare se carnibus hominis, siue naturaliter mortui, siue alia iam ex causa occisi: quia scilicet homo non tenetur vitam conseruare tam horrifico medio à quo natura tantoperè abhorret, vt rectè affirmat Sanches lib. 1. in decalog. c. 18. num. 14. & Lessius l. de Temper. num. 12. Quanquam enim non peccaret qui in tanta necessitate carnibus illis vesceretur, vt rectè iidem autores tradunt, Lessius num. 10. & Sanches num. 12. malè repugnante Victoria relect. de Temper. num. 6. & Valentia 2. 2. d. 9. q. 3. p. 1. problematicè autem rem agitante Maldero de Iustitia tract. 3. c. 1. dub. 1. Tamen summus horror illius pabuli, exoluit hominem obligatione se ita cibandi, & vitam sustentandi eo ritu belluino. Id quod æquè ad vsurpationem felium, canum, murium, calceorum, & similium in cibum extendo, quamuis aliqui in summa necessitate talia comederint, nec comedendo peccarint.

7. Quia

7. Quia igitur facillimè potest accidere, vt sexus fragilis & imaginosus, ad sectionis Cæsareæ propositionem insigni horrore percellatur, meritò liberandus esset obligatione illam subeundi, etiamsi dolores acerbiores iis quos perfert, vel etiam pares minimè timeret, quantum quidem est ex parte solius charitatis propriæ, & studij ab vnoquoque debiti vitæ suæ, vt sit custos eius fidelis. Si tamen dolores præconciperétur mitiores à sectione quàm à retentione fœtus, & deesset horror sectionis, vt fortassis posset accidere post experimentum sectionis aliàs exceptæ, per eandem fœminam; nec placeret approbare principium superiùs adductum de morbis licitè permittendis cursui naturæ: Tunc fatendum esset, prægnantem affulgente probabili spe boni euentus, obligandam esse ad subeundam sectionem, etiam ratione suimet solius. Quia tamen hæc obligatio non nisi cum tot temperamentis enasci potest, idcirco dixi, mulierem in euentu de quo agebamus, rem spectando penes ipsam solam, vix vnquam teneri admittere sectionem Cæsaream, sed posse ferè semper absque peccato, illam respuere.

Spectato prolis bono, mater in circunstantiis propositis, sectionem subire tenetur, ex charitate, vel vitam propriam saluti æternæ alterius præferente.

8. Iam verò si hoc negotium non modo penes matrem spectetur, sed etiam (vt sanè par est,) penes fœtum, cuius & vita temporaria & salus æterna pendere ex sectione matris supponitur; sic

fateor, matrem ex charitate erga fœtum teneri admittere sectionem Cæsaream. Quod in euétu quem nunc excutimus, in quo scilicet affulget bona spes, eo validiùs euincitur, quod vel si vita nostra corporalis exponenda esset manifesto discrimini, non licere tamen periculum illud declinare, vt spirituale bonum alicuius extrema necessitate pressi locaretur in tuto, sententia est grauissimorum Theologorum omni acceptione digna. Ita D. Thomas 2.2. q.26. art.5. & ibi interpretes, nominatim Malderus assert. 1. qui notat Scholasticos communiter consentire in 3. d.27. vel 29. Corduba l.1. q. 26. in 2. puncto. Lopes 1.p. instruct. c. 67. Idem habet Toletus in summa l. 4. c. 10. num. 2. Azor. t. 2. l. 12. cap.4. §. *tertio loco.* Nauarrus in summa cap.24.n.9. & fusè in cap. *non inferenda* 23. q. 3. à num. 10. sparsim ad 47. Abul. in c.18. Matth. q.95. Gabriel lect.74. in Canon. *litera O.* Castro de charit. disp.1. p.9 Esse quoque communem omnium Doctorum sententiā, docet Lorca 2.2.sect.3.disp.28. membr.2. & Ægid. Coninck disp.25. de actibus supern. n.86. qui alios multos proferunt. Et quamuis dissidium est inter DD. hícne aut ille euentus è plurimis quos proponunt, contineat extremam proximi necessitatem spiritualem, quæ meritò præferenda sit saluti nostræ corporeæ; tamen posito quod sit verè extrema necessitas spiritualis, qua proximus laborat; posśitque nostra opera etiam cum vitæ corporeæ dispendio & obiectatione in patens discrimen subleuari; omnes æquè consentiunt, obligationem cuique iniici proximum subleuandi, cum proprio discrimine prædicto: iuxta illud 1. Ioan. 3. quod aut nunquam obligat, aut saltem in tali euentu:

Christus

Christus *animam suam*, id est vitam, *pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ratio D. Thomæ ad hunc charitatis ordinem confirmandum, inde ducitur, quod in ea prælatione extremæ necessitatis spiritualis alienæ supra salutem nostram corpoream, atque adeò in tali bono proximi, magis eluceat ratio motiua charitatis, cum maius Dei externum bonum, id est, auctior gloria inde redundet.

9. Ex hoc principio, inferunt non pauci, quos refert & sequitur Philibertus Marchinus de bello diuino p.1. c.9. si verè sit extrema necessitas spiritualis alicubi tempore pestis, & desit alius qui eam subleuet, ego autem subleuare possim, docendo quod præcisè necessarium est ad æternam salutem, vel sacramentum necessarium ministrando, teneri me abiicere hac ex parte studium meæ conseruationis, & adire discrimen vitæ corporeæ, ne aliis anima in æternum pereat. Et quamuis quoad adultos tricari aliquatenus liceat, eo quod non sit ita obuium quis sit quoad eos supremæ egestatis spiritualis articulus: Tamen quoad infantes absque baptismo morituros nisi ego subueniam, saltem si sint infantes Christianorum, longè communissima doctrina est, infantes illos laborare extrema necessitate spirituali, ideóque per me & vnumquemque qui fortè solus possit, opitulandum illis esse, ex graui obligatione charitatis: etiamsi opitulatoris vita corporea, in apertum discrimen ventura esset. Ita Syluester V. *bellum* 2. q.4. Corduba lib.1. q.26. in 2. parte quæstionis, §. *sed aliter*, Maior in 4.d.15. q. 22. Fumus V. *homicidium*, num. 7. Nauarrus in summa cap. 24. num. 9. Lopes (tametsi nonnihil

 anceps)

anceps) 1.p. instr. c. 67. Filliuc. tract.28. num.35. Lorca 2. 2. q.3. d 28. membro 2. num.32. Ægidius disp. 25. de actibus supern. num. 88. & passim alij: qui consequenter debent concedere, matrem prægnantem, si probabilis spes affulgeat salutis suæ corporeæ, ita vt sectio eius non sit trucidatio innoxiæ, teneri admittere sectionem Cæsaream, vt fœtui in extrema necessitate spirituali constituto subueniatur, collatione baptismi quo alioqui cariturus esset, vnáque æternæ salutis iacturam faceret: quia *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, (saltem in voto, id est, in actu perfectæ charitatis, cuius fœtus non est capax,) *non potest introire in regnum Dei.*

Noua conuulsio obligationis prædictæ, iniectæ à charitate.

10. Contrarium tradit Ioannes Sanches disp. 10. selecta num. 9. vbi & principium generale ex D. Thoma positum, de necessaria vitæ propriæ corporalis expositione, vt salus animæ proximi in extremum discrimen vocata locetur in tuto, conuellendum suscipit, & æquè impetit inde erutam doctrinam de obligatione baptizandi infantem sine baptismo moriturum; ac etiam de obligatione matris in tali euentu, ad sectionem Cæsaream affulgente spe boni exitus admittendam. Ne autem cum D. Thoma pugnare videatur, quem diximus affirmare secundùm obligationem charitatis ordinatæ, vitam nostram corpoream postponendam esse saluti spirituali proximorum, ait Sanches D. Thomam ita accipi debere, vt tantùm velit *quod quis amore vitæ suæ conseruandæ, non præstet consilium proximo pa-*

trandi

trandi scelus: siue quod positiuè ad necem spiritualem ipsius non concurrat, quia tunc amans vitam corporalem suam, æternam perdit, peccato deprauati consilij intercedente. At quod non omittat prouidere animæ proximi, ob conseruandam propriam vitam, non affirmat D. Thomas: nisi fortè in casu quo pactum intercessisset de non omittenda cura animæ proximi, etiam cum periculo propriæ vitæ. Addit idem autor, Doctores illos qui absolutè dixerunt obligari hominem vitam suam spiritualem posthabere spirituali vitæ proximi in extremum discrimen adductæ, *aberrare sanè, & quod ipsi nequaquam exequerentur, cæteros exequi esse obnoxios docere.*

Improbatur.

11. Hæc conuulsio communis doctrinæ, nullo modo est probanda. Quod enim communiter DD. agnoscant obligationem secundùm charitatem ordinatam postponendi propriam vitam corpoream spirituali vitæ aliorum ad extrema deductæ, is tantum diffiteri potest, qui vltrò vult oculos occludere, aut quæ in oculos incurrunt non vult perspicere. Nominatímque ridiculum est, S. Thomæ mentem tam conceptis verbis proditam, & ipsis (vt ita dicam) Solis radiis expressam, contorquere ad solam exclusionem inuitationis ad peccandum, ne inuitantis vita corporea exscindatur; vel certè ad solum euentum obligationis ex pacto oneroso de non omittenda cura spiritualis salutis proximorum, etiám cum periculo propriæ vitæ corporeæ: cuiusmodi obligatione posset etiam quis deuinciri ratione acceptæ in eum finem pecuniæ. Eas quidem

obligationes dari, nemo diffitetur. Nam quis ferat eum qui alium velit anima & corpore perdere ac trudere in gehennam, vt carni suæ benè sit, & vitam aliquando finiendam, paulo citiùs non abrumpat? Itaque tenetur quilibet mori potiùs, quàm vt corpore viuat, fieri alteri laqueus æternæ perditionis. Altera item obligatio præferendæ salutis spiritualis alienæ saluti propriæ corporeæ, non est ambigua. Eáque obstringi Parochos & alios qui ex officio iuuare plebem in spiritualibus debent, vt perstent grassante lue, etiamsi de vita sint periclitaturi, fusè exponunt Suares t. 4. 3. p. d. 44. s. 3. num. 8. Rutilius Benzonius in speculo Episcoporum l. 1. disp. 1. q. 1. Marchinus de bello diuino p. 1. c. 2. qui num. 4. allegat in hanc rem omnino multos, monstrátque esse omnium Theologorum sententiam vnanimem. Verùm hæc secunda obligatio non est charitatis, de quà sola agebat D. Thomas, sed iustitiæ. Prior autem, est ipsamet obligatio cauendi scandali actiui, quæ vt plurimùm non est obligatio charitatis, sed alterius virtutis. Nam quamuis scandalum speciale, quod cum ea obligatione specialiter colliditur, sit peccatum contra charitatem, ideóque ex obligatione charitatis auertentis malum proximi, vitandum sit: Tamen scandalum illud est infrequentissimum, quia pauci sunt adeò efferatæ impietatis, vt directè intendant spiritualem proximi cladem, quæ est notio scandali specialis, charitati aduersantis. At scandalum generaliter dictum, quod in vsu plurimorum est, nec nisi indirecta volitione spiritualis miseriæ alienæ constituitur, non est speciale peccatum, distinctum ab eo ad quod proximus verbo aut exemplo pellicitur; vnde

vnde obligatio illud vitandi, plerunque est aliarum virtutum quàm charitatis: earum nimirum ad quarum violationem per actus contrarios fit inductio. Quam esse perspicuam D. Thomæ sententiam, liquet ex 2. 2. q.43. art. 3. & latè euincunt Vasques 1. 2. d. 102. cap. 4. & Torres t. 1. in 2. 2. d. 95. dub.3. Vt quid ergo D.Thomas, tractans ordinem charitatis & præcepta illa connexa, præposterè ac extra locum auertisset disputationem ad præceptum cuius obseruatio aliis potiùs virtutibus incumbit, quàm charitati? Quid quod locus D. Augustini ex 1. de doctr. Christ. cap. 27. quem D. Thomas adducit, & ratio quam pro sua sententia profert, apertè clamant, mentem D. Thomæ fuisse, quam diximus?

12. Quare præstitisset reuerenter S. Doctorem abiicere, quàm adeò distorta interpretatione ei illudere. Iudicium verò, quo autor cum quo agimus, ex se metiens cæteros, grauat Doctores communissimæ doctrinæ astipulatos, pronuncians eos alligare in humeros hominum onus graue, quod ipsi in tali euentu detrectarent, hoc inquam iudicium probrosum, veriùs conuicium, non est quod repellatur: cum non quæratur quid quisque facturus esset secundùm ordinem charitatis, si in tali occasione constitueretur, sed quid facere astringeretur. Et per Dei gratiam & benignitatem, abundamus exemplis antiquis & nuperis, eorum qui tradiderunt animas suas, (vitæ inquam studium abiecerunt,) vt aliorum animas extrema necessitate pressas iuuarēt. Nec enim dedidicimus Christi pugiles, qui grassante annis superioribus lüe, vt plerisque per Sacramenta certam facerent spem salutis de

qua

qua alioqui extremè periclitabantur, generosè abiecere animas suas, & dilapidatione (vt sic dicam) corporeæ vitæ suæ, æternam vitam aliis curarunt. Quare fixum & ratum esto, dari obligationem charitatis ad postponendam propriam vitam corpoream, spirituali saluti alienæ extrema necessitate laboranti.

Infantem desperato partu naturali, non laborare extrema necessitate quæ suadeant.

13. Eam verò necessitatem, cerni cum in quouis puero qui alioqui sit destituendus baptismo, tum nominatim in fœtu matris visceribus concluso, cuius eductio per naturalem partum non sit speranda, existimo perspicuum. Quanquam ne matris obligatio ad sectionem admittendam affulgente spe exitus boni, aliqua ex parte vacillet, placet eam necessitatem extremam fœtus, superiùs duntaxat indicatam, stabilire diligentiùs. Videtur enim posse cum aliquo verisimilitudinis colore negari: quia tota ratio necessitatem extremam spiritualem in puero de quo agimus agnoscendi; ducenda est ex defectu baptismi, sine quo nemini patet cœlum. At hoc fundamentum non videtur vsque adeò solidum, cum & puer baptizari possit intra vterum, & possit dari supplementum aliquod baptismi pro his pueris, quod meritò dici possit baptismus in voto, quale Gerso & Caietanus locis postea notandis inuexerunt: quorum sententia non est conclamata, quamuis nonnulli recentiores censurarum nunquam parci, rigidissimè de ea censuerint. Et quanquam illud aliud remedium quod primum suggessimus,

ſimus, nempe baptiſmus intra vterum adminiſtratus aliquibus diſplicuerit, eo fundamento nixis, quod nemo poſſit renaſci priuſquàm natus ſit, atque adeò fuſus ex vtero; vel quia nondum eſt notus Eccleſiæ; aliámve talem ob cauſam; Ita Mayronis in 4. d.4. q.1. §. *ſed occurrit.* Richardus in 4. d. 6. art.2. q. 1. Aſteſanus 1. p. ſummæ l. 4. tit. 6. art.2. q.5. Henriques l.de baptiſmo cap.21.num.3. *litera* M. Comitolus l.1. q.13. Angles in 4. q.2. de baptiſm.art.3. concluſ.1. Graffis p.2. deciſ. l.1. c.4. num.31. Tamen ea ſententia, iampridem antiquata eſt, poſſéque verè infantem intra matris vterum baptizari, dummodò ad eum ſaltem interiecta tantùm ſecundina pertingat ablutio, communiſſima eſt doctrina, cui ſubſcribunt Valentia 3. p. d. 4. q. 1. p. 2. adducens Victoriam, & Gabrielem, Suares 3.p. q 68. art.11. in commentario. Chapeauille de caſibus in peſte cap. 2. quæſt. 10. *ſub finem.* Sanè niſi vel per baptiſmum reipſa ſuſceptum, vel per illud eius votum quod referebam, poſſet proſpici ſaluti æternæ infantium in matrum vteris abditorum, incuſaretur Deus improuidentiæ, tanquam qui defeciſſet in neceſſariis, nec huiuſmodi infantium ſaluti verè conſuluiſſet: cum tamen Scriptura conceptis verbis teſtetur, velle DEVM omnes homines ſaluos fieri, atque adeò etiam hos paucorum dierum homines, vt feſtiuè dixit Proſper lib. 2. de vocat. gentium cap. 23. Concludi igitur ex his videtur, infantes quorum naturalis partus deſperatur, non laborare extrema neceſſitate ſpirituali.

Aſtruitur

Astruitur ea necessitas ob negatam fœtui intra vterum, baptismi copiam.

14. Mihi contrarium videtur omnino verum. Nam tametsi haud grauatè concedo, fore vt posset verus baptismus peragi fœtu intra matris vterum constituto, nec aperto vtero, si aqua ad eum posset pertingere, (nihil enim ibi deest ad baptismi veritatem necessarium, cum adsit materia, & forma, & intentio debita, ac subiectum initiationis capax:) Tamen quomodò possit perfici pueri vtero abditi ablutio saltem plerunque, & quomodo aqua vtero non fisso, possit ad fœtum tot inuolucris ac septis circundatum pertingere, non puto ostendi posse. Nam & ipse vterus est admodum abditus, ac exquisitè occlusus à momento conceptionis vsque ad tempus partus: & intra ipsius vteri latebras fœtus tot vndique secundinis circumsepitur, vt nesciam qua ratione dici possit aquam ita esse applicabilem vt ad fœtum immediatè possit pertingere. Imo ob eandem secundinarum circumpositionem, non existimo puerum etiam recluso iam vtero sub tempus partus posse intra vterum baptizari, quia quousque fœtus expeditus sit inuolucris secundinarum, (quod non fit nisi in exclusione ab vtero) aqua quæ immitti posset, non nisi secundinas perfundet, quod non potest ad ver.im fœtus baptismum sufficere.

Scio Aureolum in 4. d.4. q.1. art. vnico, arbitrari ad baptismum infantis sufficere ablutionem secundinarum, dummodò puer iam sit extra vterum; nam puerum prorsus vtero abditum censet baptismi incapacem. Idem habet Syluester V. *baptismus*

baptiſmus 4. q.1. & Angelus V. *baptiſmus* 6. q. 4. Nonnulli item recentiores verum pueri baptiſmum intra ſecundinam, ſola ſecundina ablutionem excipiente agnouerunt, vt Vaſques 3. p. d. 145. c. 4. & Præpoſitus 3.p. q.66. num. 91. Hoc tamen non exiſtimo veriſimile, vt Valentiæ quoque viſum 3.p. d.4. q. 1. p.2. coroll. 5. Nemo ſanè iure cenſuerit, puerum ſacco coriaceo incluſum verè baptizatum iri, ſi aqua ſoli corio affunderetur, nec ablutio ad puerum immediatè pertingeret: ſicut facilè eueniret, ſi corij immiſſio intra aquas eſſet ſubita & perbreuis, corium autem validum nec facilè permeabile ab aqua, meritóque Richardus in 4. diſt.6. art. 2.q. 1. & Gabriel in 4. d.4. q. 2. art.3. dub. 2. *litera* N. negant eam corij puero circumfuſi intinctionem, fore verum pueri baptiſmum. Nemo item iure admiſerit, hominem veſtitum, ritè eſſe baptizatum, ſi eius ſolæ veſtes aqua maduiſſent. At ſecundina aliud non eſt, quàm corium quo fœtus intra vterum veſtitur, vt foueatur & creſcat in menſuram idoneam ad fruendum lucis vſura.

Quare rectè videor negaſſe, fœtum intra materni vteri non diffiſſi latebras abditum, poſſe verè baptizari, cum aqua penetrare nequeat, ſaltem ſeptum ſecundinarum: quod tamen neceſſarium eſt ad validum fœtus baptiſmum & legitimam initiationem. Imo quamuis reipſa contingere fortaſſis poſſet, vt aqua ad puerum immediatè peruaderet; tamen id ſemper incertum eſſet, nec vnquam conſtare poſſet quod puer eſſet extra ſummam & extremam neceſſitatem ſpiritualem. Vnde in re è qua ſalus animæ æterna pendet, non ſufficeret admotio remedij quoad nos incerti, prætermiſſo certo ſi ſuppetat,

ſuppetat, nempe manifeſta infantis ablutione, interuentu ſectionis Cæſareæ: ſed quouſque clarè conſtaret, infantem eſſe ablutum, & immediatè perfuſum aqua, cenſendus eſſet laborare extrema neceſſitate ſpirituali.

Qui baptiſmi ſupplementa quoad infantes inuexerunt.

15. Suggerebatur via alia elidendæ neceſſitatis extremæ ſpiritualis, in fœtu materni vteri latebris concluſo, etiamſi reipſa perfundi baptiſmo nequeat: Nimirum per aliquod baptiſmi ſupplementum quale inuexit Caietanus 3.p. q.68. art.2. contendens in ea ſumma realis baptiſmi adminiſtrandi difficultate, veriùs impoſſibilitate, baptiſmi locum tenere poſſe parentum preces, & fœtus oblationem, vt fiebat in lege naturæ & Moſaica. Nam ſacramentum quo infantes in lege naturæ à peccato originis mundabantur, aliud non fuit quàm talis aliqua precatoria oblatio, vt Hugo Victorinus tract. de ſacramento legis naturæ rectè docuit. Nec aliter iuſtificabantur infantes poſt inſtitutam circuncisionem, ſi ante octiduum vitæ quo Circuncisio conferebatur, è vita excederent. Imo ne illo quidem octiduo aliter iuſtificabantur, ſiue fœminæ, (vt notum eſt, cum in eis circuncisio locum apud Hebræos non haberet, quicquid fabulatus ſit Strabo l.15.) ſiue mares, reſpectu quorum circuncisio erat tantùm ſignaculum iuſtitiæ fidei, & nota corporea ad ſecernendum populum Dei. Et cum in ea conferebatur infanti ſanctitas, nequaquam conferebatur in circuncisione, præcisè vt circuncisio erat, ſed

ſed provt adiunctam vel conſertam habebat oblationem prædictam,& ex ea mente peragebatur illa infantis truncatio, qua de re alibi diligentiùs. Viſum ergo eſt Caietano, hoc baptiſmi ſupplementum poſſe infanti prodeſſe in prædicta impoſſibilitate adminiſtrandi ei reipſa baptiſmum. Caietani ſententiam tueri & ſuffulcire conatus eſt ex eadem familia ſuppar Caietano Theologus, Tilmannus Segebergenſis libro de ſeptem Sacramentis cap.de baptiſmo à pag.16. ad 21.

Affine erat, quod ante Caietanum dixerant aliqui, orandum eſſe pro huiuſmodi paruulis, ſi fortè conuertatur & ignoſcat, id eſt, non imputet eis Deus baptiſmi defectum. Ita Gerſo tomo 3. ſerm. de Natiu. Deip. conſider.2. Nec diſplicet Gabrieli in 4. d. 4. q. 2. *litera* O. Et ſimile quid habetur ex Vincentio Victore apud Auguſtinum l. 3. de Orig. animæ cap.9. Sanè cum in aliis quibuſdam euentibus nonnulli graues Doctores vt Syluester V. *baptiſmus* 1.num.5.& 7.ſuffragante Valentia 3.p. d.3. q. 5. p. 3. arbitrati ſint Deum ſupplere defectum baptiſmi reipſa irriti, nec niſi in ſpeciem validi ob malignitatem miniſtri intentionem neceſſariam non adhibentis; multo magis videri poterit eadem benignitate vti voluiſſe erga paruulum immedicabiliter laborantem, & planè prohibitum neceſſario ſalutis remedio.

Reiiciuntur; nec inde elidi poteſt extrema infantium in matris vtero obeuntium, ſpiritualis neceſſitas.

16. Ita quidem autores prædicti; Extremam

tamen necessitatem spiritualem paruuli intra vterum abditi reuera non elidunt. Nam nullus ex propositis dicendi modis, est solidus vel admittendus. Caietani placitum improbauit Pius 5. & expungi iussit ex Romana Commentariorum Caietani editione, quam cæteræ deinceps sunt æmulatæ, vnde in eis nunc non cōparet illa Caietani doctrina. Castro V. *baptismus* hær. 9. hæresim uocat. Vasques 3.p. d.151. c.2. notat erroris. Suares t.3. 3.p. d.27. s.2. conclus. 1. ait esse placitum temerarium & errori proximum. Prolixè in Caietanum hac ex causa inuehuntur Soto l. 2. de natura & grat. c.10. & in 4. d.5. q. vnica, art.11. ac Palacius in 4. dist. 5. disp. item 5. Ioannes Hessels lib. 4. Catechismi cap.9. *sub finem*. Catharinus l.5.contra Caietanum pag.mihi 390. & seqq. & Opusculo de hac re contra Tilmannum Segebergensem, Angles in 4. q.2. de baptism. art.3. concl. 2. Petrus à S. Ioseph p. 2. de Sacram. disp. 2. sect. 3. assert.3. Sed breuiter ratio est, quia verba Christi sunt absoluta; & per negationem quæ malignantis naturæ est, præcidunt non renatis omnem spem gloriæ. In qua ergo potestate Caietanus supplementum aliquod Baptismi excogitat, diuersum à perfecta in Deum conuersione actuali, cuius infantes non sunt capaces?

17. Eodem modo vrgendi sunt alij, qui diuinant fortè Deum in tali necessitate ad preces parentum infundere infanti gratiam, & supplere baptismum. Posset hoc sanè Deus si luberet, vt rectè pronunciauit Adrianus in 4. q.5. de baptismo *ad tertium*. Tamen quod ita faciat, absurdè iactatur, cum prostet peremptorium Christi edictum, arcens infantes quoscūque aditu gloriæ, nisi baptismo perfundātur.

Æquè

Æquè explodendi sunt qui existimarunt, non priuari fructu baptismi eos quos sola ministri peruersitas & malignitas, exsortes baptismi fecerit. Hos meritò refellit Alanus l. de Sacram. in genere c.55. & Sayrus l. 2. de Sacram. c.4. q.3. quia vndecunque proueniat defectus medij ad gratiam præcisè necessarij, occluditur via ad gloriam, & salus fit desperata.

Imposuit profectò omnibus his Doctoribus, species miserationis erga paruulos vero baptismo destitutos in maternis visceribus, vel ob ministrorum iniquitatem. Visum quippe eis est admodùm durum, admittere relinqui à Deo absque vnico salutis remedio, tot peccati actualis expertes animulas. Verùm non debent nobis Dei consilia dura videri, quantumuis sint inscrutabilia; sed dimissis diuini illius consilij causis, quarum aliquas proponit D. Augustinus l.1. ad Simplic. q. 2. *à medio*, dicendum est cum eodem D. Augustino epist. 105. & lib. de grat. & lib. arbit. c. 23. & lib. 1. de peccat. merit. cap. 21. nimiæ vanitatis & cæcitatis esse, velle iudicare cur in vna eadémque paruulorum causa, super alium veniat misericordia eius, super alium veniat ira eius. Cur inquam vnus præcisè necessarium gratiæ & æternæ salutis medium absque vlla difficultate assequatur, alius extremæ necessitati spirituali subiaceat, nec sit ad manum vnde ei subueniatur, cuiusmodi nominatim est qui delitescit intra vterum matris, vbi baptismum recipere non potest sine quo est periturus.

Media salutis sufficientia, quomodo proli intra matrem morienti prouisa.

18. Quid ergo? Admittemus huiusmodi infantes deseri à Deo in extrema illa necessitate spirituali? Apostolus disertè pronunciat, velle Deum omnes homines saluos fieri, quæ verba D. Augustinus l. 4. contra Iulian. ad paruulos quoque maternis vteris abditos pertinere docet. Et verè negari non potest, eos ad finem supernaturalem ordinari: alioqui non haberent peccatum originis, essentque in statu puræ naturæ. Illa autem ordinatio, nihil aliud est quàm intentio, qua Deus illis gloriam naturæ ipsorum indebitam voluit. At ea volitio & intentio finis, si vera fuit, habuit necessariò adiunctam volitionem prouidendi media fini illi consequendo idonea, & saltem sufficientia, cuiusmodi diximus esse baptismum, qui tamen his infantibus vtero conclusis adhiberi non potest. Res est profectò, non parum implexa: & vt ait Iunilius l. 2. de part. diu. legis cap. 13. de talium abortiuorum statu, meritò causa subtilis, dubiúsque tractatus est. Nec aliter Prosper l. 2. de vocat. gent. cap. 20. & 21. Sunt certè qui hastam abiiciant, & difficultati succumbentes negent prouisa istiusmodi infantibus qui intra maternum vterum inexpiati obeunt, sufficientia salutis media. Ita Gregor. in 1. d. 46. q. 1. Vasques 1. p. d. 96. c. 2. Becanus tract. 1. c. 15. q. 8. aliíque nonnulli cum recentiorum tum antiquorum Theologorum, quibus in speciem fauent S. August. epist. 107. *sub finem*, Prosper carm. de Ingratis cap. 20. & Fulgen. l. 1. de verit. præd.

Sed præstat dicere cum Vega l. 5. in Conc. cap. 6. Bellarmino

Bellarmino l.2. de grat. & lib. arb. cap. 5. Suare l.4. de prædest. cap. 4. num. 4. Trigosio q. 18. artic. 8. dub. 5. Deum paruulos istos non dereliquisse vsquequaque: sed verè sicut eis gloriam voluit, quantum est ex se, ita iisdem salutis media sufficientia prouidisse, quantum est ex se; & saltem in causis vniuersalibus, & quantum est ex se, mediorum illorum applicationem neque impediuisse, neque vt per alios impediretur effecisse vel intendisse; sed potius habuisse volitionem veram vt applicarentur; etiamsi ob dispositionem & cursum causarum naturalium quem inuertere non tenetur, vel ob peruersitatem Ministri quem vult illibatis libertatis suæ iuribus frui, contingat media illa omnibus paruulis prouisa, in vno aliquo speciali euentu aliunde quàm ex Dei intentione deficere, eúmque defectum & non applicationem, Deus alia secundùm nostrum concipiendi modum concomitante volitione permittat. Non enim volitio vt suppetant his paruulis media ad salutem sufficientia, pugnat cum volitione permittendi non applicationem siue defectum eorum, qui ex aliis causis præuidetur euenturus, & cum morali impossibilitate applicationis consecuturus, supposito cursu rerum quem Deus vt generalis duntaxat prouisor supernaturalis, non tenetur immutare vi intentionis illius, veræ quidem ac non ementitæ, sed tamen non nisi inefficacis, quam de omnium planè, etiam paruulorum salute habet. Eáque ratione incolumis retinetur ordo perfectæ prouidentiæ in Deo gratiæ autore. Et verum quidem est, adultis extrema salutis necessitate laborantibus, in naturali impossibilitate perueniendi ad baptismum, subueniri à Deo

per miraculum: quod exempla permulta testatum faciunt, (vnum perillustre profert Franciscus Picus Theorem. 1. de fide,) & Theologi vno ore confirmant: qui modus extraordinariæ prouidentiæ non solet adhiberi erga paruulos, in simili naturali impossibilitate percipiendi baptismi. Disparitatis causam assignat Suares l.4.de prædest.cap.3. à num. 14. quod sicut adulti per propriam cooperationem saluari debent, ita dignum ac iustum sit, eos non perire nisi interueniente proprio demerito, quo carere supponuntur, cum eis Deus ex machina per miraculum opitulatur. Quæ extraordinariæ prouidentiæ ratio, cessat in infantibus vt est perspicuum.

Concluditur prolem vtero immorituram, extrema spirituali necessitate laborare. Matris obligatio ad subeundam tunc sectionem, infertur.

19. Itaque certum & indubitatum esto, paruulos conclusos maternis vteris, non posse salutē adipisci absque reali susceptione baptismi. Audiat Caietanus, audiat Gerso, audiat quisquis commēritia vnici illius medij diuinitùs præstituti supplementa putat non improbanda, intortū æquè in ipsum ac in Vincentium Victorem hac ipsa in causa, illud Augustini telum l. 3. de Orig. animæ cap. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præuentos peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Ex quo manifestissimè concluditur quod probandum susceperamus,

ſuſceperamus, infantes in matrum vtero detentos naturali partu prohibitos, premi extrema neceſſitate ſpirituali; ſita in carentia baptiſmi, qui illis quandiu in eo ſtatu ſunt, nec aperitur maternus vterus, adminiſtrari non poteſt.

20. His ita conſtitutis, habemus vnde ſolidè & validè ſtabiliamus obligationem matris ad ſubeundam ſectionem Cæſaream in deſperatione partus naturalis, affulgente bona ſpe ſectionis. Nam vnuſquiſque tenetur vitam ſuam corpoream poſtponere æternæ ſaluti alterius, eíque vel cùm vitæ ſuæ periculo ſubuenire in extrema neceſſitate ſpirituali, quæ vt benè conſiderat Molina tract. 3. de Iuſt. diſp. 13. voluntariam nequitiam perſonæ tali neceſſitate laborantis excludit, & certum animæ exitium, abſolutè irreparabile adiunctum habebit ni ſubueniatur. Et quia talis eſt ſtatus infantis ſine baptiſmo perituri, idcirco DD. paſſim contra Sotum releɛt. de Secreto, membr. 2. q. 2. poſt 6. concluſionem, *ſub finem quæſtionis*, aſſerunt iniici cuique obligationem etiam cum propriæ vitæ non obſcuro diſcrimine, baptizandi infantem Chriſtiani hominis filium, in articulo mortis poſitum inter infideles baptiſmo cariturum, ſi ſupponatur deeſſe alius qui poſſit ac velit baptizare. Hoc non niſi probabile cenſet Sa, V. *charitas* num. 4. Imo ſimpliciter id negat Soto, ſaltem quando periculum eſt ab extrinſeco, puta ex malitia Tyranni prohibentis baptizare puerum. Sed contrarium rectè affirmant Syluester V. *bellum* 2. q. 4. Nauarr. in ſumma c. 24. n. 9. Maior in 4. d. 15. q. 21. Corduba l. 1. q. 26. §. *ſed aliter*. Val. 2. 2. d. 3. q. 4. p. 2. *in fine*, Lorca diſp. 28. de charit. membro 2. num. 32.

Azor t.2. l.12. c 4. q.3. Ægidius Coninck de actibus supern. disp.25. dub.7. num. 88. qui id meritò extendit ad similem necessitatem infantis ex parentibus infidelibus progeniti, cum absque eorum iniuria & iniusta perturbatione potest baptizari. Negántque meritò horum Doctorum plerique, ad exoluendum tali obligatione, referre quod causa per quam infans in extremam illam spiritualem necessitatem coniicitur, sit extrinseca; quia ad iniiciendam obligationem de qua agimus, sufficit causam illam verè talem esse, vt hominem sibi adesse non valentem, nec culpa sua laborantem, exclusura sit cœlo. Imo quod aliena malitia ægerrimè domabilis, cuiusmodi est Tyranni à rebus Christianis abhorrentis, tanta necessitate spirituali puerum premat; pertinere potiùs videtur ad necessitatis cumulum, & miseriarum infantis superpondium, quod potentiùs stimulare debeat Christiana pectora misericordiæ referta, ad opitulandum: cum videant multo grauiorem esse infantis necessitatem in ea occasione, & tam malignis circunstantiis. Si ergo extraneus quisque hoc debet infanti extrema necessitate spirituali grauato præ baptismi inopia, nec potest vitam suam corpoream exitij periculo subducere, vt tanta paruuli necessitas baptismi collatione depellatur; quanto magis mater non debet defugere sectionem planè necessariam, vt proles quam in peccatis concepit, emundetur à tam tetra labe, posśitque cœlo inferri, certò alioqui peritura in æternum, nisi adhibita sectione, quæ in hoc euentu ob affulgentem boni exitus spem, adhiberi absque peccato potest, fiat proximè capax baptismi, & ritu Christiano initietur? Sicut de maiore

matris

matris necessitudine cum infante quàm cæterorum, non est ambigendi locus, ita perspicuum esse debet, multo magis deuinciri matrem consulere æternæ saluti infantis in tanta necessitate spirituali, & sectionem non respuere, quod vnicum est baptismi certò conferendi & tantæ necessitatis leuandæ medium. Videtur annuere Torres, 2. 2. tomo 2. disp. 26. dub. 2. num. 37. dummodò mater se putet esse in statu gratiæ, & soboles censeatur baptizanda, quæ duo rarò existimat contingere. Sed perperam ita censet, & malè nutat in sententia.

Obligatur item, curare & vrgere sectionem.

21. Eadem porrò ratio, quæ probat, mulierem in euentu de quo agimus, teneri Cæsaream sectionem admittere; demonstrare insuper videtur, non sufficere quod contéta sit passiuè ad hoc remedium se habere, id est, quod sectionem patienter exceptura sit si adhibeatur, sed etiam teneri si necesse sit, illam poscere, & curare, ac vrgere vt adhibeatur, vt satisfiat necessitati ex qua manat obligatio admittendi hanc sectionem. Nimirum finis & illius consequendi vnicum medium cadunt sub eandem obligationem. Sicut obligatio vitam per cibos sustentandi, non tantùm postulat vt homo comedat, si cibi aliunde offerantur, sed etiam vt cibos quærat, & poscat ab iis qui suppeditare illos possunt. Quia igitur mater obligatur nihil prætermittere, ac quantum absque Dei offensa licuerit, vitam ipsam suam periculo exponere, vt proles baptismi beneficium consequatur; vnicum autem huius obliga-

tionis explendæ medium eſt ſectio Cæſarea; tenetur profectò, non tantùm eam excipere, nec reniti ſi ab aliis adhibeatur, ſed etiam poſitiuè eam velle, & poſcere, ac curare vt alij illam adhibeant. Nec enim hîc agitur de ſola matris vita corporea, vt poſſit excuſare vel atrocitatem dolorum per ſectionem inferendorum, vel nimium ſectionis horrorem, aut vt poſſit ſe permittere Deo, & curſui naturæ ægritudinem fortaſſis expugnaturæ per ſpecialem aliquam Dei prouidentiam citra miraculum, vt aliis pleriſque contigit graui morbo diſtentis, nec tamen pharmaca admittentibus; penes quæ excuſationum capita honeſtari poſſe remediorum noſtratium admotionem, ſunt qui affirment, vt ſupra vidimus. Non inquam poſſunt huiuſmodi excuſationes circa matrem in hoc negotio locum habere. Nam quiſque cum de ſua ſola vita agitur, poteſt cedere iuri quod habet ad talia media, declinando proprio periculo accommodata, præſertim ſi adiunctum habeant horrorem inſignem vel immanem carnificinam. At mater non poteſt ſimiliter abiicere obligationem qua aſtringitur curare infanti vnicum ſalutis æternæ remedium, cuius admotio cum ſectione complicatur, ita vt abſque ea infans ſit periturus in æternum. Tenetur ergo ſectionem curare & vrgere.

Periti quoque artifices, obligantur matrem ſecare, in circunſtantiis propoſitis.

22. Indidem verò ſequitur, peritum ſecandi artificem, qui probabiliter ſperet fœlicem ſectionis euentum, teneri prægnantem ad articulum in quo

quo versamur deductam, secare : & extremæ fœtus necessitati spirituali, misericorditer adesse. Deus enim mandauit vnicuique de proximo suo, & quisquis alium extrema necessitate, etiam corporis solius, pressum leuare potest, aliquid præstando absque suo graui incommodo, cuius adhibitione tanta alterius necessitas depellatur, tenetur id illi non negare, vt habetur ex S. Gregorio homil. 9. in Euang. *sub finem*. Eámque ob causam Codronchus l. 1. de Christ. & tuta medendi ratione c. 33. & Lessius lib. de Iust. cap. 31. dub. 7. rectè statuunt, Medicos & Chirurgos, cum absque graui suo incommodo id possunt, teneri adesse ægris extrema corporali necessitate pressis, & quidem gratis, si contingat tales ægros non habere vnde stipendium operæ præstitæ persoluant. At in re præsenti, non modò est necessitas extrema corporea, saltem prolis certò morituræ nisi sectio adhibeatur, sed etiam est necessitas extrema spiritualis eiusdem prolis, baptismo carituræ : quæ necessitas multò est vrgentior, quandoquidem præ ea Medicus & Chirurgus tenentur etiam cum vitæ suæ periculo opitulari tali infanti si res ferat, vt supra diximus. Igitur multo magis non debent, nec possunt operam suam negare, cum nullum eis notabile incommodum inde est obuenturum, vt constat ordinariè accidere.

Ex quo colligo, grauiter peccasse duos illos Chirurgos quorum meminit Roussetus sect. 1. cap. 6. narratione 4. cum rogati & precibus vrgentissimis fatigati à muliere prægnante, quæ sectionis Cæsareæ commodum in alia simili partus naturalis desperatione experta erat, obfirmatè renuerunt illam

secare:

ſecare : vnde factum eſt, vt miſera mulier, cum neque vitium proſtratio, neque vllius ſymptomatis iuſtus timor ſectione prohiberet ; tamen ob meram puſillanimitatem Chirurgorum ; miſerrimè vnà cum fœtu perierit. Hoc graue in eis peccatum fuiſſe, negari non poteſt, niſi imperitiæ ſuæ conſcientia deterriti, periculoſæ rudibus plenum opus aleæ, conſulto detrectarint. Alioqui enim, rogati, operam ſuam tenebantur non negare in eo euentu.

Ac etiam vltrò ad ſecandum deferre operam.

23. Quinimo eadem ratio quæ probat non eſſe in tali euentu negandam operam, probat quoque eſſe vltrò deferendam ab artifice perito & idoneo, quamuis non rogetur, ſiue quia ignoratur eius peritia, ſiue quia ignoratur dari remedium aliquod quo eatur obuiam tantis malis. Tunc ergo, obligatio ſubueniendi extremæ neceſſitati fœtus præſertim ſpirituali, vrget peritum ſectorem vt ſe ingerat. Sanè ex doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 61. art. 1. Soti l. 5. de Iuſt. q. 8. art. 1. Roderici in ſumma, p. 1. cap. 4. num. 6. cum aliquis miſer extrema neceſſitate premitur, puta quia alioqui eſt capite minuendus, nec tamen aduertit firmamenta cauſæ ſuæ quibus à ſe auertere extremam illam calamitatem queat, Aduocatus nullo inde graui incommodo afficiendus, niſi agnoſcat alium ad idoneum accurſurum ad miſeri ſubſidium, tenetur aperire os ſuum muto iuxta ſapientis oraculum Prouerb. 31. & quod à Daniele ſuſcitante Deo factum

factum est, vltrò accurrere ad miseri causam suscipiendam, ac ingesto patrocinio suo pereuntem subducere exitio: idque prætermittere, grandem culpam vocat S. Ambros. 1. offic. cap. 30. Igitur multo magis in hoc negotio, in quo salus æterna infantis vertitur, cum ægra non est conscia facultatis ipsius sectoris, vel remedij efficaciam, ignorat, vel aliam ob causam, neque ab ipsa prægnante, neque ab aliis ei astantibus rogatur; tenetur deferre vltro suam operam ad sectionis ministerium.

24. Neque satis est si istis omnibus obfirmatis non rogare, tametsi probè consciis & peritiæ ipsius artificis, & necessitatis ac vtilitatis remedij, Medicus & Chirurgus hæreant, renuentes se ingerere, parati autem iuuare & secare matrem si interpellentur. Hoc, inquam satis non est, vt intelligitur ex recepta dissolutione alterius difficultatis proportionalis, qua quæritur an tenearis stipem obtrudere pauperi extrema necessitate laboranti, sed nolenti implorare alienum subsidium quod esset ad manum, siue pudore ab implorando retraheretur, siue neglectu aut odio vitæ. Quemadmodum ergo etiamsi nemo tenetur anxiè quærere egenos quibus benefaciat, tenetur tamen egeno ad extremam necessitatem redacto, sibi occurrenti, tametsi stipem non roget, aut sui curam negligat, vltrò accurrere, & elargiri quod eum liberare extrema necessitate queat, æquè ac si stuperet, vel se egere nesciret; ita idem statuendum esset in re præsenti: præsertim cum taciturnitas fœtus cuius præsertim causa agitur, non possit ei adscribi; nec sit iustum vt subiaceat æterno exitio spirituali,

rituali, ac etiam morti temporariæ, ob pertinaciam illorum qui renuunt precari pro ætatem non habente, nec valente pro se loqui. Sed & miseria ægræ quæ vt minimum grauis est, non minuitur per eius malitiam qua negligit sibi ac fœtui prospicere, poscendo necessarium remedium. Imo inde non parum cumulatur eius calamitas. Quod item cernitur in paupere dedignante implorationem opis alienæ. At in graui proximi necessitate, cum vacat in id incumbere, post operas ad status conseruationem necessarias iam locatas, iuuandus est proximus ex obligatione, etiam gratis si non habeat vnde persoluat mercedem, & charitas valdè inclinat ad vltrò deferendam hanc liberalis operæ eleemosynam à S. Ambrosio commendatam l. 2., offic. cap. 15. Itaque prægnantis quoque propria necessitas, in re nostra, necessitatem iniiceret Chirurgo, sin minùs vltrò deferendi operam suam & industriam in secanda muliere, at saltem eam non negandi, si absque suo notabili incommodo eam conferre possit, vltra necessitatem quam diximus iniici à fœtu; ad vltrò ferendam opem per matris sectionem, vel si Chirurgi vita vocaretur in discrimen.

CAPVT

CAPVT VII.

Quid statuendum de sectione Cæsarea, cum certum moraliter est, ea adhibita inferendum matri aut fœtui interitum, vi sectionis.

1. EXPOSVIMVS quomodo sectio Cæsarea affulgente spe euentus boni, licita sit & necessaria. Nunc considerandum est quid de eadem sectione sit statuendum; cum ea spes, siue per imperitiam artificis, siue per virium prostrationem in matre, planè succiditur: ita vt iudicio prudentum ac peritorum, indubitatum sit, vi sectionis inferendam esse aut matri aut fœtui mortem: siue sectio sola, sit fortassis futura causa totalis & adæquata, mortis consequentis: siue iuncta præiacenti indispositioni, creatura sit indubiè interitum, per modum causæ partialis efficacis, & certò habituræ malum exitum, qui causæ illi planè respondeat, quoad accelerationem.

Matrem vi sectionis perituram secari posse, si certò aliunde sit moritura, qui senserint.

2. In hoc puncto, non pauci Medici existimant vsum sectionis Cæsareæ licitum esse, aut etiam necessarium

necessarium, si saltem alteri duorum suppositorum coniunctorum, matri inquam vel fœtui diuisim, possit commodare sectio. Et quia cum artifex est peritus, vix à sectione timendum est fœtui superstiti, sed tantùm matri, propterea ferè duntaxat meminerunt matris in hoc negotio: statuunt autem, vbi compertum erit actum esse de vita matris, priusquàm planè ad extrema deueniat & efflet animam, secari in agone positam oportere: eò quod si sectio differatur post obitum matris, quantumcunque subitò peragatur, vel inutilis, vel vix vtilis futura sit proli, quæ protsus interclusa matris vita confestim imo simul viuere desinit iuxta hos Medicos. Saltémque securiùs prospicitur vtrique saluti fœtus, quæ tantum támque eximium bonum est, vt meritò præ illa negligi possit aliquanta accisio vitæ ærumnosissimæ in matre, præsertim annuente, & leuiculum hoc malum tot bonis dilutum & elutum, circa se admitti consentiente. Ad summum namque, est minus malum, quod graues Theologi in maxima & inexpedibili difficultate suadent eligi, relicto malo maiore. Quare intrepidè prægnantem adhuc viuentem, in prædictis circunstantiis esse secandam docent Rodericus à Castro l. 4 de morbis mulierum cap. 3. *in scholiis*, Iacobus Duuallius l. de Hermaphrod. & partubus cap. 24. Matthias Cornax inter obseruationes Schenchij lib. 4. titulo de fœtibus pag. mihi 658. Franciscus Ranchinus l. 7. qq. Chirurg. q. 14. Ioannes Varandæus l. 2. de morbis mulierum c. 7.

Inter Theologos videri possit idem tradidisse Iacobus de Graffis parte 2. decis. cap. 4. de baptismo n. 32. vbi cum dixisset paruulum intra vterum esse

esse baptismi validi incapacem, subdit: *Nec etiam debet extrahi è matre adhuc viuente, sed agonizante vel moriente.* Verùm ex consequentibus, perspicuum esse vel cæcutientibus potest, hanc non tam esse huius Theologi sententiam, quàm librarij oscitantiam, vel imperiti mendorum Typographicorum emaculatoris flagitium. Cum enim Autor scripsisset, *seu agonizante*, lusciosus librarius legit, *sed agonizante*; aut eodem modo textum correxit emaculator, manifestissima sensus autoris peruersione. Iustius videri possit, in ea mente quam Graffio affictam diximus, esse Naldus V. *mulier* num. 2. Cum enim proposuisset sententiam Nauarri, qua instante mortis periculo (atque adeò in euentu de quo agimus,) negauit fas esse scindere vterum matris vt puer eximatur & baptizetur; addit Naldus. *Sed quamuis probabilis videatur hæc opinio; ab ea tamen facilè recedemus ob rationem ab omnibus receptam, de qua V.* Vita *verf. 6. & 9. vbi ad virtutem obtinendam, potest quis propriam vitam prodigere, iuxta illud, maiorem charitatem nemo habet*, &c. Hæc sonare videntur, in euentu de quo agimus, fas esse secare matrem, vt puer eximatur & viuat, saltémque baptizetur.

Oppositum placet, & ratione probatur.

3. Contraria sententia, quæ in euentu proposito negat fas esse adhibere sectionem Cæsaream, est omnium planè Doctorum, vt notat Ægidius Coninck 3. p. q. 66. num. 75. vt proinde non sit opus longo autorum ei suffragantium syllabo chartas implere. Illi sanè quos superiùs cap. 3. retulimus,

H indistinctè

indiſtinctè & vniuerſaliter negantes, fas eſſe vſurpare ſectionem Cæſaream, hoc vt minimum volunt. Imo vt ibidem obſeruabam, vix aliud voluerunt. Idcirco enim abſolutè dixerunt, non poſſe vnquam locum dari ſectioni Cæſareæ, quia putarunt huiuſmodi operationem non poſſe exerceri abſque cæde innocentis, quod quidem falſum eſt, vt ſatis ſupérque euicimus cap. 5. Tamen ſi ſectio Cæſarea aliter perfici non poſſet, quàm cædem inferendo innocenti, vt illi DD. ſupponebant, meritò negaſſent eam eſſe licitam. Itaque in circunſtantiis de quibus nunc agimus, quia ſectio Cæſarea inferret mortem, ſententiā cui ſubſcribimus, quæ negat vſum illius licitum eſſe, aſtipulatores habet omnes illos Doctores, hoc eſt omnes ad vnum Theologos, ſiue Scholaſticos, ſiue Summiſtas, quoties in hoc punctum incidunt: ſiue de baptiſmo, ſiue de homicidio diſſerant. Nonnulli duntaxat Medici, ſed vel Sectarij, vel à pietate non nimis benè conſtituti, aut rudes doctrinæ ſacræ, & falſa miſeratione deluſi, vt poſtea patebit; in contrarium abierunt, digni qui ſectores prægnantium audiant, eúmque ominoſum titulum præferant qui in ipſamet Scriptura diuina 4. Reg. 8. & Amos 1. atrociſſimæ damnationi ſubiicitur.

Ratio veritatis propoſitæ, manifeſta eſt. Nam directa occiſio innocentis, eſt aliquid per ſe loquendo prorſus illicitum. Vita enim humana nullius dominio ſubeſt præterquàm Dei, atque adeò à nemine eripi poteſt niſi à Deo, vel eo cui Deus id commiſerit. At Deus nemini planè id commiſit, niſi publicæ poteſtati, in pœnam ſcelerum quæ adeò tetra ſint, vt meritò qui ea patrauit, dignus

ſit

ſit qui exſcindatur, & ex hominum numero eliminetur. Igitur innocentis occiſio, à quocunque hominum fiat, & ex quocunque fine peragatur, ſemper illicita eſt per ſe loquendo, id eſt ſecluſis nonnullis euentibus per accidens, cuiuſmodi ſunt neceſſitas proſequendi ius proprium, & debitam nocentibus vindictam inferendi in bello iuſto, vel certè propriam vitam, & bona, vel honorem ab iniuſto inuaſore qui aliter repelli nequeat & ſeſe obiecto innocente muniat, protegendi; & ſi qui ſunt alij euentus tales quibus occiſio innocentis omnino per accidens adiungatur; quandoquidem actiones quæ tunc directè intenduntur, poſſent ex ſua natura eædem numero fieri ſi innocens abeſſet, qua de re pleniùs in tractatione de homicidio. In præſenti autem negotio, occiſio innocentis patranda per matris apertionem, non eſſet per accidẽs, quandoquidem directè in eam ferretur operans. Igitur eſt prorſus illicita, iuxta communiſſimam & certiſſimam doctrinam de nunquam per ſe licita morte innocentis, quam ſtabilit D. Thomas 2. 2. q. 64. artic. 6. & ibi omnes ad vnum interpretes, ac Summiſtæ V. *homicidium*, confirmant, conſentaneè ad illud Exodi 23. *Inſontem & iuſtum non interficies.*

Conſenſus matris in cædem ſuam, non honeſtaret ſectionem.

4. Nec poteſt iſta innocẽtis interfectio, honeſtari vllo ex illis modis qui ab aduerſariis obtenditur ſceleri; puta conſenſus à prægnante præſtiti, vel ſalutis æternæ per baptiſmum cum vita temporaria

proli conciliandæ. Nam consensus quidem prægnantis, nullo modo purgat occisionem eius, quia dominium propriæ vitæ nemini competit, sed quamuis quisque sit propriæ vitæ custos, & fructuum eius siue actionum dominus, tamen dominium vitæ humanæ est penes solum Deum, qui solus potest absque iniustitia de ea disponere pro libito. Sicut ergo ob eam causam, nemo potest sibi vitam eripere iniussu Dei, ita nemo consentire potest, vt sibi vita eripiatur ab alio. Vel si per ignorantiam aut vitæ fastidium consentiat vel etiam expetat manus sibi violentas inferri ab alio, qui eas intulerit, non erit liber à scelere homicidij. Sanè Saül consensit in mortem suam ab Amalecite patratam, vt ipse quidem Amalecites professus est. 2. Reg. 1. & consentit Iosephus l.6. Antiq.cap.vltimo: nec pauci Rabbini idem tradunt, ac etiam ex nostris nonnulli. Et tamen Dauid, tanquam homicidij ex ore suo reuictum Amalecitem morti addixit. Agnouit igitur Dauid, nihil referre ad labem homicidij declinandam, quòd is qui peremptus erat, consensisset in necem suam: ac proinde cum ignoraret infelicem Amalecitem ad emercandam ipsius Dauidis gratiam mentiri, vt plerique sacri interpretes affirmant, meritò morte plectendum edixit quem censebat, vt eius ferebat oratio, interfecisse Saülem, tametsi annuentem, imo vt interficeretur vrgentem. Vanus ergo est prætextus quo in circunstantiis de quibus hoc capite agimus mater aperto ventre trucidari licitè creditur, quia ipsa consentit. Nec potest obtendi, quòd mater id faciens, vitam suam corpoream postponat vitæ spirituali prolis, ideóque laudabiliter annuat suæ sectioni,

ſectioni, in hoc quoque euentu, quod erat Naldi argumentum. Hoc inquam, vt benè monſtrat Nauarrus conſil. 1. de homicid. obtendi nequit: quia tunc tantùm laudabiliter poſtponitur vita noſtra alienæ ſaluti, cum ea poſtpoſitio vacat peccato. At hîc mater annuens, peccaret mortaliter.

Nec cuiuſcunque boni conſecutio, ex ea ſectione.

5. Alter quoque prætextus qui obtendebatur ſceleri, inanis eſt; nimirum quod huiuſmodi cædem ingentia bona ſint conſecutura, præſertímque æterna ſalus pueri, qui poterit baptiſmatis ſacramento initiari, alioqui autem morietur inexpiatus. Hic inquam prætextus eſt planè vanus, & ab ipſo Apoſtolo diſiectus Rom. 3. cum negauit eſſe facienda mala vt eueniant bona, déque ſibi impoſita contraria falſitate expoſtulauit. Itaque non poteſt admitti vel exiguiſſimum peccatum, (dummodò peccatum verè ſit,) quantacunque boni ſpes oſtentetur: Et licet omnes deinceps mortales prohibendi eſſent damnatione, & omnes hactenus detruſi in Tartarum, eſſent inde eximendi, ac cœlo inferendi, & donandi beatitate, interuentu minimæ labeculæ venialis, permittendum potiùs eſſet omnium retrò damnatorum perpetuum exitium, & vniuerſorum qui conſequentur mortalium æterna ruina, quàm ruendum in qualecunque peccatum veniale, cuius admiſſio tantis malis occurſura, & tot bona tantáque, quanta concipere poſſit humanus animus, conciliatura ſupponeretur: quæ eſt præclara & omnium conſenſu firmata, D. Anſelmi doctrina.

Igitur vt infans suscepto baptismo quo alioqui cariturus est, euadat æternam mortem, & cœlitibus adscribatur, non licet admittere cædem innocentis.

Sicut ob similem prætextum baptizandi pueri, non liceret eum mox moriturum proiicere in flumen, si alia ratio illum baptizandi deesset, quod est in hanc rem argumentum Maioris in 4. d.4. q.2. §. *contra has*. Esset quidem baptismus ille infantis sic proiecti verus baptismus, vt rectè probant Suares t. 3. 3.p. d. 20. s. 3. Ægidius Coninck 3.p. q.66. num.68. Layman tract. de baptism. cap. 3. num.5. malè reclamantibus Toleto lib.2.cap.18. *sub finem*, Molano lib.4. Theol. pract. c.3. num. 45. & Henrique lib. 2. cap. 7. num. 3. post Richardum in 4. distinct.4. art.4. casu 2. Tamen nemine discrepante proiectio illa infantis mox morituri, in flumen vt ibi baptizetur, non honestat occisionem illam infantis; & qui in tali necessitate constituti puerum aliquando sic proiecerunt, vt baptismo initiaretur, quod reuera contigisse, testatur Syluester V. *baptismus* 4. q. 10. ab omnibus improbantur tanquam homicidæ, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

Eandem ob causam si ad conferendum infanti baptismum non suppeteret alia aqua quàm pestifera aut venenata, cuius affusione infans postea moriturus vi morbi quo laborat, esset illico extinguendus, non liceret eum baptizare adhibita tali aqua, etiamsi ad baptismum validum idonea, vt puer per mortem temporalem vitam consequatur æternam, quod rectè docet Suares t.3. 3.p. d.31. s. 3. & Ægidius qui in hoc excutiendo multus est

3. part.

3.part. q.66. num.75. Et ratio ineluctabilis ac vnica est, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, iuxta Apostoli oraculum.

Argumentum in contrarium, ex licita minoris mali electione, præ maiori.

6. Miseret verò me infirmationis, quæ ad huiusmodi argumentationem adhibebatur, inter proponendum fundamenta contrariæ sententiæ. Nimirum quod licitum sit eligere minus malum relicto maiori, vt habet recepta doctrina: ideóque licitum videatur, matrem annuentem, vel etiam id vrgentem secare, tametsi vi sectionis obituram, eo quod istud aliquale malum quod mulieris mox interituræ occisione admittitur, compensetur tam multiplici bono inde exorituro, sed maximè æterna infantis salute, propter quam obtinendam præscribitur baptizandum esse infantem paulo post moriturum, etiamsi tanta sit eius debilitas, vt minima aquæ affusione iudicetur necandus, & moriturus aliquanto ante tempus quo vi morbi auferendus fuisset è viuis: quia in eo euentu momentaneum illud vitæ præsentis quod infanti succiditur per aquæ affusionem, pro nihilo ducitur, præ beata æternitate quæ infanti cum baptismo paratur. Sic Sotus in 4. d.3. q.vnica, art.8. propositione 5. Item Ioannes Chapeauille l. de necessitate & modo administrandi sacramenta tempore pestis cap.2. q.12. Nec multum abest ab eo dicendi modo Ægidius 3. part. q. 66. num. 76. post Vasquem 3. p. d. 145. num.25.

Expeditur.

7. Hæc eneruatio argumenti per nos propositi, quam ab vno ex aduersariis scripto comprehensam memini legere, miserationem reuera mouet. Nulla siquidem ratione ferri potest,vt Christianus malum aliquod morale quantumuis tenue, licitè suscipi posse affirmet, eo quod magno aliquo bono compensetur, vel aliquod ingens malum excludat. Id enim est expressè contra Apostoli pronunciatum. Nec isti stultilogiæ patrocinatur, vel S. Gregorius 32. moral. cap.20. cum ait, *Dum mens inter minora & maxima peccata constringitur, si nullus omnino sine peccato euadendi aditus pateat, minora semper eligantur*: Vel sensus Doctorum, qui referebantur sensisse, posse suaderi minus malum vt vitetur grauius. Hæc inquam non patrocinantur insulsitati quam refellimus. Nam S. Gregorius, agit de perplexo, qui ex erronea conscientia putat se adigi ad alterutrum è duobus malis admittendum. Haud dubiè enim qui angustiis illis arctatur, melius faciet eligendo minus malum: id est minus delinquet quàm si rueret in malum grauius, quamuis seclusa conscientia erronea nullus vnquam sit status talis. Vide Sanchem l. 1. in decalog. cap.11. n.13. & Cordubam l.3. q 4. ad 3. At in re præsenti nulla est perplexitas vt notum est.

8. Illi verò alij Doctores qui tradiderunt licitum esse suadere minus malum morale siue minus peccatum,ei qui obfirmatus est in patrando maiore, quamuis non placeant omnibus,& nominatim eos refellant Valentia 2. 2. d.5. q. 21. punct. 4. Sa V. *peccatum* num. 8. Azor t.2. l. 12. c. 16. q.8. tamen

in.

in optimo ſenſu ſunt locuti: Neque enim voluerunt fas eſſe minus peccatum admittere vt euitetur maius, qui ſenſus illis affingitur ab iis quos impugnamus: ſed tantùm voluerunt, ſatius eſſe admittere peccatum minus quàm maius, poſito quod alterutrum obfirmaueris admittere. Vel certè fas eſſe tales improbos docere, quod minus peccabunt patrando noxam leuiorem: itémque illis etiamſi fortè de ſolo maiore malo cogitent, ſuggeri poſſe obiectum minore malitia ſordens, & autorem fieri vt in illud potiùs ferantur, quàm in alterum tetrius. Hoc autem non eſt approbare malum, nec eſt ferri in peccati electionem, ſed tantùm eſt inducere ad minus malum, ſuppoſito quod fixum & ratum ſit, alterutrum admittere, vel certè illud quod tetrius eſt. Tunc enim conſilium patrandi minus peccatum, eſt honeſtum & bonum, ſicut euitatio peccati maioris, eſt bonum quoddam, vt Ariſtoteles etiam notauit 5. Ethic. cap.3. Sanè talis ſuaſor, non dicit peccatori, *fac hoc malum*; ſed tantùm dicit, *poſito quod omnino ſtatueris peccare grauiter, vel quod è duobus inæqualibus malis tibi occurrentibus decreueris illud patrare quod maius eſt, abſtine potiùs à maiore, & fac iſtud quod eſt minus*; quæ eſt mali approbatio, non abſoluta quæ ſemper eſt illicita, ſed tantùm comparatiua & conditionalis, tendens ſcilicet in minus malum, deſiſtendo à maiore, poſito quod operans nolit ab vtroque deſiſtere.

9. Ita ſententiam illam de licitâ minoris mali ſuaſione exponunt, qui ei ſubſcribunt, Sanches l.7. de Matrim. diſp. 11. num.15. Mol. tract. 2. de Iuſt. diſp. 335. Rebellus 1. p. operis de Iuſtit. l.1. q.14. ſ.7. num.54. Salas tract. de vſuris dub. 49. &

Sayrus l.2. de sacram. c.8. q.1. articulo 4. quorum nonnulli rectè obseruant, æquè honestum fore consilium prædictum, etiamsi peccatum minus ad quod peccator inducitur, potiùs quàm ad alterum è duobus quæ obfirmauit facere, sit coniunctum cum damno tertij. Nihilominus enim adhuc consilium minoris mali honestum est, dummodò suasor non teneatur potiùs prospicere illi tertio quàm alteri cui grauius malum à malitia peccatoris potest ingruere: Tunc enim conditio personæ minùs lædendæ, vetat autorem fieri mali moralis minoris. V. g. volenti adulterio polluere extraneam, non potes autor esse, vt potiùs fornicetur cum sorore tua; quia plus teneris prospicere pudori sororis, etiamsi minore scelere violando, quàm nitori extraneæ coniugatæ, cum qua tetrius esset fœdum commercium. Vnde suggestio qua Loth vt propudiosos peccatores ab hospitibus dehonestandis auerteret, prouocauit ad abutendum filiabus, vel inhonesta fuit & improbanda, quod indicat autor altercationis synagogæ & Ecclesiæ cap.7. pag. mihi 39. & apertè facit Pererius in cap.19. Genes. disp.1. vel non fuit verè suggestio, profecta ab animo dehonestationis filiarum extra coniugium; sed tantùm fuit hyperbolica expressio doloris, quo vir iustus ob meditationem sceleris nefandissimi in hospites, discruciabatur, vt Molina disp. illa 335. pronunciauit. Sicut autem longè aliud est suadere minus malum, quàm facere illud; ita quamuis ille qui consilium præbet minoris mali patrandi, sit liber à culpa, dummodò obseruet quæ præmisimus, is tamen qui minus illud malum patrat, non est à culpa immunis; quia eius actus non est conditionalis

nalis & comparatiuus, supponénsque malam voluntatem alienam in nequitia obfirmatam; quæ sunt capita honestandi consilium de quo egimus: sed est actus absolutus ex libera voluntate malitiæ minoris, abiecta grauiore, ob interpositam à viro bono suasionem.

Quare doctrina prædictorum Theologorum à quibus consilium mali minoris est approbatum, ineptè profertur ad purgandam à culpa interfectionem prægnantis quasi minùs malam, & ideo iure prælectam. Non enim duo mala moralia inæqualia hîc comparantur, vt fit à prædictis Theologis, sed malum pœnæ confertur cum malo culpæ: Mors inquam infantis sine baptismo quæ nullius culpa continget, comparatur cum cæde matris, & istud vltorium malum, vt cum Tertulliano loquar, dicitur maius malo peccatorio, quod admittetur matrem necando per sectionem. At hæc est profunda ignoratio sacræ doctrinæ, quæ nunquam admittet peccati quantumuis exigui contentionem cum quantouis malo purè pœnali: nec vnquam suadebit vt admittatur aliquod leue peccatum, ad auertendum quantumcunque incommodum nulli culpæ coniunctum.

Quod si in negotio de quo agimus, aliqua institueretur comparatio inter duo mala moralia inæqualia, quorum vnum, quippe minus, suaderi posset homini pertinaciter obfirmato ad patrandum alterutrum non alia profectò esse posset, quàm cædis illatæ prægnanti ex bono fine, (V. g. baptizandi infantem,) cum cæde illata eidem ex solo iniquo motiuo. Nam non est dubium, quin cædes illa ex pio fine patrata, tametsi mala & iniqua, tamen

men minùs mala ſit quàm quæ ex fine iniquo patratur. Tametſi enim praua actio non expurgatur appoſitione boni finis, quia bonum debet ex integra cauſa exiſtere; tamen vtcunque diluitur malitia quæ ex fine bono ſuſcipitur, vt benè affirmat Ægid. Coninck diſp.3. de actio. ſupern. num.148. nec aliud voluit autor imperfecti operis in Matth. homil. 19. cum contendit propoſitum bonum, id eſt, intentionem bonam, excuſare opus quod eſt malum. Itaque ſi aduerſarij voluiſſent loqui ad rem, & rectè applicare doctrinam Theologorum de licito minoris mali conſilio, non debuiſſent agere niſi de cæde ex bono fine, collata cum cæde ex fine malo. Et tunc haud grauatè dediſſemus non malè operaturum qui ipſis in patranda prægnantis cæde obfirmatis, conſilium præbebit, vt ex bono potiùs fine illam cædant: V. g. conferendi puero baptiſmi, quàm ex fine malo, & ex ſe deteſtando: quamuis ipſi matris interfectores ex quocunque fine eam interficiant, ſint futuri culpæ obnoxij & ſceleris rei, tetrioris tamen ſi ex fine malo cædem admittant.

Moribundum infantem vi baptiſmi occidendum, licitè baptizari, falsò obtenditur.

11. Satis ſupérque depulſa videtur infirmatio ex aduerſariis prolata ad eneruandam argumentationem per nos adhibitam, contra prætextum qui purgandæ cædi innocentis obtendebatur, ex bono fine initiandi baptiſmo infantem, alioqui non perfundendum ſacris laticibus. Non debet tamen prætermitti

termitti indiscussum, quod in calce discursus talem infirmationem continentis, adductum obiter est, ad monstrandum quanti apud doctos sit baptizare infantem: nimirum quod velint baptismum infanti conferri, etiamsi aquæ affusio ob morbum quo malè afficitur, esset illum letho datura: negligántque & pro nihilo ducant, breuem illam vitæ moram quæ infanti interciditur per aquæ affusionem. Hæc doctrina non satis cohæret cum veritate pro qua hoc capite pugnamus. Ægrè enim ostendetur, quare non possit prægnans paulo post cum fœtu moritura, paulo ocyùs letho dari per sectionem vt fœtus baptismum certò suscipiat, si ipse fœtus ex eo fine potest paulo citius quàm morbi grauitas ferret, letho dedi ac interfici per aquæ affusionem.

Itaque nego, doctos edicere baptismum ex quo puer sit occidendus, etiamsi non multo antequàm esset moriturus vi ægritudinis qua laborat. Sed quod viri docti de eo euentu statuunt, illud est. In primis impossibile moraliter esse & potiùs metaphysicè cogitatum, quàm verè vnquam gerendum, vt affusio aquæ quanta necessaria est ad baptismi valorem, inferre possit puero necem. Sufficit enim aqua permodica, & quidem si res ferat tepefacta: qualem nemo iure existimet, vitæ infantis incommodaturam. Ita Scotus in 4. d. 5. q. 3. *litera B.* & Gabriel dist. 4. q. 2. art. 3. dub. 4. Addunt deinde alij, periculum cui infans exigua illa aspersione obiicitur, si reuera est aliquod, tam tenue esse, imo tam rarum támque incertum, vt meritò præ certo discrimine, imo omnimoda certitudine immanis mali quod imminet infanti nisi nunc baptizetur, occludantur ad illud oculi, nulláque illius habeatur ratio,

ratio, tanquam non cadentis sub æstimationem prudentem, & considerationem humanam. Quod voluerunt Vasques & Ægidius qui videbantur suffragari doctrinæ proximè reiectæ in Chapeauillæo. At longè alia ratio esse debet sectionis, qua innocenti certum moraliter vitæ exitium infertur: proindéque meritò negamus, esse tunc posse sectioni locum; quamuis exigua illa ablutio quæ aduersus hanc veritatem vrgebatur, in euentu proposito prætermittenda non esset, ob ingentem ablutionis illius & huius sectionis disparitatem, nunc assignatam.

Noua contra sententiam nostram difficultas, ex eo quod sectio matris in propositis circunstantiis, sit tantùm vitæ abbreuiatio.

12. Sic discussa falsa sententia nonnullorum Medicorum, occisionem matris mox naturaliter morituræ, sectione adhibita patrandam, approbantium; vt veritas contraria cui subscripsimus, multipliciùs appetita, stet firmiùs solidiúsque subsistat, placet vnum & alterum arietem à Medicis illis in quorum scripta incidimus non admotum, aduersus eam intentare, atque disiicere. Amicus ergo extra Medicorum chorum, cui tamen principio Medicorum sententia hactenus contrita arriserat, opposuit in primis, sectionem in euentu de quo agimus, non esse occisionem innocentis quæ reuera non esset licita, sed tantùm esse accisionem nonnullam, siue abbreuiationem vitæ eius: quæ abbreuiatio

abbreuiatio ex fine bono sancta esse potest, imo ad tollendam summam miseriam spiritualem propriam vel alienam, esset personæ abbreuiationem subituræ non modò licita, sed etiam necessaria: cum vnusquisque teneatur vitam suam corpoream postponere alienæ saluti spirituali extrema necessitate laboranti, & multo magis idem sibimetipsi debeat. Quidni ergo eam vitæ abbreuiationem, quam persona in summum suum vel alterius spirituale bonum tenetur sibi velle, poterit alius pro explendis eius obligationibus satagens illi curare, & de eius consensu perficere? Ne res generatim duntaxat expressa, sit subobscurior, dicamus in particulari. Mater tenetur propriam vitam pro summa sua vel aliena spirituali necessitate tollenda, posthabere; atque adeò in eum finem, si opus sit, tenetur vitam suam abbreuiare, quod multo minus est quàm vitam prodigere, ac exponere certo exitij periculo. Igitur si in eundem finem tollendi summam eius vel alterius necessitatem spiritualem, aliquis ei præsertim consentienti ad vitæ abbreuiationem cooperetur, illámve efficiat, labe vacabit. At qui matrem secat, perbreui secundùm naturæ cursum obituram, vt fœtus eximatur, & baptismi fonte lustretur, aliud non facit, quàm vitam matris accidere, & abbreuiare tantisper, vt benè fœtui sit in æternum. Igitur sectio matris, tametsi circunstantiæ sint quales proposui, non debet ei vitio verti.

Dissoluitur.

13. Hæc difficultas, non difficilè expedietur. Admitto igitur fas esse, studio spiritualis commodi,

&

& multo magis ad leuationem summæ spiritualis necessitatis propriæ aut alienæ, aliquid facere vel omittere, vnde vitæ longioris dispendium, & abbreuiatio nonnulla consequatur. Nec tantùm fas est ita se gerere, sed aliquando quoque est necessarium. Sic S. Bonauentura in 4. d.38. artic.2. q.vltima, & Bellarm. l. de Monachis c.32. ad 4. Ioan. Medina C. de ieiun. q. 13. *in fine*. Filliuc. tract. 29. num.77. meritò negant fas esse ei qui continentiam vouit, inire coniugium, etiamsi contingeret, eum corripi morbo quem solus coniugij vsus de Medicorum sententia sanare posset. Gratis enim demus, quod Marsilius Cagnatus 1. var. cap. 1. Septalius sect. 4. probl. q. 17. & anteriores Medici apud S. Ambrosium epistola ad Paternum, contendunt; nimirum vsum Veneris quibusdam morbis & saluti corporis esse opportunum, ita vt alia ratione declinari nequeant: quod falsitatis redarguunt Scaliger exercit. 269. & Michael Medina l.4. de contin. controu. 4. c. 17. 18. & 23. ac Codronchus l.1. de Christ. & tuta medendi rat. cap. 20. Contraria tamen suppositione gratis admissa, statuendum est, illam aliqualem, reuera semper incertam, vitæ prorogationem vsum coniugij consecuturam, non esse bono seruandi voti anteponendam. Ac ne bono quidem liberæ continentiæ præferri ex obligatione deberet: vt propterea æterna cum laude aliqui à Spinello recensiti tract. de Virginibus n. 29. illibatam corporis puritatem nexibus omnibus exsolutam, prætulerint temerationi eius intra connubij leges, per quam Medici, curationem à morbis, aliter (vt aiebant) immedicabilibus, pollicebantur. Illa quoque vitæ abbreuiatio quæ redactionem corporis

corporis in seruitutem per asperitates & imbonitates affectatur, improbari nec potest nec debet, cum viri sanctissimi vsu suo illam firmarint: quidam assumptis cibis vitæ prorogandæ mirùs commodis, & abiectis in perpetuum iis dapibus è quibus melior corporis habitus, atque adeò longior vita futura erat: alij castigatione corporis exemplo Apostoli,& quâ flagellis,quâ cilicio cótusa carne & ad rationis ductum subacta:alij denique chameuniis & humicationibus;tanto pœnitentiæ studio,vt sub mortem de molliore strato deiici & super cineribus collocari voluerint, non sine aliquo vitæ dispendio, atque compendio. Et tamen nemo sanus, & sapiens quæ Dei sunt, ista improbat, quin potiùs valdè commendat & lubens vsurpat. Soli molles ac voluptarij, vt Petrus Cerebrosus à Petro Damiani sæpè ea ex causa castigatus, vel certè Sectarij cum quibus in hac re confligit Gretserus in opere de disciplinis, sanctum illum vsum ex illata per eum vitæ abbreuiatione impugnant, exsibilandi potiùs quàm refellendi. Imo nisi tales aliquæ abbreuiationes vitæ ex fine commodi temporalis labe vacarent, repudiandæ essent pleræque artes operosissimæ, vt ex Gersone argumentatur Nider. parte 3. consolat. cap.7.

14. Quamuis igitur prædictas ac similes vitæ abbreuiationes, admittam esse innoxias, tamen longè alia est ratio abbreuiationis vitæ, quæ infertur per sectionem Cæsaream in euentu de quo agimus. Hæc enim non est reuera abbreuiatio duntaxat, sed etiam ademptio vitæ. Sicut cùm quis secundùm cursum naturæ vitam ad decennium prorogaturus, hodie occiditur, ea occisio est vitæ ab-

I breuiatio,

breuiatio, sed talis quæ vitam tollat. Eas igitur vitæ innocentis abbreuiationes, quæ duntaxat abbreuiationes sunt, honestare licet per finem bonum ex quo suscipiuntur, dummodò nec sint notabiles, nec sensibiles: quas binas limitationes adhibet & latè versat Ioannes Medina Cod. de Ieiunio q.13. docens, quoties vita sensibiliter aut notabiliter breuiatur per ieiunia aliásve asperitates, vsum illum esse illicitum, & pertinentem ad eas corporis castigationes iusto auctiores, & vt vocant indiscretas, quas Patres sæpè auersantur. Quanquam Patres excessum hac in parte damnantes, aliò ferè spectant, quàm vt ex illicita vitæ abbreuiatione nimietates illas coërceant. Videsis S. Basilium in constitut. monast. cap. 4. n. 5. & reg. 90. ac 128. breu. & l. de virginit. *sub initium*, Cassianum collat. 1. c. 10. & collat. 2. cap. 16. & coll. 5. à c. 19. & l. 3. de instit. renunc. cap. 8. ac lib. 11. cap. 6. Richardum Victorinum de exterm. mali tract. 2. cap. 7. & in Benjamino minore cap. 57. & 58. S. Bonauenturam c. 5. vitæ S. Francisci, & Asceticos passim.

Tum demum igitur ob illicitam vitæ abbreuiationem damnantur ieiunia, aliæque asperitates iuxta Medinam, cum ægritudinem non leuem inferunt, aut sensibiliter vitam decurtant. Nimirum tunc asperitates illæ petunt directè & immediatè vitam, eámque proximè lædunt, quod est illicitum. Nam quamuis non vetemur remotè & indirectè vitam lædere, oblæsione aliqua dispositionum inducta; quia hæc non est applicatio causarum mortis, sed tantùm aliquorum corporis incommodorum quibus sæpè contrarius naturæ nisus obsistit; nec imprudenter præsumimus auctiores in hoc negotio

gotio esse naturæ vires, quàm genio sibi abblandiente, & subdolè in rationis fraudem intento, suadeamur. Vetamur tamen, directè & immediatè in vitam ipsam & eius conseruationem ac prorogationem insurgere: quod non faciunt qui studio pœnitentiæ vel præbendi boni exempli molliora refugiunt, etiam ad extrema deducti, vt Vasques 1. 2. d. 162. num. 25. & 26. rectè statuit: faciunt autem, qui per asperitates nimias vitam sibi sensibiliter & notabiliter accîdunt, & prorogatione impediunt: idémque multo magis circa fœminam prægnantem faciunt, qui eam secant, cum non affulget spes boni exitus; sed certum moraliter est interitum illi accelerandum, aut inferendum vi sectionis: vnde nec debet, nec potest, ad leuandam summam necessitatem spiritualem prolis, vel vrgere vel consentire, vt cum tali peccato secetur, quia charitas non potest obligare ad peccatum.

Difficultas alia, ex eo quod mors matris videatur esse per accidens.

15. Alter aries, quem admotum quatiendæ sententiæ nostræ, ab amico non de Medicorum pueris, referebam, hic fuit. Esto, sectio Cæsarea sit directa & sensibilis impetitio vitæ innocentis, idcirco tamen labe vacat, quod per se tantùm intendatur salus temporaria, vel etiam æterna eius cui sectione prospicitur V. g. fœtus: per accidens verò sit quod inter sic quærendam vnius salutem, innocens pereat præter quærentium intentionem: Sicut in bello iusto, fas est lædere innocentem præter intentionem, vt plectatur nocens, de quo nemo

 ambigit.

ambigit. Fas item esse, ad declinandum hostem insequentem vrgere equum cui insideas, tametsi obuius in via infans iam baptizatus, indeclinabiliter proterendus sit, vel de ponte in subiectum flumen deturbandus, asserit Lessius l. de Iust. c.9. num.59. licet refragentur Malderus tract. 3. de Iust. cap. 1, dub.12. Sayrus in Claui Regia l.7. cap.12. num.17. Corduba l.1.q.38.dub.2. Torres t.2. in 2.2.disp.26. dub.2. num. 27. & quoad non dormientem in media via (sic enim distinguit) Rodericus 1. part, cap. 135. num 5. Similiter innoxium censetur, & labe vacans, si miles generosus ad suffodiendam turrem hostilem, pulueri tormentario copiosè admoto ignem iniiciat, certus se ruente turre opprimendum, vel ignis impetu perdendum. Milites quoque aut classiarij, desilientes in mare incensa naui, ne in potestatem hostium veniat, ibique pereuntes, liberantur à culpa; sicut & is qui grassante incendio per altam fenestram se deiicit, & ne viuicomburio deflagret, casu & allisione obteri deligit. Purgant hæc omnia Lessius cap. illo 9. à num.32. Bonac. disp.2. de rest. q.vlt. s.1. p.5. num.8. & Filliucius tract. 29. cap.4. Non videntur autem aliter meliùs purgari posse, quàm quia qui talia agunt, intendunt finem honestum: V. g. hostium subactionem, aut impeditionem ne ditescant & nauibus instruantur cum damno nostro, vel indemnitatem à conflagratione imminente; quæ omnia ab eis honestè intenduntur ac iustè; per accidens autem est, quod cum ea iuris sui prosecutione, interitus innocentis coniungatur, à quo maximè abhorret sic operantis intentio.

At videtur esse planè par ratio, secātium matrem

in euentu de quo agimus Intendunt enim duntaxat, corporis & animæ salutem, vel in matre, vel in prole, qui finis est valdè honestus, & qui eum prosequuntur matrem secando, non plus influunt in mortem innocentis, quam præuisum est ex sectione secuturam, quàm miles turrim suffodiens, influat in suam oppressionem, de cuius consecutione non dubitat; vel quàm classiarius nauem incendens, influat in suam concremationem ab igne, quam habet satis exploratam. Sicut ergo hæ ac similes actiones, excusantur à culpæ sæuitia in seipsum, quia mors propria inde consequitur per accidens, & præter intentionem; ita idem dici posse videtur de sectione prægnantis, quam innocentis mors per accidens consecutura præuidetur.

Enodatur.

16. Ad hanc difficultatem, respondendum in primis est, occisionem innocentis cum sectio Cæsarea adhibetur in circunstantiis de quibus agimus, non se habere per accidens ad sectionem, sed planè per se: quandoquidem in eo euentu, sectio est directè occisio innocentis. In exemplis autem quæ adducebantur, quatenus veritatem continent, (nec enim est quod vrgeat nos ad præstandam omnium illorum exemplorum veritatem, quomodocunque proponantur,) occisio consequens, eatenus se habet per accidens ad actionem per se intentam, quatenus sunt duo actus concomitantes, qui non sunt adeò intrinsecè nexi, quin suapte natura possint disiungi; quamuis in his circunstantiis, magnum ac graue periculum sit, ne coniungantur. Granditas

tamen ac dignitas boni quod per se quæritur, tanta esse potest in exemplis quibus vita propria, insigni periculo exponitur, vt honestam reddere valeat aditionem illius discriminis, propè certi interitus inde per accidens consecuturi. Cum enim sit duntaxat periculum, non potest dari omnimoda certitudo interitus illud adeuntium: præsertim cum non pauci, ex discriminibus non disparibus, modo insperato emerserint. Vel si detur omnimoda certitudo exitij consecuturi, operatio illa non erit duntaxat aditio discriminis, quæ sola conceditur; sed etiam directa in seipsum grassatio, quæ planè vetatur. Similitérque in illis aliis exemplis quibus mors absque culpa inferebatur innocenti distincto ab operante, hæc occisio coniungitur planè per accidens cum operatione quæ exercetur; quia si innocens abesset, posset eadem operatio fieri. Æquè enim plecterentur noxij & stringerentur in eos arma ac disploderentur machinæ, si nulli cum eis essent innoxij. Et idcirco est planè per accidens quod noxij intermisceantur innoxiis,& in vtrosque indistinctè incurratur, dum satagitur pro indemnitate proprij iuris, quod supponitur tale esse,vt non sit obligatio abstinendi eius prosecutione ob interuenturum per accidens damnum innocentium. Sic igitur res habet in propositis exemplis occisionis innocentium, liberæ à peccato, eò quod per accidens iungatur cum actione per se intenta.

At in euentu de quo disputamus, interfectio innocentis non iungitur per accidens cum sectione Cæsarea,sed est vna & eadem actio; quæ si dicatur vacare culpa quia malitia eius non intenditur, sed tantùm finis actui substrato appositus, næ ad hunc modum

modum fas erit omnia peccata purgarè. Nullum quippe erit opus malum, quod non liceat patrare, eo prætextu nequitiæ obducto, quod malitia se habeat per accidens ad intentionem agentis, quæ tantum fertur in bonitatem actus substrati malitiæ, & extrinsecum finem illi appictum. Qui hoc diceret, ineptum omnino perfugium captaret, meritóque irrideretur: quia malitia tam intimè nexa cum opere directè volito, non potest censeri se habere per accidens ad illud opus, nec est necesse illam directè intendi, cum sufficiat directa volitio actus, cui impræcisibiliter adiungitur in talibus circunstantiis, in quibus actio vetabatur. Itaque malitia sectionis Cæsareæ, in euetu de quo disceptamus, non se habet per accidens ad sectionem in genere moris spectatam; nec inde potest honestari talis sectio, quod bene etiam monuit Ægidius Coninck 3. p. q. 66. n. 75. *in fine.*

17. Nec discrepat Præpositus 3. p. q. 66. n. 99. fassus non licere matrem adhuc viuam secare prætextu baptizandi fœtum, vel alterius cuiuscunque boni finis, eo quod talis sectio, (vtique in circunstantiis de quibus agimus,) esset directa innocentis occisio; ac proinde censet culpam homicidij non fore per accidens ad sectionem, meritóque esse imputandam, quia non se haberet vt præuisa tantùm, & merè permissa, sed verè vt approbata & volita. Hoc benè. Sed addit idem autor, aliquid cum hac doctrina minus cohærens. Ait enim, infantem vtero matris conclusum, si aqua ad illum immitti quoquomodo valeat, esse sacro lauacro perfundendum, etiamsi ex ea aquæ immissione quantulacunque, præuideatur secutura mors matris, & reipsa

 consequatur.

consequatur. Nihilominus enim fas putat baptismum conferre infanti, quia tūc actio ministri non respicit matris interitum tanquam terminum, sed ablutionem prolis: quæ ablutio in ratione actionis materialis est aliquid indifferens, in ratione autem ritus sacri, est sancta & honesta. At mors matris subsequens, est solùm permissa, vnde se habet per accidens ad ablutionem quæ exercetur, nec imputatur ad culpam. Hæc dico non cohærere cum ante dictis. Si enim supponamus constare, matrem ex attactu aquæ ad baptizandum fœtum immissæ, esse necandam, ea immissio tam erit directa occisio matris, quàm sectio in circunstantiis de quibus hoc capite agimus: ac proinde æquè vtraque vetabitur, & culpa homicidij æquè se habebit, non per accidens, sed per se ad vtramque actionem. Fateor suppositionem illam de matre attactu qualiscunque aquæ ad baptismum sufficientis necanda, esse suppositionem Metaphysicam, & quæ vel nunquam, vel perraro possit accidere. Tamen si admittatur, non video quomodò aquæ immissio in hoc euentu possit purgari, ita vt ad culpam non imputetur, sitque adhibenda: sectio autem matris in circunstantiis propositis, censeatur sordens inexpurgabiliter, & omitti sub graui culpa debeat.

CAPVT

CAPVT VIII.

In dubio an sectio mortem innocenti sit illatura, quid de eius vsurpatione statuendum.

1. EGIMVS de sectione matris viuentis cum spes affulget boni euentus; itémque cum spes illa est præclusa. Et posito quod spes illa affulgeat, vidimus sectionem & honestam & necessariam esse: posito autem quod sit præclusa spes omnis; sed vi sectionis inferenda sit mors innocenti, statuimus illicitam esse sectionem & non adhibendam. Nunc discutiendum sequitur, quid statuendum sit, posito quod spes boni euentus sit dubia, ita vt ne probabiliter quidem iudicare liceat, quò cessura, & quem exitum habitura sit sectio si adhibeatur.

Suppositio necessaria; Possitne agro desperato adhiberi remedium, anceps ad fructum vel damnum.

Vt solidè procedamus, & resolutio difficultatis propositæ ex suis principiis radicitùs eruatur, præmittenda est discussio difficultatis generalioris, ex qua istius enodatio pendet; nimirum sitne fas ægris aut medicis, per se loquendo & seclusa ignorantia inuincibili, vsurpare remedium, de quo planè ambi-

gatur sítne profuturum an nociturum. Qui enim necessarium esse affirmant ad licitam remedij vsurpationem, vt vel probabiliter speretur remedium profuturum, etiamsi id iudicetur minùs probabile: vel saltem exigunt, vt certum appareat, remedium non esse obfuturum; aliter pronunciabunt de honestate sectionis cum spes boni exitus dubia est, quàm qui aliud sentiunt circa eam vsurpationem remedij de cuius felici exitu non liquet; ac ne probabiliter quidem statui potest, sítne profuturum vel obfuturum. Quare iure priùs de ea generaliore difficultate pronunciabimus.

Pars negans.

2. Non pauci ergo quos profert & sequitur Castro Palaü tract. de conscientia disp. 2. punct. 9. num. 5. & Moxius l. 2. de venæ sect. in morb. acut. cap. 13. itémque Codronchus l. 1. de Christ. med. rat. c. 6. ac Naldus V. *Medicus* num 8. omnino negant fas esse ægro aut Medico vsurpare remedium, de quo aliqua saltem, licet minori probabilitate, non constet quod sit profuturum, vel saltem quod certò non sciatur non obfuturum. Adducit Castro in eam sententiam è Iurisperitis Abbatem & Innocentium; è Summistis ac Moralibus Theologis Antoninum, Angelum, Syluestrum, Villalobum, Rodericum, Sayrum, Azorium. E scholasticis, Vasquem, Salam, Cordubam, Antonium Peres. Firmat id quoque rationibus, quia nisi seruetur quod dictū est, adhibeatúrque remedium de quo nulla habeatur probabilitas quod sit profuturum, sed potiùs dubitetur an sit nociturum, manifestum est applicari

plicari causam efficientem mortis, quantum est ex parte applicantis: At hoc non potest vacare culpa. Deinde omnium iudicio improbantur, qui experimentum capiunt medicamentorum in ægris desperatis, eo quod per huiusmodi experientiam ægri exponantur manifesto periculo accelerandæ mortis: quod ipsum cernitur in re præsenti. Nam qui adhibet remedium, dubius an sit nociturum an profuturum, hæret animo circa medicamenti vim, ac proinde illud applicat ad capiendum experimentum, quod omnes negant fas esse Medico, atque adeò etiam ægro. Igitur vt licitum sit, remedium aliquod applicare, necesse est, vt aliqua tandem ratione quantumcunque tenui, constet illud esse ægro profuturum, vel saltem vt constet non esse obfuturum. Si autem æquè ambiguum sit, an nociturum sit an profuturum, abstinendum est eius applicatione, quicunque sit status ægri, ac etiamsi supponeretur actum de eo, nisi subueniatur valido aliquo remedio, quorum nullum exploratum & liquidò profuturum, sit ad manum.

Eligitur affirmans.

3. In contraria sententia, est Adrianus, tametsi subtimidè in 4. q. de correct. fraterna art. 3. §. *ex quo ad secundum.* Idem censet Valentia 2. 2. d. 3. q. 10. p. 2. & Sanches l. 9. de Matrim. d. 20. num. 19. & l. 1. in decal. cap. 9. num. 39. Fernandus de Moure p. 4. exam. cap. 12. §. 2. num. 4. nec improbabile id iudicat Filliucius tract. 21. num. 151. Huic sententiæ subscribo, videntúrque fuisse in ea permulti ex iis qui allegantur pro contraria, cum dicunt

vſurpationem remedij dubij honeſtari per aliquam probabilitatem boni euentus. Vocant enim *probabilitatem*, tenues illas ſpei non prorſus ſuccifæ reliquias fortuitas, quæ ſemper interueniunt quando vſurpatur remedium dubium in ſumma deſperatione, & imminente aliunde infallibili interitu. Qua ratione, Sanches cui adhæſimus liberatur à contradictione quam illi impingit Caſtro, cum c. illo 9. num. 42. *in fine*, negat licere adhibere remedium dubium, quo adhibito vel omiſſo ingruat par mortis periculum, niſi adſit probabilitas aliqua fore vt proſit: contra quàm docuerat num. 39. vbi tradiderat, fas eſſe vſurpare medicamentum dubium, de quo nullatenus conſtet an ſit mortem illaturum, an vitæ alioqui iam deſperatæ commodaturum. Hæc inquam apparens contradictio, depellitur. Nam hoc ſecundo loco, Sanches nomine *probabilitatis alicuius*, intelligit ſpem aliqualem, vel ſaltem non omnimodam ſpei excluſionem, quæ ſemper interuenit in dubio de quo diſceptamus. Si enim prorſus exularet ſpes commodi remedium adhibitum conſecuturi, abſurdè adhiberetur: vnde fieri non poteſt, quin is qui illud adhibet, iudicet non eſſe prorſus ſuccifam ſpem commodi ex medicamento adhibito reportandi. Et hanc non excluſionem omnimodam ſpei, Sanches ſecundo loco, & plerique alij è Doctoribus pro contraria ſententia prolatis, vocant *probabilitatem aliquam* vtilitatis, vſurpationem remedij conſecuturæ. Atque adeò plerique ex iis qui pro contraria ſententia ſunt adducti, iſtam ipſam cui ſubſcripſimus tradiderunt. Et quod magis mireris, idemmet Caſtro qui Thomæ Sancio obiiciebat immemoriam, eidem criminationi ſe obnoxium

obnoxium fecit. Nam tract. 6. eiusdem operis disp. 3. p. 5. num. 6. totidem verbis tradit, quod hîc in speciem negat; licere scilicet in desperatis ægri rebus, adhibere remedium dubium, de quo ambigatur an sit nociturum an profuturum; & in eam rem adducit illos autores quos puncto illo 9. allegat contra sententiam cui adhæsimus.

Galeni pro ea suffragium; & hoc quantum.

4. Profertur pro ea Galenus Medicorum Princeps, qui in summa morbi lethalis desperatione, informat Medicum vt intrepidè vsurpet remedium planè anceps, his illum verbis compellans, *interfice audacter*. Nolim tamen multum inniti Galeno cum de culpa vitanda agitur, & de pronunciando an aliquid rectè & sanctè faciẽdum sit circa ægrum desperatum. Nam homo in solam corporis tuendi, & à morte quomodolibet subducendi curam intentus, non multum sollicitus esse solet, quid ferant conscientiæ iura. Vnde videmus, plerosque Medicos nonnulla præscripsisse ad sanitatem reparandam aut retinendam, quæ naturale lumen auersanda & detestanda docet. Legesis Moxium l. 2. de venæ sect. in morbis acutis cap. 15. & Codronchum toto propè lib. 1. de Christiana & tuta medendi ratione. Videmus item addictos præscriptis quorumuis Medicorum, multa sæpè in Deum admittere, vt non dubitarit id attendens S. Ambros. serm. 22. in psalm. 118. vers. 6. pronunciare, *contraria esse diuinæ cognitioni, præcepta Medicinæ*, nempe Medicinæ ex legis, qualem profitentur impij quidam Medici.

Quid

Quid ergo mirum esset, si Galenus culpam in vsurpatione remedij dubij admittendam neglexisset, quem peritiæ Medicæ, quàm sanctimoniæ studiosiorem fuisse, monstrat non vna apud eum vellicatio, & Mosis, & Christianorum? Nam lib. 11. de vsu partium, subsannat Mosem ob tributam Deo infinitatem potentiæ in productione rerum. Et libro 2. de differ. pulsuum, scholæ Christi & Mosis simplicitatem asininam, quidlibet sibi absque demonstrationibus persuaderi patientem, irridet. Rursúsque lib. 3. eiusdem operis, Mosis & Christi assectarum firmitatem in retinenda fide percepta, confert cum pertinaci capitositate, addictorum sectis suis Philosophorum quorundam, ac Medicorum. Alibi quoque, Mundi ex nihilo creationem à Mose traditam, mordet. Itaque quid mirum foret, si homo impius & blasphemus, nodum conscientiæ minùs conuenienter dissoluisset; idque præscripsisset faciendum in euentu implexo & obscuro, quod ad amussim Christianæ Theologiæ exactum, deprehenderetur à recta iustitiæ aut charitatis linea, malè deflexum atque distortum? Valeat tamen in hac re iudicium Galeni, quantum per æquum & facilem lectorem licebit.

Et idem esto de Celso, cuius illa sunt sanè in hanc rem luculenta l. 2. de re Medica, cap. 10. cum agit de periculosa sanguinis detractione. *Si nullum aliud apparet auxilium, periturúsque sit qui laborat, nisi temeraria via fuerit adiutus; in hoc statu, boni Medici est ostendere, quàm nulla spes sine sanguinis detractione sit, faterique quantus in hac re metus sit, & tum demum si exigetur, sanguinem mittere. De quo dubitari in eiusmodi re non oportet.*

oportet. Satius est enim anceps auxilium experiri, quàm nullum.

Rationes pro eadem sententia.

5. Insinuant vel continent hæc Celsi verba, rationem optimam pro nostra sententia. Nimirum quod in eo euentu, inter duo mala quæ sunt necessariò incurrenda, præferendum sit quod est minus. Atqui longè minus malum est mors dubia, vel potiùs acceleratio dubia mortis, quàm certus mortis incursus. Qui enim adhibet medicamentum planè anceps rebus ægri iam aliunde desperatis, non erit reuera causa mortis, si contingat medicamentum officere: quia mors supponitur necessariò euentura vi alterius causæ iam operantis, etiamsi paulo segniùs eueniret. Est igitur causa duntaxat accelerationis mortis. Imo rem attendendo secundùm modum operandi humanum, qui est ex prænotione ac electione, ne acceleratio quidem mortis dicenda est causari ab applicante huiusmodi medicamentum, sed tantùm dicendum est, eum exponere ægrum periculo accelerandæ mortis. At longè conformius est recto iudicio, & charitati in ægrum, vt exponatur ei periculo accelerandæ mortis in illis angustiis, quàm vt dedatur certæ morti iam iam instanti. Quid si enim aditio intrepida periculi benè cedat, & Deus de illis tenebris lucem splendescere faciat? Fortè remedium quod nescitur an sit profuturum an obfuturum, proderit plurimum, & auertet certam mortem quæ est in foribus, & statim aderit.

Planè ex prudentiæ legibus, præstat non abiicere

aliqualem

aliqualem illam ſpem, ſeu potiùs non excluſionem ſpei, quæ vna ſupereſt in alioqui certo ægri exitio. Sicut nemo negarit, fas eſſe ei quem leo rugiens inſequitur, laceraturus & voraturus apprehenſum, deiicere ſe è loco ſublimi vt euadat certam mortem horribilem, voluntario incurſu periculi mortis ex deiectione. Dubium quippe eſt, an ex deiectione ſit mortem incurſurus, quia fortaſſis duntaxat collidetur crure aut brachiis: vel ſi contingat vt ex deiectione mortem oppetat quam per leonem oppetiturus certò erat; deiectio, phyſicè quidem dici poterit inuexiſſe accelerationem nonnullam mortis æquè per leonem inferendæ; moraliter autem & ſecundùm prudentem æſtimationem, aliud non fuerit quàm aditio grauis periculi anticipandæ aliquatenus mortis. Atqui longè ſatius eſt, anticipationis illius periculo ſe committere, non excluſa prorſus ſpe vitæ retinendæ; quàm vitam ad pauca momenta prorogare, cum certitudine mortis immanis illicò incurrendæ. Similiter ergo, rectè rem æſtimanti perſpicuum eſſe debet, longè prudentiùs agere eum qui in ſumma deſperatione retinendæ vitæ, committit ſe periculo mortis aliquantulum anticipandæ vſurpatione pharmaci dubij, vt euadat mortem certam iam iam impendentem; quàm eum qui tantulæ prorogationis deſiderio, reſpueret medelam dubiam, ſucciderétque prorſus ſibi ſpem incolumitatis, quam fortaſſis adipiſcetur adhibito illo ambiguo remedio.

6. Habemus proportionale argumentum, ex curatione morborum lethalium animæ, & æternæ mortis certò mox incurrendæ declinatione. Si igitur aliquis laboret extrema neceſſitate ſpirituali,

móxque

móxque etiam si correctio fraterna obsit, iam imminente morte æquè sit damnandus; recepta à permultis Adriani in 4. tract. de correctione fraterna art.3. §. *ex quo*, & aliorum sententia fert, licitum esse adhibere correctionem fraternam, quamuis fructus correctionis æquè sit ambiguus ac eius nocumentum. Imo Castro Palaü, (quem circa corporis curationem per remedium anceps in desperata ægritudine habemus aduersarium,) pro certo statuit adhibendam esse ex obligatione correctionem; in quam sententiam proferr Lorcam, Suarem, Bonacinam, Bannem, Valentiam, Villalobum, Ægidium: addítque rationem, quia nocumentum, si correctio prætermittatur, est certum, & grauissimum, planéque irreparabile; nimirum æterna damnatio. Nocumentum verò ex correctione timendum, non est ita graue, quin abundè compensetur aliquali spe, tametsi dubia, tantum damnum auertendi. Æquè igitur Medicis corporum, (apodosis est quam ipsiusmet aduersarij verbis attexo,) fas est ægro salutis corporeæ desperatæ, applicare dubiam medicinam, *quia nocumentum quod per illam medicinæ applicationem timetur addendum, nullius est considerationis, & fructus potest esse maximus.* Quid si enim vis remedij præualeat aduersus morbi contumaciam & illam subigat?

Ad fundamenta partis negantis.

7. Quæ Castro initio adductus in contrarium proposuit, non magni sunt momenti. Iam enim monstratum est, non esse intrinsecè malum exponere aliquem periculo accelerationis mortis, cum

aliunde non modò par mortis periculum,sed etiam certa mors indubiè impendet. Monstratum insuper est, id non esse mortem efficere,vel mortis causam quantum in medente est adhibere; imo moraliter & secundùm prudentem æstimationem rem spectando, ne mortis quidem accelerationem ea ratione causari; sed tantùm exponi ægrum periculo mortis aliquatenus accelerandæ: cui discrimini præponderat conatus declinandæ mortis, certò aliunde obuenturæ, ni hac via auertatur. Nec verò Medicus, qui in ægro desperato tentat experiri, si fortè remedium de quo per anteriores experientias non constat esse profuturum, illi prodesse poterit, & morbum depellere,ac vitam abeuntem retinere; improbandus est, quia reuera in angustiis illis non agit temerè, cum non sit prorsus præcisa spes quod tale remedium sit profuturum, nec planè constet esse nociturum. Si enim liquidò constaret esse duntaxat nociturum, malè vsurparetur, & mors cum culpa acceleraretur. At nō ita accidit in circunstantiis de quibus disputamus. Quod autem Codronchus l. 1. de Christ. & tuta medendi ratione c.13. & apud eum communis sententia,damnat in Medicis experimenta sumentibus; spectat ad illos truculentos corporum lanios, veriùs quàm Medicos, qui suppetentibus idoneis remediis exploratæ efficacitatis, adhibent dubia, experiundi tantùm causa; vt cum ægrorum periculo, præsertim si vilia sint capita, scientiam comparent: quod est nefarium, vt rectè multis allegatis statuit Layman tract. 1. cap.5. num. 15. Longè verò ab his absunt, qui experimentum capiunt remedij ancipitis quod vnicum superest,studentes eo adhibito seruare ægrum; certò,

certò, ni hæc via succedat, per morbi contumaciam elidendum, intra tempus breuissimum. Itaque non modò licitum est tale experimentum capere, sed etiam necessarium, & ex obligatione, iuxta Sanchem l. 9. de matr. disp. 20. num. 19. & Castrum Palaü disp. 3. de charit. p. 5. num. 6.

Resolutio de vsu sectionis in dubio desperatis omnibus.

8. Sic expedita generali illa difficultate, quam decisioni specialis huius controuersiæ circa dubiam vtilitatem vel damnositatem sectionis Cæsareæ, præmittendam esse initio diximus, descendendum est ad sectionem Cæsaream, videndúmque, an cum dubia est eius vtilitas atque damnositas, quia nō liquet an mortem sit illatura aut fœtui aut matri, licitum sit eam adhibere. Quanquam enim non multùm sit timendum vitæ fœtus ex sectione, si artifex sit peritus secandi, totáque ferè moles discriminis in matrem ruat; tamen siue ob imperitiam sectoris, siue ob debilitatem prolis variis indiciis proditam, & ad primum aëris extrinseci incursum grauiter fortè concutiendam, vel etiam conterendam; periclitari quoque potest proles, & esse ambiguum an ex parte illius expectandus sit felix exitus sectionis maternæ. Est porrò multo operosius, declinare matris exitium corporeum adhibita sectione, quàm simile exitium fœtus.

Dicendum est, si mater sit conclamata nisi secetur, ambiguum autem sit num sectio sit eam leuatura, id tamen vnicum anceps perfugium, sit reliquum retinendæ vitæ matris; licitum esse eam

ſecare, ſi & mater & proles ſimul ſint certò alioqui ſubituræ mortem,& ambigatur an ſectio ſi adhibeatur, ſit habitura bonum vel malum exitum. Idem quoque ſtatuendum eſt, ſi ſola ambiguitas fructus, aut nocumenti circa matrem ex ſectione cauſandi, difficultatem faciat. Et ſimiliter dicendum eſt, ſi ſoboles ſit conclamata niſi hoc remedio ſubleuetur, licitum eſſe illud adhibere, ſi tantùm habeatur ratio diſcriminis quod fœtui impendere ex ſectione ſupponitur. Ago ſeorſim de ambiguitate vſus aut damni ſectionis ex parte matris, quia non liquet an ſit moritura vi ſectionis: itémque ſeorſim de ancipiti bono vel malo ſectionis ex parte prolis, quamuis & mater ſi de ea ſola ſit difficultas, certò ſupponatur moritura aliunde, niſi fortè interuentu ſectionis, certæ morti ſubducatur; & proles item ſi eius ſolius cauſa diſceptetur, ſupponatur mortem alioqui non euitatura. Hic inquam eſt ſtatus difficultatis in qua nunc verſamur, eámque nunc in hoc ſenſu expedimus, quamuis manifeſtum ſit & poſtea diſcutiendum, aliud dubium poſſe intercedere. Nimirum quid faciendum ſit, ſi ambiguitas damni vel fructus, ſit tantùm ex parte alterutrius, (puta matris tantùm, vel certè tantùm ex parte fœtus;) ex parte autem alterius affulgeat moralis certitudo boni euentus, ſed cum diſcrimine ſummo alterius, apprimè dubio. Nam contingere poteſt,vt ſi mater non ſecetur viua, moriatur, & fœtui conſulatur per promptam matris diſſectionem poſt mortem. Vicisſimque poteſt contingere, vt ſi mater non ſecetur, euadat,moriente intra eam fœtu, & poſtea naturaliter extruſo, vel fruſtillatim arte ſeu potiùs laniena chirurgica exempto. Hanc comparationem

comparationem nunc non moramur, infra eam discussuri.

9. Sistendo autem in controuersia huius capitis propria, rectè constitutum est, in eo ambiguo aut salutis vtriusque, aut salutis maternæ seorsim, vel salutis prolis seorsim, si difficultas ex parte alterutrius alioqui certò aliam ob causam perituri agitetur, quia ambiguum est an sectio ei penes quem difficultas exurgit sit profutura vel obfutura: sic inquam difficultatem proponendo, rectè dictum est, omnino licitum esse, adhibere sectionem. Hæc resolutio est ex ante dictis perspicua. Constitutum quippe est, fas esse in ægro desperato tentare remedium anceps. Ergo si & mater & soboles ad extrema deuenerint, vnicúmque hoc remedium tametsi ambiguum, sit reliquũ: fas omnino erit illud adhibere. Quæ ratio idem probat de matre seorsim, & de prole seorsim, si de altero duntaxat agitetur difficultas, & status quæstionis sit is quẽ diximus. Nominatímque circa sobolé, vrgenda est necessitas summa spiritualis, qua laborat in ea suppositione. Peribit enim corpore simul & anima, nisi eximatur per sectionem Cæsaream. At salus animæ, cum quantouis periculo salutis corporeæ locanda est in tuto, si ambæ in discrimen vocentur, & per vnius violationem alteri sit prospiciendum. Igitur in tali statu prolis, vt de eius & temporali & æterna salute actum omnino sit nisi corpus exponatur periculo per sectionem, licitum est ei periculo prolem committere, quia prudentissimè geritur eius negotium.

10. Quoad matrem, difficultatem nonnullam facit quod supra in calce capitis secundi diximus, si ambiguum sit an verè sit mortua, non esse secandam

vt fœtus intra eam superstes, educi & baptizari possit. Id quod habet etiam Posseuinus l. de Officio Curati cap. 6. num. 19. *quia* (inquit) *peccatum mortale est, & occidere & exponere se periculo occidendi.* Atqui idem videtur contingere in hoc euentu: exponit enim se periculo occidendi matrem, qui eam secat, anceps an sit moritura vi sectionis. Verùm ex ante dictis liquet, in hoc euentu aditionem illam discriminis vacare labe, ob certò imminens aliunde exitium, & sublucentem spem salutis ex hoc ancipiti remedio, saltémque non prorsus exclusam. Itaque in tanta desperatione præstat tentare dubium remedium, quod non planè constat nociturum, & fortè prodesse poterit. At in illo alio euentu quo dubitabatur de morte màtris, sectio non est remedium ambiguum; quia certum est non posse prodesse matri ad eum statum deductæ, vt dubitetur an vita sit illi superstes. Certum inquam est, si non attendamus quid fortuito posset euenire, sed quid prudens & non temerè suscepta agendi ratio ferat, sectionem in illo euentu, quoad matrem adhiberi tantùm vt obfuturam, si fortè viuat; non autem vt profuturam, quod constat cum desperato eius statu in quo de morte ipsa ambigitur, non cohærere. Sed iam vidimus illicitum esse, ægro quantumuis desperato adhibere remedium quod duntaxat constet posse nocere, præclusa prorsus spe vtilitatis ex eius vsurpatione. Igitur in eo dubio de vita superstite matri, rectè negatum est adhibendã esse sectionem; quamuis in euentu de quo nunc disputamus, contrarium sit affirmandum; nimirum fas esse secare matrem, iam aliunde desperatam, quia fortassis subleuabitur interuẽtu sectionis.

11. Nec

11. Nec tantùm admittendum est, fas esse in eo euentu adhibere sectionem, sed etiam addendum est, adhibendam esse à Medico ex obligatione. Nimirum Medicus, vt supra ex Sanche & Castro diximus, in statu conclamatæ vitæ ægri, tenetur remedium anceps quod vnicum superſit, experiri; tentaréque num ea via possit ægrum certæ alioqui morti subducere. Ex officio enim illi incumbit, admouere remedia quæ prudentia dictat esse admouenda, & legibus disciplinæ Medicæ præscribuntur. At prudentia docet, legésque Medicæ ferunt, præstare experiri auxilium ambiguum, quàm absque omni auxilio ægram abiicere. Itaque iniicitur Medico obligatio, adhibendi sectionem. De matre, si eius solius salus agatur, alia ratio est, vt benè censuit Corduba l. 1. q. 38. quia mater cum de eius vnius vita agitur, non tenetur ad cruciatum vel horrorem tam asperi remedij subeundum. An verò teneatur, si per sectionem subueniendum sit proli, dicetur sequenti capite, tractando quæstionem comparatiuam.

Corollarium de honestate primi experimenti sectionis.

12. Porrò ex disputatis toto hoc capite, ac nominatim ex proximè dictis circa Medici obligationem in adhibenda aliquando sectione Cæsarea, eruendum est, iuréne aliqui, sectionis Cæsareæ vsum sint criminati, in eo qui primus experimentum eius cepit, in desperatione partus naturalis, vt retulimus cap. 3. *in fine:* quamuis admiserint, eum ipsum vsũ, nunc in iisdem circunstantiis, ob præuia

experimenta & compertum sectionis commodum, labe vacare. Verùm eam reprehensionem iniustam esse, eruitur ex dictis. Tantum enim abest, vt Medicus ille impegerit sic agendo, & criminationi iure patuerit, vt potiùs laudem sit commeritus, exequendo id ad quod ex officio tenebatur; & sternendo viam cæteris, vt deinceps in pari causa, re prudenter æstimata, vtile remedium non refugerent. Quod autem talis Medicus, re accuratissimè perpensa; & attentâ vrgentissima necessitate, primus agnouerit, remedium huiusmodi antea insolitum posse prodesse, felicis ingenij decus est, nec potest vitio verti. Nec puto prudenti cuiquam in mentem venire posse, vt improbatum in summa necessitate velit, vsum rei de qua priùs captum non fuerit experimentum, quamuis ratio valida euincat illius vtilitatem ad morbum depellendum & conciliandam sanitatem.

13. Quinimo extra summam quoque necessitatem, vsus illorum remediorum quæ ratio valida euicerit posse prodesse, non est eo solo titulo damnandus, quod nullum eorum præcesserit experimentum, alioqui occluderetur via parandæ meditatò nouæ peritiæ. Quod si anteriores fuissent ita meticulosi, nunc nullam haberemus Medicinæ cognitionem. Nam quæ nunc extat, vniuersa experimentis est parta, quibus periculum factum est, quid prodesset, quid ve noceret, vt S. Gregorius Nyssenus animaduertit l. de vera virginit. cap. 23. Idem sanè ius debet esse rei Medicæ studiosis circa negotia artis suæ, quod aliarum disciplinarum professoribus conceditur circa suas materias. At istis, sine probro, cum valida ratio vrget, nec placitis sanæ doctrinæ

doctrinæ incommodatur, fas est, imo laudabile nouare aliqua: Et qui contrarium existimant, miserrimam seruitutem inuehunt in disciplinas, vt ait Alfonsus de Castro l. 1. aduersus hæres. cap. 7. Ab ingenij angustia prodire huiusmodi iudicium, pronunciat Picus initio Apologiæ, & consonat illud Philonis l. 1. de vita Mosis, *præclara ingenia, multa nouant circa scientias.* Durandus denique, (vt alios taceam;) in prologo ad Magistrum, sic arctare ingenia ad vetustatem, ita vt nihil liceat nouum procudere, ait esse *insipientiam bestialem, præcludentem viam inquisitioni veritatis, præstantem sciendi impedimentum, & violenter opprimentem lumen rationis.* Habent ergo disciplinarum omnium professores, cum temperamento proposito, ius nouandi nonnulla, vt plenè prosequor in opere de iusta confixione librorum partitione 1. erotem. 20. Neque igitur Medicis simile ius negandum est; & cum vniuersa Medicinæ doctrina ad praxim refeatur, non est dubium, quin remedium certa ratione recens adinuenta comprobatum, & in ægrorum bonum cedens, possint vsurpare, & redigere inuenta sua ad praxim.

14. Tantùm habeant præ oculis illud sapienter prolatum ab Areteo l. 1. de morb. acut. curat. 2. *Omnium bonarum artium magistram esse experientiam; ipsam verò periculi faciendi rationem, imperitiámque, timoris & cautionis causam esse oportere.* Sapienter omnino. Neque enim facilè & incunctanter veniendum est ad noua experimenta, in re plena periculi, & in qua de vita hominis agitur. Vnde cæteris paribus, cum suppetunt comprobata longo vsu remedia, præstat ea vsurpare, vt prudenter ex

K 5 Galeno

Galeno & Auicenna monuit Codronchus l. 1. de Christ. & tuta medendi ratio. cap. 13. Sed aliud est, monere in re tam graui esse lentè festinandum, & cum omnia sunt paria, multísque experimentis perspecta remedia suppetunt, præstare illis insistere, nec noua planéque incomperta vsurpare; quod meritò hi Medicorum proceres commendant: aliud verò est, contendere recens excogitatum remedium, quod efficaci ratione probatur fore vtilius, non posse adhiberi ægro; quod à veritate prorsus abhorret, & præsertim si summa ægri necessitas qui alio quouis remedio destituatur, ad istud experiendum compellat. Itaque cum summa necessitas, & corporea & spiritualis, adegerit ad vsurpandam sectionem Cæsaream, quam potens ratio in desperatione partus naturalis vtilem fore suadebat, parum refert, quod nullum eius experimentum antecessisset.

CAPVT IX.

Si matris vel prolis salus per sectionem sit moraliter certa, sed cum alterius certo vel dubio exitio coniuncta, an alterutrius, & cuius vita præferenda.

1. CONTINGIT interdum eam esse dispositionem corpoream alterius è duabus personis ad hoc negotium interuenientibus; matris inquam

inquam aut prolis, vt adhibita sectione possit vnius bono prospici, sed cum damno alterius. Seruabitur enim proles, sed cum exitio matris; vel è contrario proles immatura, aut ab imperito sectore malè affecta, peribit, matre incolumi. Quid in ea implexitate facto sit opus, discutiendum est. Hæc enim vnica lis superest de sectione, matre & prole superstitibus adhibenda, ex sola necessitate intrinseca; id est spectato solo bono matris, aut prolis, vel vtriusque, nec attenta necessitate extrinseca boni communis.

Matre vel prole peritura, neutram iuuandam, quorundam sententia.

2. Sunt qui in hac difficultate comparatiua neutri opitulandum censeant, atque adeò statuant non esse vsurpandam sectionem. Rationem petunt ex illis D. Ambrosij verbis 3. offic. cap. 9. quæ Gratianus descripsit 14. q. 5. cap. *denique. Si non potest alteri subueniri nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari; quàm grauari alterum.* Et agit quidem D. Ambrosius de causis præsertim pecuniariis; negátque, Sacerdotes cum Testamento condendo interueniunt, debere compendia aliis vel debita vel parata auertere, vt aliis benè sit, cum potiùs Sacerdotum sit prodesse velle omnibus, obesse nemini. Tamen fundamentum ex quo D. Ambrosius ita statuit de causis pecuniariis, generale est, multóque magis vrget circa bona corporis quæ pretiosiora sunt, & maiore dispendio violantur. Proinde paulo post, ipse S. Ambrosius, ex eodem principio philosophatur in causa sanguinis, grauiter vetans ne sacerdos

ſacerdos cuipiam officiat; vtique etiamſi benè alteri futurum eſſet ex ea vnius læſione. Itaque varij DD. huic doctrinæ S. Ambroſij innitentes, cum ágitur de pharmacis aut matri prægnanti incommódaturis cum bono ſobolis, aut è contrario ſoboli nocituris cum matris vtilitate, ſtatuunt neutri opitulandum eſſe cum alterius damno. Ita Lopes 1. p. inſtructor. c. 63. §. *ſi autem* dicens in hoc concordare communiter Doctores. Idem videtur velle Ludou. Mercatus lib. 4. de mulier. affectionibus cap. 3. *ſub finem.* Similiter igitur ſtatuendum eſſe in ſpeciali difficultate de ſectione Cæſarea, dicturi videntur iidem autores. Eſt enim ipſa quoque remedium aliquod.

Reiicitur.

3. Verùm hæc doctrina, nimis dura videtur. Vt quid enim duos ruere in exitium ſinas, cum alterum poſſis eripere? Quam in rem valet quod S. Auguſtinus epiſt. 50. per aliam occaſionem dixit de duobus in domo ruitura concluſis, quorum alter renuat educi & eximi oppreſſione. Præſtat enim vnum ſaltem liberare iuxta D. Auguſtini eo loco ſententiam, quàm vtrunque eadem ruina inuolui ſinere. Quid quod poteſt dari obligatio iuuandi vnum, quantumcunque alteri præter intentionem inferatur damnum? Tunc igitur monemur neutrum iuuare, cum alterum læſuri ſumus; ſi læſio ſit culpabilis, & coniuncta cum iniuria in læſum admiſſa. At ſi obligatio ſit iuuandi vnum è duobus, & deſit iniuria erga alterum, (quod in re noſtra contingere poſtea patebit;) à ratione alieniſſimum eſt feriari,

feriari, ac neutri subuenire. Diuus verò Ambrosius in eo veluti effato quod relatum est, cum mandat vtrumque dimittendum si alter sit lædendus, non agit nisi de causa pecuniaria, nec nisi quoad sacerdotes, quos par est non se immiscere laicorum dissidiis circa huiusmodi materias cum partis alterutrius offensione. Postea autem cum venit ad causam sanguinis, tantùm ait grauem noxam fore, si sacerdos qui iuuare solùm debet, aliquem cruento iudicio subiiciat,& neci dedendum curet,quod non pertinet ad rem præsentem.

Quare meritò dixisse videmur, doctrinam illam qua in euentu de quo disputamus, & mater & soboles dicuntur dimittendæ, ne dum vni prospicitur,alia lædatur,nimis duram esse. Nec reticendum est, DD. in simili difficultate comparatiua, patris & matris æquè laborantium, vel patris & vxoris, aut patris & filij ad extrema deductorum, cui potiùs subueniendum sit si ambobus subueniri non possit; nunquam recurrere ad proportionalem resolutionem: id est nunquam dicere neutri opitulandum, ne alter cum alterius damno iuuetur: sed scrutari rationes maioris alicuius coniunctionis cum vno, vt statuant ei potiùs esse subueniendum, dimisso altero qui simul iuuari non potest. Satius enim est mala minuere quàm multiplicare, quod fieret vtroque dimisso. Idem ergo dicendum est in re præsenti.

Si alterutri pereundum sit,matris salutem videri præferendam,quæ suadeant.

4. His ita constitutis, & secluso euentu in quo bonum

bonum publicum proli potiùs opitulandum ferat, (de quo euentu nunc non agimus,) fuerunt qui præferendam potiùs matris vitam censerent. Videntur enim potiora esse matris iura, quippe causæ à qua proles habet vt sit. At par non est, beneficentiam in alium, conferenti noxiam fieri: & vt effectus seruetur, causam perire. Ipse sanè effectus si rationis vsu polleret, non posset absque insigni ingratitudine indemnitatem suam cum causæ ruina captare. Eóque nomine pessimè audit viperæ fœtus, quod in exitu ad hanc lucem, parenti inferat exitium. Vnde ingratos & bruti genij homines, mala pro bonis rependentes, genimina viperarum vocari solent. Non præsto huius exempli veritatem. Nam contrarium tradit apud Philostratum Apollonius, & Brodæus l.3. miscell. cap.28. ac Dalechampius in 10. Plinij cap.62. qui alios præterea adducit. Sed quicquid sit de exempli veritate, vsu receptum est, ita loqui & sentire vt dixi. Quod ergo fœtui præeligendum esset, si ratione vteretur, & in sua esset potestate situm; si per alios fiat, cur improbetur? Ac proinde si matri aut fœtui sit necessariò pereundum ni sectio adhibeatur, ea verò adhibita fœtus extinguendus sit vi sectionis, mater autem sit euasura incolumis; pereat sanè fœtus, & ad matrem summo discrimine eximendam, adhibeatur sectio. Ita aliqui.

5. Súntque haud dubiè in ea sententia Medici illi, qui ad vitam matri seruandam autores sunt, vt fœtus intra vterum obteratur, si aliter prodire, & matrem indemnem seruare nequeat. Ita Nicolaus Rocherus l. de morbis mulier. cur. cap.28. *in fine*, vbi ait, si fœtus habeat nimis grande caput, ita vt

non

non possit consueto modo exire salua matre, veniendum esse ad ἐμβρυουλκίαν, id est ad obtritionem infantis viui, vt mater sit salua. Similiter Rodericus à Castro libro 4. de morbis mulier. c.3. cum dixisset sectionem Cæsaream vsurpandam esse ex parte infantis, si infans adeò ex morbo intumuerit, vt exitus ei per locum consuetum non pateat, subdit; *tametsi hoc casu, forcipe potiùs conterendus est, vt ore vteri per partes exeat.* Et quanquam eodem libro cap. 6. *ad finem*, videtur ab hoc placito suo alienus, tamen adducit pro eo Aëtium, Moschionem, & Auicennam; qui in partu difficili & aduersus omnem Medicorum & obstetricum operam pertinaci, autores sunt, vt ad matris vitam retinendam, obteratur intra vterum & dissecetur fœtus viuus. Id quod etiam propter bonam famam retinendam, vel ad fortunæ bonæ vsuram, licitum censuisse Ætium, & Abenscenum, testatur Moxius l.2. de venæ sect. in morb. acut. c.15.

6. Alios Medicos idem pro tuenda matris vita opinatos, refert iisdémque subscribere videtur Tertullianus l. de anima cap. 25. sic enim scribit. *Atquin & in ipso adhuc vtero, infans trucidatur necessaria crudelitate, cum in exitu obliquatus denegat partum, matricida ni moriturus. Itaque & inter arma Medicorum & organa est, quo priùs patescere secreta coguntur tortili temperamento, cum annulo cultrato quo intus membra cæduntur anxio arbitrio, cum hebete vnco, quo totum pecus attrahitur violento puerperio. Est etiam aneum spiculum, quo iugulatio ipsa dirigitur cæco latrocinio: ἐμβρυοσφάκτην appellant, de infanticidij officio, vtique viuentis infantis peremptorium. Hoc & Hippocrates habuit, & Asclepiades,*

&

& Erasistratus, & maiorum quoque prosector Herophilus, & mitior ipse Soranus; certi animal esse conceptum, atque ita miserati infœlicissima huiusmodi infantia vt priùs occidatur ne viua lanietur. De qua sceleris necessitate, nec dubitabit credo Hicesius. Quanquam vna & altera vox subindicare videatur, Tertullianum ab hac infantis obtritione abhorrere ex mente sua, (vocat enim cœcum latrocinium & scelus, hanc infantis obtritionem:) ideóque Pamelius ibi num. 331. contendat, Tertullianum ex illorum duntaxat Ethnicorum Medicorum sententia, non ex sua locutum: Tamen suspicionem contrarij in Tertulliano sensus, mouet quod eam dicat esse *crudelitatem necessariam*: & quod addat, *hoc scelus* ex necessitate suscipi. Neque enim si verè scelus esset, posset ex vlla necessitate patrari: sed nomen *sceleris* adhibuit, quod tanta matris necessitate ingruente, necessariò atque adeò absque culpa, fiat quod alioqui scelus esset, & quidem horrendum. Nam nouum non est, vt eidem materialiter actioni, tametsi mutatis circunstantiis culpa vacanti, eadem appellatio remaneat. Sicut Oseas iussus est à Deo facere *filios fornicationum*, quia ex vxore quondam fornicaria, liberos suscipere iubebatur, non quidem per fornicationem, sed ex muliere aliàs fornicaria, & eodem materialiter opere.

7. Non est igitur inuerisimile, Tertullianum ex suamet sententia loquentem, placito proposito pro quo tot Medicos retulit esse suffragatum. Medicis illis antiquis quos Tertullianus referebat, annumerandus est Theodorus Priscianus, cuius hæc sunt verba in opere Gynæciorum. *Abortiuum dare, nulli*

nulli fas est. Vt enim Hippocrates attestatur, tam duri reatus conscientiâ, Medicorum innocens officium non decet maculari. Sed quando matricis vitio, aut ætatis propriæ, frequenter partus euenire fœminæ periclitentur, expedit prægnantibus in vita discrimine constitutis, vnius partus sæpè iactura, salutem mercari certissimam: sicut arboribus arescentium ramorum accommodatur abscissio, & naues pressæ onere, cùm graui tempestate iactantur, solum habent ex damno remedium.

Idem tradiderunt Marianus Socinus in cap. *si aliquis.* de homicid. & Simon de Brixia ad Clement. 1. de homicid. Sunt etiam qui idem tribuant Felino ad illud cap. *si aliquis.* Ibi tamen, adducto Mariano, qui id asserit, affirmans *se hoc disputasse*, Felinus non subscribit sententiæ Mariani; quin potiùs contrarium sibi arridere innuit, addens hæc verba, *sed tu cogita.* Marianus ergo & Simon de Brixia, existimarunt si matri prægnanti mors à fœtu immineat, fas esse illum hausto poculo ad fœtus cædem idoneo vita spoliare, atque abigere, *vel certè aliter.* At quomodo *aliter*, nisi per fœtus obtritionem, vt matris vita sit salua? Ac proinde si sectio, esset vnus ex illis aliis modis quibus vita fœtus aduersans vitæ matris posset elidi, non ambigerent posse secari matrem, vt extracto ea ratione fœtu, vi licet sectionis emorituro, matris saluti prospiceretur. Quamuis autem solius poculi interitum proli aduehentis mentionem fecissent Marianus & Simon de Brixia, non dubium quin censendi essent amplexari placitum illud de licito vsu obtritionis fœtus & sectionis maternæ, ad creandum fœtui exitium & saluandam matrem. Quid enim in genere moris &

L ad

ad infanticidij diuerſitatem ſpecificam moralem refert, ferro an poculo eneces, dummodò eneces? Itaque qui genus vnum mortis infanti irrogandæ honeſtum ducit, æquè alterum ratum habet, & crimine purgat.

Limitationes quædam.

8. Autorum tamen maxima pars aliò concedit, & eam prolis lanienam vel interemptionem, quocunque modo ex directa intentione patratam auerſata; concedit duntaxat, fas eſſe vſurpare remedia directè & per ſe tendentia ad matris ſalutem tuendam, præcognito quidem prolis exitio, ſed non niſi indirectè & per accidens volito. Ita Layman l.5. ſ.5. tract.3. p.3. cap.4. num. 4. Comitolus l. 4. reſponſ. q. 13. num. 6. Naldus V. *abortus* num.3. Diana p. 3. tract. 5. reſolut. 11. Azor tomo 3. l. 2. cap.3. q.22. Fernandus de Moure p.4. cap. 12. §.2. num. 4. Sanches l.9. de Matr. diſp. 20. num. 14. à quo allegantur Corduba, Petrus à Nauarra, Rodericus, Lopes, Vega, Bannes, Henriques, Benzonius, Sa, Aragonius. Inter Medicos idem latè tradit Moxius l. 2. de venæ ſect. in morb. acut. cap. 13. Ex horum Doctorum ſententia, ſectio Cæſarea repudianda videtur in illis euentibus, in quibus commodare poteſt matri cum præcognito infantis exitio, quia tunc ſectio tendere videtur per ſe & directè ad infantis cladem, nec eſſe per ſe curatiua matris ſolius.

9. Sunt tamen alij autores, qui hæc ipſa remedia aſſumi poſſe à matre negent, ſed tantum ei concedant vſum phlebotomiæ, quæ ſola cibi abſtinentia

nentia multabit prolem: nam quæcunque eam positiuè malè afficiunt, vsurpari posse à matre negant. Ratio disparitatis assignatur, quod sanguis cum sit alimentum, per se primò spectet ad matrem, quæ quamuis tenetur filium alere ex eius superfluo, tamen si illud sibimet nociuum esse agnoscat, non tenetur illud superfluum retinere. Ita Basilius Poncius l.10. de Matr. cap. 13. num. 6. professus redigere se in compendium fusiorem ea de re disputationem Gabrielis Vasques Opusc. de restit. cap. 2. §.1. dub. 7. num. 28. & c. 3. §. 6. dub.6. & c.5. §.2. dub.6. à n.33. annuítque Ioannes Sanches disp.21. selecta num. 33. allegato Petro à Nauarra l. 2. de restitut. cap.3. num.132. Ab his autoribus, multo certiùs quàm à prioribus, repudianda videtur sectio Cæsarea, in euentu de quo agimus: hoc est cum præuidetur fœtum sectione adhibita esse moriturum vi illius, quia intelligi vix potest, quomodò id posset contingere, nisi per positiuam alterationem & actionem circa fœtum, quam hi autores prorsus repudiant cum illi adiungitur fœtus exitium.

Tandem alij autores, ita censent cum primis, licitum esse prægnanti remedia ad solam sui curationem per se facientia vsurpare, vt tamen negent fas esse reliquis illa adhibere, v. g. Medico, Chirurgo, Obstetrici. Ita aliqui referente Corduba l.1. q.38. dub. 3. qui apertissimè in ea erunt sententia, vt sectio in euentu de quo agimus, prætermittenda sit: quia non potest adhiberi matri, nisi ab alio. Hæc igitur sunt, quæ varij autores pronunciarunt in quæstione comparatiua quam agitamus, partim potiora ducentes iura matris, partim iura fœtus

 præferentes.

præferentes. Nunc quid nobis ea in re probabilius videatur, aperiendum est.

Resolutio sub distinctione.

10. Vt autem solidè & perspicuè rem exequamur, adhibenda est distinctio. Potest enim attendi, vel quid ferat iustitia, vel quid ferat charitas. Nam plerunque multa licitè admitterentur si haberetur ratio solius iustitiæ, quæ tamen illicita fiunt, quia inde violatur charitas, cuius præceptum simul cum iustitiæ præcepto concurrit. V. g. nemo iustitiam violat, si rem suam apud iniustum possessorem fortè repertam, accipiat, præsertim si præuia Iudicis autoritate id faciat. Habet enim ius in rem illam, quo iure non est exturbatus per iniquam possessionem; & tamen tanta potest esse egestas eius apud quem rem suam reperit, vt ea vendicata, misero extremam calamitatem sit inuecturus. In quo euentu, dummodò ipse pari aut valdè graui necessitate vrgendus non sit ob rei suæ ademptionem, tenetur eam relinquere, & eam resumens, peccat: non quidem contra iustitiam, quia resumens rem suam nihil facit alieno iuri dissentaneum, sed contra charitatem quæ obligat ad miserendum proximi in tanta necessitate. Similia exempla passim sunt obuia. Iuxta hæc, bimembri responsione satisfacio propositæ quæstioni comparatiuæ.

Posset præferri mater, etiam obtrito ad eam saluandam fœtu, absque iniustitia.

11. Ac primùm si habeatur duntaxat ratio prioris obligationis

obligationis quam iniicit iustitia, existimo licitum esse matri sine prolis iniuria, & salua quacunque obligatione iustitiæ, vitam suam certò alioqui perdendam, conseruare per remedia quæ proli interitum sint allatura; vnde si sectio iudicaretur esse necessaria ad matris vitam conseruandam, non esset contra iustitiam adhibere sectionem, tametsi fœtus ob eam adhibitam esset periturus. Neque distinguo de remediis per se tendentibus ad solam matris curationem, & de impetentibus directè prolem: quasi priora vsurpari possint, non item posteriora. Vtrorumque enim vsurpationem, censeo vacare iniustitia in prolem. Item non distinguo de intentione directa, & indirecta; quasi liceat vsurpare remedia matri seruandæ idonea, non intendendo necem prolis; illicitum autem sit eam directè intendere. Nam verum existimo, etiam directè quæri & intendi posse prolis interitum vt mater sit salua; nec idcirco violari iustitiam. Denique non distinguo de applicante remedia, vt fecerunt qui censuerunt fas esse matri cum certo prolis exitio assumere quædam remedia, quæ negarunt posse à Medico aliisve matri applicari. Sed siue mater ea sibi applicet, siue adhibeantur ab aliis; æquè arbitror illæsam manere iustitiam. Absque his ergo distinctionibus & limitationibus quas varij Autores adhibuerunt; existimo, & sectionis Cæsareæ, & aliorum quorumcunque remediorum ad matris salutem necessariorum, vsurpationem à quocunque, & siue indirecta siue directa intentione factam, vacaturam iniustitia, atque adeò licitam fore; quãtum est ex eo capite, & nisi aliud obstaret, quàm iustitia. Non erit difficile hæc omnia cõfirmare singillatim.

Quia fœtus matrem inuadit, ideóque iustè repelleretur.

12. Quod ergo mater, salua iustitia possit vitam suam tueri cum damno, imo exitio vitæ prolis, perspicuum videtur: quia vnicuique ius est vitam suam conseruandi. Tametsi enim homo non est propriæ vitæ dominus, sed Deus duntaxat, ideóque ne annuente quidem ipso homine, fas sit eum morti tradere iniussu Dei, qui suam hac in parte potestatem soli publicæ potestati ad noxios plectendos commisit: Tamen ex Dei concessione, homo custos est & administrator ac tutor vitæ suæ, quod ius custodiæ adeò pretiosum est, vt præcellat iuri quod quisque habet in proprios actus, quod est ius plenum & veri dominij. Vnde sicut violatur ius hominis, cum absque causa impeditur exercitio actionum quas naturæ autor eius dispositioni subiecit; ità multo magis violatur ius hominis, cum impetitur eius vita, & conuellitur ius illud custodiæ ac tutelæ quo pro vita sua debet satagere.

Hinc fit, vt cum iniustus inuasor imminet vitæ alicuius, licitum sit eum repellere vsurpatis mediis omnibus ad efficacem repulsam necessariis, etiam ipsius inuasoris cædem patrando, si ita opus sit ad conseruandam vitam propriam. Id enim labe iniustitiæ vacare, præcisè spectando damnum quod inuasori infertur, concors omnium sententia est, siue Theologornm cum S. Thoma 2. 2. q.64. art.7. siue Philosophorum apud Carbonem l. de pacificat. inimicorum cap. 21. conclus. 1. siue Iurisperitorum ad l. 1. & 2. *C. ad l. Cornel. de sicariis*, iuncta

l. 1.

l. 1. C. *unde vi.* & l. *sed etsi quicunque* ff. ad l. Aquil. Imo interfectionem iniusti inuasoris propriæ vitæ, nulli esse irregularitati obnoxiam, quod ferè non habent aliæ cædes, quæ absque iniustitia patrantur, fusè disputat Comitolus l. 6. respons. mor. q. 54. Nimirum & ciuilia & Ecclesiastica iura satis perspexerunt, prorsus innoxiam cuique esse debere vitæ suæ tutelam; idque non modò ad maiorum malorum euitationem permiserunt, (vt D. Augustinus l. 1. de lib. arbitr. cap. 5. significare visus est, cum nondum ei per ætatem maturiorem & longiorem sacræ doctrinæ disquisitionem, vbertas illa sapientiæ qua postea claruit, aduenisset:) sed etiam vt rem absolutè iustam & licitam concesserunt.

13. Atqui fœtus, in euentu de quo agimus, non secus se habere videtur ad matrem prægnantem, quàm inuasor ad eum qui inuaditur. Qui autem dicunt non fœtum inuadere matrem, sed morbum per fœtum; perinde loqui videntur, ac si dicerent; cum latro stricto gladio ensem vibrat in viatorem, non latronis opus esse inuasionem, sed ensis per latronem, quod est ludere in vocibus, & gratis tricari. Igitur fœtus absque iniustitia potest à matre repelli; ac si moderamen tutelæ inculpatæ in tuenda vita propria tenendum id ferat; hoc est si aliter non possit seruari vita propria, quàm interemptione infantis, non erit contra iustitiam, vt illi interitum creet ad seruandam vitam suam, & ad repulsam inuasionis qua impetitur.

14. Vt autem certior, & minùs cauillis obnoxia sit proportio exempli quod protuli cum re de qua agitur; statuamus illum qui inuadit vitam alterius, non peccare inuadendo: vt contingeret si

 homo

homo insanus vitam alienam impeteret, nec aliud violentiæ effugium pateret præter obtruncationem inuadentis. Eam quippe obtruncationem culpa vacaturam, agnoscunt graues DD. vt Corduba l. 1. q.38. §. *sed vt semel.* Petrus à Nauarra l.2. de restit. cap.3. num. 247. Sayrus in Claui lib. 7. cap. 10. num. 23. passímque alij. Igitur tametsi fœtus absque culpa imminet vitæ matris; imminet tamen, ac proinde non secus ac inuasor ille insanus, repelli potest absque iniustitia; etiamsi repelli nequeat nisi vitam ei eripiendo. Adhuc aptius & expeditius erit exemplum infantis baptizati, qui in angustò ponte obstet equiti, fugienti insequentem hostem; à quo confodiendus absque dubio sit, nisi pergat equum vrgere, quod tamen faciens, vel infantem equinis pedibus obteret, vel deturbabit in subiectum flumen. Quamuis enim talis infans non possit propriè dici inuadere equitem, quod ipsum aliqui de infante afferunt in euentu de quo disputamus: tamen quia occupando viam seruandæ equitis vitæ necessariam, ponit obicem vi cuius actum erit de vita equitis nisi infantem perdat; admonent graues DD. posse equitem absque iniustitia fugam continuare, infante si res ferat, obtrito, vel deiecto in flumen. Ita Lessius l. de Iust. cap.9. num.59. adducens Cordubam, l.1. qq. q. 38. dub. 2. & Caietanum 2. 2. q. 67. art. 2. Atqui puer quo superstite moriendum est matri, vt minimum ponit obicem conseruandæ vitæ matris. Igitur vt mater sit salua, non minùs absque iniustitia priuabitur vita, quàm infans præpediens fugam vitæ conseruandæ necessariam. Nec ipsa duntaxat mater sibi consulens, priuare vita infantem ipsi infestum posset; sed aliis

aliis quoque fas eſſet matrem innocentem iuuare ne inuaſioni ſuccumberet, & in eius bonum, perdere infantem abſque iniuſtitia, vt in ſimili dicitur de iuuante inuaſum à latrone, & in eum finem eripiente vitam latroni. Videndus Victoria releĉt. de homic. num.25. & Mol. tract.3. de Iuſt.diſp.18. num. 6.

Et quidem mediis quibuſuis idoneis.

15. Negabam autem diſtinguendum eſſe de remediis quibus mors fœtui accerſitur ad ſeruandam matrem, quia quæcunque adhibeantur ad vitæ tutelam remedia, aberit prorſus iniuſtitia. Et ſanè quid intereſt ferro an poculo vitam alteri eripias, dummodò eripias? quid ſiue inedia ſiue præfocatione conſumas? Quod autem ferrum vel pharmaca, poſitiuè alterent afficiántve infantem, parum refert: Nam etiam inuaſus ab inſano inter inuadendum non peccante, atque adeò innocente, malè afficit illum poſitiuè, cum enſem adigit in eius viſcera, nec tamen idcirco violat iuſtitiam: Et idem eſt de equite infantem obterente inter fugiendum vt vitam ſuam certo exitio ſubducat. Igitur innocentis vita poteſt actu poſitiuo malè affici,abſque iniuſtitia: ſicque euertitur fundamentum vnicum cui Vaſques, & Baſilius, aliíque ſupra adducti ſuperiùs hoc ipſo capite, inædificabant diſtinctionem quam nunc reiicimus. Ac proinde in re noſtra meritò dicitur, remedium ſectionis materni vteri, quamuis infans per ſectionem malè afficiendus eſſet poſitiuè, nullam erga eum iniuſtitiam continere.

Ac etiam ex directa intentione.

16. Insuper negabam, distinguendum esse de intentione directa & indirecta: quasi verum sit intentionem indirectam interitus proli creandi ad saluandam vitam matris, vacare labe iniustitiæ,non item intentionem directam. Hanc distinctionem nego esse admittendam. Nam ex receptissima doctrina, ad maximam partem peccatorum sufficit voluntarium indirectum; quo scilicet voluntas prælucente intellectu,& omnia actus adiuncta præmonstrante, etiamsi non fertur directè in quidpiam, eiúsve omissionem, tamen non obstat positioni eius; cum posset, & illud secuturum non dubitaret. Itaque vt actio sordeat ab adiuncto effectu malo, non est opus intentione directa: sed sufficit indirecta, quæ effectus præuisionem & potestatem eum præcludendi affectatur: ídque valere etiamsi actus consumetur exteriùs, obseruant Vasques 1. 2. disp. 102. cap. 4. num. 5. & Basil. Poncius l. 10. de Matr. cap. 13. num. 7. Si igitur interueniente ea indirecta & interpretatiua voluntate, deest culpa; signum est, actionem ne si directè quidem volita esset provt est effectus alicuius principium, contaminandam fore per talem principiationem. Ac proinde qui admittunt licitum esse sumere poculum seruandæ vitæ matris necessarium, etiamsi fœtus præuideatur inde necandus; tenentur æquè fateri, licitum esse haurire huiusmodi poculum ex directa intentione necandi fœtum ob matris salutem. Et idem est de quocunque alio remedio tuendæ vitæ matris necessario, ac proinde etiam de sectione matris prægnantis, vi cuius secutu-

ram

tam fœtus mortem, clarè prænoscatur.

Nimirum cùm quis iustè operatur, non prohibetur directè intendere & actum suum, & eius adiuncta. Proptereáque passim reiicitur Metaphysica Caietani 2. 2. q. 64. artic. 7. & nonnullorum aliorum, vt Victoriæ releɑ. de homic. num. 19. Cordubæ l. 1. qq. q. 38. Salonij & Aragonij 2. 2. q. 64. art. 7. Carbonis l. de pacif. inimic. cap. 21. conclusione 3. ac Comitoli l. 4. respons. q. 10. num. 11. qui fauente in speciem D. Thoma, negant eum qui sub moderamine inculpatæ tutelæ occidit inuasorem, posse occisionem illam directè intendere: tantúmque concedunt inuaso, intentionem directam actus ad sui defensionem necessarij, ex quo actu secuturam cognoscat mortem inuasoris. Hanc (vt dixi,) Metaphysicam refellunt passim cæteri, & nominatim Soto l. 5. de Iust. q. 1. art. 7. Couarr. in Clem. *si furiosus.* p. 3. §. vnico. Mol. tract. 3. de Iust. disp. 11. num. 4. Sayrus in Claui l. 7. cap. 10. n. 19. Petrus Tolet. l. 2. de restit. cap. 3. num. 339. Valentia 2. 2. disp. 5. q. 8. p. 4. Lessius l. de Iust. cap. 9. num. 53. Philiarcus p. 2. l. 4. cap. 9. Lopes 1. p. instructor. cap. 62. initio. Quorum ratio est, quia interfectio inuasoris ex fine tuendæ vitæ propriæ, bona est & honesta: ac proinde potest licitè intendi, tanquam medium necessarium finis boni.

17. Si igitur sectio matris, aliudve quodlibet remedium tuendæ eius vitæ necessarium, potest sine iniustitia vsurpari; dummodò non intendatur mors prolis quæ inde secutura prænoscitur, æquè poterit vsurpari sine iustitiæ violatione, quamuis mors prolis per se ac directè intendatur ex eo fine seruandæ matris. Quod addo, quia constat, mortem

innocentis

innocentis non posse per se ac directè intendi, absolutè, & nullo alio fine iusto (qualis est tuitio vitæ propriæ) præfixo tali intentioni. Idque vnum voluisse videntur plerique autores, cum absolutè & simpliciter negant, mortem innocentis posse per se & directè intendi: quamuis concedant fas esse occidere inuasorem etiamsi insanum, & propositam ex Caietano Metaphysicam respuant. Hæc enim non cohærerent, nisi sensus esset, non intendi in eo euentu mortem alterius per se, siue aliter quàm provt est medium necessarium ad tuendam vitam propriam. Idem igitur statuendum est in re præsenti, negandúmque sectionem matris ex intentione necis infantis, vt matris vita sit salua, esse contra iustitiam.

Nec minùs per alios, quàm per matrem.

18. Tandem negabam quoque, distinguendum esse de applicante remedium matris vitæ tuendæ necessarium, & siue ipsa illud per se assumeret, siue alius illi applicaret, perinde esse dicebam ad immunitatem à labe iniustitiæ. Quorsum enim damnabimus in Medico vel obstetrice, actionem quæ in matre vacat iniuria? Aut cur cooperatio erit noxia & vitiosa contra iustitiam, si operatio iusta est, & nitens vndecunque? Medicus enim, & quicunque alius de assensu prægnantis aliquod ei remedium applicat ad tuendam vitam necessarium, se habet moraliter vt cooperarius duntaxat; & adiutor tuendi iuris vitæ propriæ, quod est principaliter in matre.

Possumus ergo haud abs re huc trahere communem

nem doctrinam, qua asseritur, cùm quis absque iure inuaditur, fas esse tertio qui neque procurator eius sit, neque ei peculiariter obstrictus, interficere talem aggressorem vitæ alienæ vel alienorum insignium bonorum adiuuando inuasum. Ita Caietanus in summa V. *homicidium*, & Couarru. Clem. *si furiosus*. p. 3. §. vnico, num. 5. Lessius l. de Iust. c. 9. num. 87. Petrus à Nauarra l. 2. de restit. c. 3. n. 419. Sa V. *homicidium* num. 16. videtúrque asseri ab Innocentio 4. cap. *delecto*. de sent. excom. in 6. qui imitatus est alia iura quæ habentur cap. *fortitudo*, & cap. *non inferenda*, & cap. *qui potest* 23. q. 3. Annuunt Ethnici apud Carbonem l. de pacificat. inimicorum cap. 23. conclus. vltima. Et rationem huius pronunciati afferunt doctores prædicti, quæ æquè facit ad rem nostram: Nempe quod, inuasorem in tali euentu occidere aliud non sit, quàm cooperari ad iustam defensionem. Vnde sicut licitè suscipiuntur partes Reipublicæ iustum bellum mouentis, ita quoque iustè suscipitur pars inuasi absque iure, vt violentiæ & oppressioni subducatur. Imo quoad vitam, potest innocens defendi etiamsi nollet, quia non est vitæ suæ dominus: nec potest eam inuadenti cedere, & aliis ius defensionis adimere.

19. Cum ergo Medicus aut quiuis alius, remedium matris vitæ tuendæ necessarium applicat, nullam admittit iniustitiam. Et ita disertè contra inutilem & planè vanam quorundam distinctionem supra propositam, agnoscunt, (de solis tamen pharmacis ad matris curationem per se ordinatis agentes,) benè multi autores quos profert & sequitur Sanches l. 9. de Matr. disp. 20. n. 15. & Malderus 2. 2.

tract. 3.

tract. 3. cap. 1. dub. 16. qui addunt, cum Corduba l. 1. q. 38. maiorem Medico & aliis quibus id ex officio incumbit, necessitatem iniici adhibendi remedia prægnantis vitæ necessaria, quamuis in prolis exitium cessura, quàm ipsimet matri ea vsurpandi, vel sibi curandi: eo quod mater possit iuri suo cedere in bonum prolis, vt facit qui sibi moraliter conscius integræ vitæ ac sceleris puræ, offert vitam suam Domino in holocaustum; & ad exercitium patientiæ & Christianæ fortitudinis, ac charitatis, præsertímque ne animam mortali inuasionis iniquæ scelere fœdatam æternis ignibus obiiciat, sinit se confodi, potiùs quàm inuasorem interimat, quod omni culpa rectè liberat Victoria relect. de homic. num. 34. & Toletus in summa l. 5. cap. 6. num. 6. ac Sa V. *homicidium*, num. 17. reiecta contraria sententia Abulensis in cap. 11. Iosue q. 11. Similiter ergo mater, potest iuri suo cedere, quoad assumptionem remediorum vitæ suæ necessariorum, malens consulere vitæ prolis: Medicus autem ex officio tenetur consulere vitæ matris, & ei adhibere remedia ad finem illum necessaria, quamuis præuideat secuturum prolis exitium, quod secluso eo fine deuitaret; sed ex suppositione necessitatis talis finis, fertur in hoc medium absque peccato iniustitiæ.

20. At qui Medicus non est, nec alio titulo adigitur ad inuigilandum ex officio vitæ matris conseruandæ, perinde videtur se habere in euentu proposito, quoad applicationem remedij matrem seruaturi ab interitu; vt se habet tertius circa inuadentem iniustum, cum inuasus patienter excipere mortem mauult, quàm se defendere, & inuasorem morte

morte mulctare. Quamuis enim tunc aliqui DD. obligant tertium ad interfectionem inuasoris, vt Victoria relect. de homic. num. 25. Nauarr. cap. *non inferenda* 23. q. 3. num. 23. Molina tract. 3. de iust. disp. 18. num. 6. ac Bonac. disp. 2. de restitut. q. vltima, f. 1. p. 10. num. 5. addens num. 8. id valere etiamsi inuasus renuat aliter defendi, quàm salua vita inuasoris: Tamen mitior sententia cui adhæreo, traditúrque ab Almaino in 3. d. 29. q. 1. & à Lessio l. de Iust. cap. 9. num. 92. affirmat, neminem priuatum, quia ei ex officio non incumbit, teneri ex iustitia in pari vtrinque malo, præsto esse renuenti, & inuasorem occidere, cum tanto suo horrore, vt tegatur qui sic tegi renuit. Ad hunc inquam modum se habet circa prægnantem, quisquis ad eius vitæ tutelam ex officio non tenetur. Quare exsors culpæ erit, si renuente matre, & vitam suam postponente vitæ prolis, temperet ab adhibendis remediis per quorum applicationem curari potuisset mater, neglecto fœtus interitu.

Verùm quoad sectionem, de qua est præsens controuersia, quia non potest nisi à Medico applicari; (comprehensis eo nomine Medicis manuariis, siue Chirurgis,) liquet ex antedictis, obligationem fore Medico eam adhibendi quantum in ipso erit, si iudicetur ad matris, quam tuendam susceperit, salutem necessaria; dummodò mater si sui compos sit, secari annuat; (neque enim ad violentiam renuenti inferendam tenetur;) aut in eo sit statu, vt virtualis eius consensus qualem persona sui impos exhibet, debeat ad id sufficere.

Ex

Ex charitate, vita fœtus præferenda est materna, in circunstantiis propositis.

21. Satis de priore membro responsionis nostræ ad quæstionem comparatiuam propositam, quod spectauit obligationem iustitiæ. Monstratum enim hactenus est, si tantùm haberetur ratio Iustitiæ, fore vt mater posset vitam suam anteponere vitæ fœtus, posito quod alterutri esset pereundum vi sectionis, altero duntaxat incolumi. At si (vt par sanè est,) habeatur ratio obligationis iniectæ à charitate; aio matrem in euentu de quo agimus, hoc est posito quod adhibita sectione, matris incolumitas esset consecutura, extincto fœtu qui alioqui ad baptismum peruenturus speraretur extincta matre; in eo inquam euentu aio, matrem teneri abstinere sectione curanda, & alios item ea conferenda abstinere debere ex eadem charitatis obligatione, qua necessitas iniicitur præferendi æternam prolis salutem temporali vitæ matris. Et idem è contrario statuerem de adhibenda sectione, si proles per eam peruentura esset ad baptismum, eo alioqui caritura, in circunstantiis propositis. In hac resolutione, consentient omnes qui negant fas esse matri assumere remedia, etiam ad solam eius curationem facientia, si inde prænoscatur secutura mors prolis baptismo cariturae, ad quem alioqui speraretur peruentura. Tradit hoc Sanches l.9. de Matr. disp.20. num. 17. Lessius l. de Iust. cap.9. num. 63. Sayrus in Claui Regia l.7. c.12. num.22. Filliuc. tract.19. num. 104. Victorellus ad librum 5. summæ Toleti cap. 8. §. *at potest mater*, Pamelius ad Tertulliani librum

librum de anima num.331. Bonac. diſp.2. de reſtit. q.vltima,ſ.1. p.7. num.3. aliíque paſſim. Vt videas, non benè Emanuelem Sa V. *charitas*, num. 4. tanquam aliquid inopinabile & à nemine dicendum ſtatuere,quod mater prægnans ad baptiſmum alioqui defuturum,proli curandum, teneatur admittere ſectionem. Id enim autores prædicti, conſequenter ad ſua principia omnino dicent, in circunſtantiis propoſitis.

22. Rationem iam ſupra protuli, petitam ex receptiſſima D. Thomæ doctrina 2.2. q. 26. artic.5. qua traditur, leges charitatis ferre,vt ſalus ſpiritualis proximi præferatur propriæ vitæ corporeæ. Et hanc eſſe fixam & ratam magnæ Theologorum parti doctrinam, monſtratum eſt cap. 6. contritis iis quæ in contrarium de nouo obiiciebantur, à Ioanne Sanche diſp. 10. ſelecta num. 9. Accedunt varia exempla à Sayro ſupra conglobata, in quibus de ſententia Theologorum, ordo charitatis obligat ad poſtponendam propriam vitam temporalem, alienæ vitæ ſpirituali in extrema neceſſitate conſtitutæ: quibus exemplis hîc appendendis ſuperſedeo, quod referri paſſim ſoleant ab iis qui de ordine charitatis eiúſque nexibus & obligationibus diſputant, nec hîc extra locum videatur in eis immorandum. Cum igitur fœtus abſque baptiſmo ſit periturus in æternum, ac proinde ſi deueniat ad ſtatum in quo baptiſmo ſit cariturus,laboret extrema neceſſitate ſpirituali,non eſt dubitandum, quin ſi mater abſtinendo aliquo remedio vitam ſuam corpoream alioqui perdendam conſeruaturo, poſſit ſpem baptiſmi reliquam fœtui facere, teneatur ad abſtinendum tali remedio ex charitate, quamuis

non peccaret contra iustitiam, abiiciendo curam temporalis vitæ fœtus, vt suæ parceret, nec in interitum rueret. Et è contrario ambigendum non est, quin mater teneatur ad vsurpandum remedium fœtui necessarium vt ad baptismum perueniat, quamuis timeretur vitæ matris ex vsu talis remedij, dummodò non esset matris occisio.

Itaque quomodocunque Medici de sectione Cæsarea statuant; id est siue eam dicant adhibendam esse, vt pereunte licet fœtu & à baptismi gratia ad quam peruenturus fuisset excluso, mater sit salua; siue pronuncient prætermittendam esse sectionem in eum finem saluandæ matris, neglecto fœtus in prædictis adiunctis exitio; regula huius remedij adhibendi aut prætermittendi esse debet salus æterna prolis, cuius vnicum medium est baptismus reipsa collatus: ac proinde omne illud medium tuendæ vitæ maternæ, quod fœtum prohiberet baptismo ad quem alioqui peruéturus speraretur, quamuis absque eo medio mors matris indubitata habeatur, repudiandum est, ex obligatione graui charitatis, & matrem & quoscunque alios obstringente.

Difficultas prior in contrarium, ex eo quod charitas non obliget vitam nostram perdere, ne eius inuasor damnetur.

13. Video opponi primò in contrarium posse, falsò à nobis tanquam fundamentum resolutionis positæ statui, æternam proximi salutem esse vitæ nostræ corporeæ anteponendam. Ex eo enim fundamento Gerso tract. de Euchar. Augustinus de Ancona latè adductus & discussus ab Abulensi in

cap. 5.

cap. 5. Matth. q. 109. & pauci alij, intulerunt, ne proximus in peccato mortali pereat, nefas esse ei qui per scelus inuaditur, occidere inuasorem sub moderamine inculpatæ tutelæ; quod tamen communis Theologorum doctrina à Petro Toletano l.2. de restit. c.3. num.332. rectè exposita, meritò improbat, cum S. Thoma 2. 2. q. 64. artic. 7. vbi Caietanus, Salon. Aragonius, aliique id confirmant, Alensem quoque & alios Theologos, cum Scholasticos tum Morales, in eam sententiam addensat Sayrus in Claui Regia l.7. cap.10. dub.4. Quod si falsum est, hominem teneri vitam suam corpoream postponere alterius spirituali saluti extrema necessitate laboranti, vt monstrat hominis iniustè inuasi & inuasorem ad æternos cruciatus ruiturum interficientis exemplum; euertitur profectò fundamentum, cui soli inædificata est obligatio quam prægnanti iniecimus, vt præeligat exponi certæ morti, quàm puerum prohibere baptismo, à quo si illum vellet exclusum, salua perstare & retinere vitam posset.

Expeditur.

24. Hæc difficultas haud ægrè expediri potest. Dicendum enim est, tum demum iniici obligationem charitatis ad postponendam vitam propriam corpoream saluti æternæ alterius, cùm verum est, proximum laborare extrema necessitate spirituali; qualis certè est in infante si baptismo prohibeatur per remedium quo solo seruari possit corporea vita matris; quæ idcirco sanctè prodigenda est, ne infans in æternum pereat. At in exemplo illo iniusti

 inuasoris,

inuasoris, non est verum quod spiritualis eius salus laboret extrema necessitate: & quod corporea vita illius quem cum scelere inuadit, sit ei necessaria ad conseruationem vitæ suæ spiritualis, & euitationem æterni exitij. Non enim sicarius verè est in extrema spirituali necessitate, sed in extrema & voluntaria iniquitate, à qua desistere, si velit, potest. Quod si hominem sic in nequitia obfirmatum, non liceret occidere, ne in æternum pereat, nemo non videt quantum in omnes malorum seminium, & quam auctius spirituale detrimentum impiis hominibus per eam in alios grassandi licentiam esset inferendum, vt optimè in hanc rem notauit Molina tract. 3. de Iust. disp. 13. rectè addens, hac ratione condemnanda fore omnia bella iusta, etiam defensiua: Illicitum enim foret, aduersarios cum lethali peccato in nos bellantes, letho dare, quod nemo non videt esse ridiculum. Et ob eandem causam, ne malefactores fingant impœnitentiam & nouis peccatis mortalibus cumulentur; Iudices sine culpa iubent carnificem ferire criminosos obstinatos, nolentes confiteri, vt idem Molina rectè docet ibid. disp. 5. num. 6. post Sotum l. 5. de Iust. q. 1. art. 2. ad 2.

Taceo responsum Abulensis in cap. 5. Matth. q. 109. existimantis idcirco tantum esse licitam obtruncationem aggressoris iniqui, quia poterit conteri ante mortem. Nam si præuideretur moriturus in peccato mortali, planè fatetur Abulensis §. *cum autem dicitur*, illicitum fore illum occidere, etiam sub moderamine inculpatæ tutelæ, dũmodò qui inuaditur, agnoscat solam sibi vitam corporis ab inuasore eripiendam. Hoc inquam Abulensis responsum

premere

premere malui, quia etiam interueniente circunstantia æternæ ruinæ inuasoris iniqui, licitum est inuaso, sub inculpatæ tutelæ moderamine, inuasorem occidere; quia reuera non laborat extrema necessitate spirituali, ob quam solam exponenda est vita nostra corporea. At infans de quo agimus, verè laborat summa spirituali necessitate, nec est in nequitia voluntaria; supponitúrque non posse leuari à tanta necessitate, nisi matre remedium detrectante, quo vsurpato posset incolumis corpore euadere, fœtu pereunte. Vt igitur infans summa spirituali necessitate pressus, & longè aliter à sicario si occidatur damnando, se habens; eximatur tanto malo, & liber fiat ab æterno exitio; præeligenda est matri, vitæ suæ corporeæ iactura, iuxta regulas charitatis.

Posterior difficultas, ex incertitudine materna gratia.

25. Opponi deinde in sententiam nostram potest, euanescere obligationem postponendi vitam propriam corpoream, spirituali alterius saluti extrema necessitate laboranti, si moraliter non liqueat de bono statu spirituali proprio. Fatuum enim sit, consulendo alienæ saluti spirituali, propriam negligere. Nec S. Augustinus l. de mendacio cap. 6. S. Thomas, alíique DD. qui vitam nostram postponendam docent æternæ saluti proximorum, comparant salutem nostram spiritualem, cum salute spirituali proximi; quia sic nemo dubitaret primam charitatem (vt habet parœmia,) ab ipso homine occepturam. Comparant igitur

 duntaxat,

duntaxat, propriam salutem corpoream, cum aliena salute spirituali irreparabiliter peritura, nisi interueniat expositio propriæ vitæ corporeæ; boni profectò despicatioris atque adeò postponendi. At nemini vnquam citra reuelationem liquere potest, quod sit in bono statu. V. g. mater dubitare semper potest, an sit in gratia. Igitur ordo charitatis eam non vrget ad exponendam propriam vitam pro sobole; ne cum vita corporea quam perdet consulens fœtui, simul perdat æternam, si fortè non esset in gratia. Ita argumentatur Basilius Poncius l. 10. de Matr. c. 13. num. 6. vt eneruet argumentum quo mater vrgeri videtur ad abstinendum scissione venæ, sine qua moritura supponitur, cum fœtus per eam Medicinam matri factam, baptismi expers futurus supponitur; in quam etiam sententiam, Basilius Vasquem adducit.

Dissoluitur.

26. Non est operosum ista elidere. Neque enim vt mater vitam pro æterna fœtus salute certo discrimini exponat, necesse est nullum ipsi subesse dubium quod sit in gratia; sed satis est moralis certitudo sui boni status, qualem certitudinem vsus syncerus sacramentorum, vel actus contritionis non fictè conceptus, spondent: quæ non est quidem certitudo fidei, aut diuinæ reuelationis cui nequeat subesse falsum: est tamen sufficiens animi firmatio, arcens anxietatem de contrario statu, & sobriam securitatem de diuina erga nos beneuolentia conciliens.

Sanè nisi hæc certitudo boni status proprij sufficeret

ficeret ad postponendam vitam nostram saluti æternæ proximorum; vix vnquam, imo (seclusa diuinâ speciali reuelatione iustificationis nostræ,) nunquam planè fas nobis esset exponere vitam ne alius in æternum pereat. V. g. is qui inuaditur iniustè, potest si velit, ne impius aggressor quem in flagranti delicto posset confodere, salute æterna excidat, mortem ab eo patienter pati, & parcere vitæ eius cum dispendio vitæ suæ, vt supra cum Victoriâ dixi contra Abulensem, confirmántque Corduba l. 1. q. 38. *in fine.* Mol. tract. 3. de Iust. disput. 14. concl. 3. & cum Soto, Salonio, Aragonio, Petro à Nauarra, Caietano, Victoria, Syluestro, Toleto, Sayrus in Claui l. 7. cap. 9. num. 19. Similes aliquot euentus in quibus communis sententia concedit inuaso facultatem se non defendendi; proponit Filliuc. tract. 29. num. 43. Nemo tamen ab eo deposcit certitudinem physicam, aut reuelationem diuinam de bono ipsius statu: sed satis illi esse censetur; quod fruatur ea in parte, mentis tranquillitate, & exclusione dubitationis de statu opposito, piis hominibus ordinaria. Et ita Carbo l. de pacific. inimicor. cap. 23. conclus. 7. Æquè vrgeri potest exemplum eius qui ex charitate se exponit certo mortis discrimini, vt eripiat è Tartari faucibus puerum sine baptismo, vel adultum non contritum absque Sacramento necessario moriturum: vel vt amicum insignem, aut benefactorem eximium, ex affectu Christianæ charitatis aut gratitudinis, eximat præsentissimo periculo in quo esset vitam amissurus: quod graues DD. adducti in tractatione de virtutibus l. 4. num. 52. agnoscunt labe vacare.

Cum in his aliisque exemplis quibus vita propria corporea æternæ alterius saluti postponitur, nemo exigat certitudinem cuiusuis dubij etiam Metaphysici exclusiuam circa propriam sanctitatem, sed omnes contenti sint ea temperata certitudine quam descripsi; quorsum maior exigetur à prægnante, vt æternæ saluti fœtus sui, posthabere velit vitam propriam, si ita ferat ineluctabilis necessitas?

Obligatio matris, ad vitam suam, vitæ fœtus postponendam, concluditur.

27. Fixum igitur & ratum esto, in eo euentu in quo alterutri moriendum sit,& matre certum mortis discrimen adeunte fœtus superstes esse possit,ac consecuturus baptismum speretur quo alioqui sit cariturus, potiores esse partes fœtus: ita vt quamuis mater posset absque iniustitia in prolẽ & alium quemcunque, indemnitati vitæ suæ prospicere, curata morte sobolis per aliquod remediũ positiuum aut negatiuum,etiam per sectionem si ad id accommodata peritorum iudicio censeretur: tamen ex graui charitatis obligatione, adigatur proli potiùs quàm sibi prospicere.

Nec dici potest, per se tantùm intendi matris incolumitatem, per accidens verò esse quod innocens pereat, præter intentionem & matris & curantium eam: sicut in bello iusto, fas est lædere innocentem præter intentionem, vt plectantur nocentes admissi. Hoc inquam, in hoc negotio dici non potest: quia quamuis mors fœtus esset per accidens ad præceptum Iustitiæ, tamen non esset per

per accidens ad præceptum charitatis, quod in hac materia cum iustitiæ præcepto concurrit, vt est monstratum. Extra dubium verò est, vt operatio vndecunque sit innoxia, necesse esse, nullius alterius virtutis prohibitorium edictum interuenire. Neque enim ad moralem honestatem operis sufficit, vt actus sit purus quoad iustitiam, si sordeat labe opposita temperantiæ, aut religioni, vel fidei; si contingat harum virtutum præcepta, interdicere homini vsu iuris sui. Et qui hoc non aduerteret, nec aliud spectaret quàm sitne actio consentanea iuri operantis, negligeret autem omne aliud damnum aliis virtutibus aduersans, tanquam illatum per accidens, ac proinde non contaminans actionem; grauissimè hallucinaretur, qua de re alio loco. Igitur non esset per accidens ad charitatem qua mater grauiter obstringitur æternæ saluti prolis consulere, si corporeæ suæ saluti prospiciens, illam baptismo excluderet.

28. Aliud tamen esset, si vnà cum matre pereunte, certus esset interitus prolis; vt si mater instantem sibi feram à qua discerpenda sit, citatissimè fugiens, prolis vtero conclusæ interitum, & à baptismo exclusionem, probè agnoscat. Tunc enim nemo dubitarit, licere matri fugere, & vitam suam si possit locare in tuto, neglecta summa spirituali necessitate prolis, quam charitas in tali euentu non iubet anteponi vitæ corporeæ matris. Nimirum quia matre mortem subeunte, proles non eximetur extrema illa spirituali necessitate qua laborat; sed inuoluta eodem exitio cum matre, anima simul & corpore peribit. Vt autem charitas matrem obliget vitam suam exponere pro fœtu, necesse est

 solam

ſolam matris vitam corpoream componere cum vita ſpirituali & æterna ſalute fœtus, locanda in tuto ſi illa exponatur certo diſcrimini. Nam in illa comparatione, præponderare debet æterna ſalus fœtus. At in exemplo matris fugientis leonem à quo alioqui voranda ſit, ea comparatio non habet locum. Itaque perperam adduceretur, ad eneruandam obligationem charitatis, matrem ad vitam ſuam ſpirituali bono prolis poſthabendam vrgentis, in euentu de quo actum eſt toto hoc capite.

CAPVT X.

Corollarium primum aduerſus ſcrophas ſobolis animatæ ſuffocatrices, & animandæ præfocatrices.

1. ESSE quædam ſcropharum & domeſticarum felium genera compertum eſt, quæ fœtus ſuos mandunt. Nec ab ea immanitate abhorrere olorem, prodit ex Ariſtotele Brodæus l. 3. miſcell. cap. 28. addens quoque thynnam, vt ex ſe peperit, ſtatim' ſuam procreationem eiecto parẽtis animo deuorare. Hæc cauſa fuit, cur ſcelus matrum illarum quæ alio, quàm tuendæ vitæ ſuæ naturaliter per fœtum extinguendæ conſilio, in eum ſæuiunt; expenſurus, *ſcropharum* nomine illas donarim.

Multiplex

Multiplex in sobolem sæuitia, & de qua hîc agendum.

2. Et est quidem ea in sobolem sæuitia multiplex, nec soli matri propria, sed patri quoque communis, vt intelligitur ex his D. Augustini verbis l. 1. de nupt. c. 15. *Qui propagationi prolis obsistunt, siue voto malo, siue opere malo; quamuis vocentur, coniuges non sunt, nec vllam nuptiarum retinent veritatem; sed honestum nomen, velanda turpitudini obtendunt. Produntur autem, quando eo vsque progrediuntur, vt exponant filios qui nascuntur inuitis. Oderunt enim nutrire vel habere, quos gignere metuebant. Itaque cum in suos sæuit quos nolens genuit tenebrosa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur; & occulta turpitudo, manifesta crudelitate conuincitur. Aliquando eo vsque peruenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam sterilitatis venena procuret: & si nihil valuerit, conceptos fœtus aliquando intra viscera extinguat ac fundat, volendo suam prolem priùs interire quàm viuere; aut si in vtero iam viuebat, occidit antequàm nascatur.* Non est tamen nobis hoc loco sermo de omni huiusmodi sæuitia parentum in fœtus, sed de hac vltima duntaxat, quæ quia matris præsertim opera solet contingere; vel si ab aliis patratur, frequentiùs tamen non absque voluntate & assensu matris perficitur, ideirco scropharum immanitatis nominatim memini; tametsi patris quoque & cæterorum nequitiam, cum interuenit ad tantum scelus, iisdem telis confodiam. Cæteras vel prout ad hanc sæuitiam reducuntur, postea attingam, vel si fœtum iam à

matre

matre planè auulſum ſpectant, hîc prætermittam.

3. Et nominatim ſæuitiam illam parentum in ſobolem, quæ in ferina & pluſquàm ferina eius expoſitione conſiſtit, miſſam nunc faciam. Deteſtantur eam immanitatem à Lacedæmoniis lege probatam, & ab aliis apud Petrum Gregorium l. 14. de Repub. cap. 3. vſurpatam, SS. Patres depellentes calumniam Chriſtianis per Ethnicos impactam de infanticidio; nominatímque Iuſtinus Apolog. ad Antonin. Tertullianus optimè cap. 9. Apologet. Lactantius 6. inſtit. cap. 20. Legendus item S. Baſil. in epiſt. 2. Canon. ad Amphiloc. can. 33. & ibi Balſamon, & ad can. 52. Theodoretus l. 9. contra Græcos *ſub finem*. Clemens Alex. 3. pædag. cap. 3. Ex hæreticis, Philoponus contra Proclum ad 9. argum. cap. 3. vbi Platoni tribuit eam immanitatem exponendorum liberorum, quam æquè placuiſſe Ariſtoteli videre eſt 7. Polit. cap. 16. quanquam ibi S. Thomas lect. 12. contra aperta Philoſophi verba, conatur illum inflectere in ſenſum non reprobum. Non fuiſſe autem immanitate vacuam illam prolis expoſitionem, tametſi non à parentibus factam, qua Romani inceſtam Veſtalem eiúſque partum abiiciebant: nec potuiſſe eam barbariem lege excuſari, vt facit Iouian. Pontanus l. de immanit. cap. 7. indubitatum eſt. Longè tamen ab hac ſemper deteſtanda liberorum expoſitione abeſt, ea qua in Xenodochio exponuntur. Nam quamuis hæc quoque expoſitio ſit mortale peccatum, ſi fiat ſine iuſta cauſa, vt rectè ſtatuit Nauarrus in ſumma cap. 14. num. 17. & Toletus l. 5. cap. 1. num. 9. tamen hæc expoſitio ex cauſa & prudenter facta, labis expers eſſe poteſt, nec cum vitioſa eſt, adeò ſordet ac

illa

illa immanis expositio Ethnicis vsurpata.

4. Sistamus igitur in fœtus iam animati, sed matri adhuc cohærentis meditata extinctione. *Abactionem partus*, vocat Tullius agens pro Cluentio; *abactionem fœtus* dixit Columella l. 6. cap. 22. *excussionem conceptus* nominat Concilium Ancyranum cap. 21. Quod aliàs frequenter legimus, *partum* vel *fœtum egerere*, aut *eiicere*, vel *proiicere*, siue *abortire*, aut vt Varro l. 2. rei rusticæ cap. 4. & 11. loquitur *abortare*, non habet necessariò eundem sensum. Nam abactio & excussio fœtus, ea propriè est, quæ vi aut medicamentis efficitur. Cæteræ verò locutiones, etiam tum adhibentur, cum immaturi fœtus editio, casu & præter voluntatem contingit. Nec rarò fœtus immaturus, etiamsi viuus edatur, nomine *abortiui* donatur, vt notat Tiraquellus, qui in his vocalibus tricis circa hoc negotium, multus est ad l. *si vnquam* C. de reuoc. donat. §. *susceperit liberos* num. 206. & 207. Nos hîc abortionem presse accipimus, prout idem est quod abactio fœtus propriè accepta, id est meditata extinctio fœtus intra viscera matris; de cuius criminis immanitate, varios cum nostros tum externos ex variis capitibus philosophatos video, partim spectando propudiosa & infamia motiua quæ ad huiusmodi feritatem perpulêre matres, aliósve in hac plenitudine sceleris cooperatos: partim considerando quæ sunt intrinseca & indissociabiliter nexa huic nequitiæ, cuiusmodi non est motiuum, quod pro occasionum ac personarum varietate diuersum est. Delibemus circa illa vtraque capita, aliquid.

Furor

Furor uxorum in conceptos fœtus, penes varias causas.

5. Extrinsecus finis ex quo ad huius feritatis executionem venitur, is plerunque est, à quo huic truculentiæ non modica dehonestatio accedat, vt videre est apud Iouianum Pontanum lib. de Immanitate cap. 6. Neque enim semper hæ scrophæ ob tam leue motiuum sæuiunt in prolem conceptam, quàm fuit illud ex quo Eusebia S. Germani Parisiensis mater, referente Fortunato Pictauorum Episcopo cap. 1. vitæ S. Antistitis, conata est tantum bonum orbi auertere. Proximè ab altero partu cum concepisset, muliebri pudore victa, nihil molita non est vt fœtum abigeret. Cum potiones nihil effecissent, incubans vehementi nisu in ventrem, illúmque crebris ictibus validè tundens, conata est fœtum extinguere; sed in cassum. Muliebris hæc fuit amentia, ex forti ac insolitum in modum aucta imaginatione dedecoris, quod reuera nullum erat. Sed nouum non fuit aut infrequens, vt sexus tenuissimi iudicij, camarina tetrorum humorum vterum occupante ad cerebrum vsque subuecta, grassaretur in fœtum, cum aliæ pleræque iisdem intemperiis per tetros humores agitatæ, in seipsas armatæ legantur. Notus furor Milesiarum Virginum. Et simili œstro percitas Lugdunenses puellas, annis 60. priusquàm ea scriberet, hoc est non multum ante seculi superioris initia in seipsas sæuisse, scribit Brodæus l. 5. miscellan. cap. 27. Qua verò imaginationis & iudicij peruersione actas dicemus lupas illas à Fauorino apud Gellium l. 12. cap. 1.

cap. 1. exagitatas, quæ in fœtus suos in primordiis animationis sæuiebant, *ne æquor illud ventris irrugaretur, ac de grauitate oneris & labore partus fatisceret?* Taléſne illæ præſertim de quibus Iuuenal. Satyr.6.

> *Sed iacet aurato, vix vlla puerpera lecto:*
> *Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,*
> *Quæ steriles facit, atque homines in vẽtre necãdos*
> *Conducit.*

6. Nec iuſtior eſt earum cauſa, quæ odio virorum, aut illatas ab eis iniurias vlturæ, furorem vertunt in conceptos ex eis fœtus, vt teſtatur Tryphoninus, l. *Cicero.* ff. de pœnis. & indicatur l. *D. Seuerus.* ff. de extraord. crim. Quid mirum; cum Iouianus Pontanus cap. illo 6. teſtetur auditas ſibi vxores, quæ ob huiuſmodi cauſas poſt longa decem menſium faſtidia geſtatæ vtero prolis, poſt cruciatus inter pariendum, cum de emiſſo fœliciter fœtu gaudere debuiſſent quia natus erat homo in mundum, luci tunc primùm datam prolem propriis eliſère manibus? Vt iam videri poſſit non inter fabulas numerandum, quòd Medæam veneficam ſupra quaſuis feras truculentam, odio viri in liberos immaturos ſæuiſſe, proditum eſt. Non abſurdè autem, & in has iam editorum natorum interemptrices, & in ſuffocatrices nondum editorum, intorquere liceat illud Philippi Abbatis lib. 1. cap. ſuo 21. in Cant. ad illud, *filij matris meæ pugnauerunt contra me:* Iudæam enim, quæ filios ſuos accenſa odio in Chriſtum legitimum virum ſuum, letho dabat, componens Philippus cum Medæa quæ liberos viri odio, acerbo funere merſit, *Vt Medæa* (inquit) *sic Iudæa, falsum illud reddere nititur*

argumentum,

argumentum, quod natura contexuit in amoris debiti munimentum: quod ventilat & affirmat, non solùm moderna loquacitas disputantium clericorum, sed etiam ab antiquo experta sagacitas Ethnicorum. Si mater est, (inquiunt,) & diligit. Quia verò Medea mater extitit nec dilexit, naturam, vt aiunt, matris exuit potiùs quàm neglexit: Et cum etiam bellua erga fœtus suos teneatur affectu naturali, mater non esse conuincitur quæ nec sensu mollitur bestiali. Consensus mariti ex quo aliquas id parricidium aggressas notat D. August. l. 1. de nupt. cap. 15. non plus excusat mulierem, quam consensus viri purget adulterium ab ea admissum, tametsi de hoc dubitet S. August. 22. contra Faust. c. 37.

Idem æstrum puellas & viduas occupat.

7. Frequentius est, vt nefario hoc scelere contaminentur, siue viduæ siue nubiles puellæ, & quod Iouianus Pontanus cap. illo 6. non dissimulauit, sacræ aliquæ virgines in solutis disciplina cœnobiis. Nimirum vt est apud Iobum cap. 6. semitæ gressuum peccatorum inuolutæ sunt, id est interprete S. Gregorio 7. Moral. cap. 15. culpa ad culpam trahit. Nam cum *culpa culpa adiungitur, quid aliud quàm inuolutis semitis atque innodatis vinculis prauorum gressus ligantur?* Subdítque S. Gregor. hoc esse quod apud Isaiam cap. 54. dicitur, *occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum.* Insigniter planè id prosequitur idem S. Gregor. 29. moral. cap. 12. & 13. & S. Augustinus in psal. 57. tractans illud, *in terra iniustitias manus vestræ connectunt*, sic enim legit, pro eo quod vulgata

vulgata editio habet, *concinnāt*. S. item Basilius egregiè in hanc rem disserit in c. 9. Esaiæ ad illud, *sicut gramen aridum*; Item in c. 5. Esaiæ, hoc esse ait, quod Propheta dirū væ intentat iis qui attrahunt peccata quasi funiculo longo, mala malis accumulantes, & peccata connectentes peccatis. *Quemadmodum enim qui funes nectunt, aut plectunt iunceas storeas, vt quod superest ex fune cœpto, contorqueri consumatur, alterum ei attexunt & interserunt quo longior euadat & augeatur: Pari modo, qui in profundum malorum festinant se protrudere, priusquàm priori peccato impositus sit finis, adoriuntur secundum. Rursus huic alteri, aliud continenter coaptant: Atque ita prorsus vita quæ per peccatorum gradus progreditur, assimilis videtur funiculo cuipiam coarctato, & in longum protracto: quippe quæ & quod priùs cœperat connectere retinet, & quod semper adest, coaptat & adiungit ad similitudinem præcedentis.* Tantúmne? Imo verò longè tetriora & virulentiora esse solere posteriora peccata, ad quæ per priora factus est progressus, & abyssum quam abyssus inuocat iuxta Hugonem Cardinalem in psalmum 41. profundiorem semper esse, vt alia exempla prætereeam, manifestissimum est in re præsenti.

8. Iunior Vidua in deliciis viuens, nec satis memor status sui, emollita sensim proci cuiuspiam blandiciis, ab illecebrosis affatibus & osculis quæ meritò morsus diaboli & arrhas peccati nominauit Eucherius homil. in quadrages. initium, ad fœdum denique commercium & volutationem plenam in cœno turpitudinis venit. Discussis nebulis quas æstus concupiscentiæ animo offuderat, ruborem quem ante flagitium abiecerat, serò sapiens &

malè ſana reſumit poſt opus nefarium: cui celando ſuperadditur immanitas excuſſionis conceptus, ſícque execrabiliore ſcelere quaſi corrigitur, quod emendandum ac emundandum multo lachrymarum imbre ac carnis petulantis ſeuera tractatione & ſubiugatione fuiſſet. Quibuſdam ex hoc luparum genere, confuſio poſt partum duntaxat adducit peccatum. Quo ſpectat narratio apud Iouianum Pontanum l. illo de immanitate cap. 6. viri ſibi perfamiliaris, qui ædes cum emiſſet, emundarétque latrinarum ſordes, non ſine horrore ad ſubitam redemptoris operam facientis exclamationem, animaduertit ſordibus illis inuolutum infantuli cadauer, quod ſtatim inde exemptum iuſſit in religioſo loco humari. Hoc non ſatis conſultò. Nam fuiſſe cadauer infantuli non baptizati, ad regendam matris turpitudinem clanculum in cœnum illud coniecti, veriſimillimum videtur. Et quamuis dubitari potuiſſet, an infanti ante conſummatam in eum truculentiam, ſacra intinctio negata eſſet; tamen loci ſacri reuerentia, aliam ei tumulationem indicebat in hoc dubio facti. Sed ad rem. Vides ex ea narratione, (& ſuppetunt aliæ vbiuis conſimiles ferè quotidianæ) nonnullis viduis aut puellis cum extra legitimum thorum matres factæ fuerint, confuſionem adducere peccatum grande immanitatis in prolem, duntaxat poſt partum. Vt tamen adducat ante partum, frequentius eſt, ac propè quotidianum.

Interdum

Interdum quoque sacras personas, absque status probro.

9. Propudia illa sacrarum personarum quæ inquinationem corporis Deo deuoti hoc sceleris superpondio cumulare aiebat Iouianus Pontanus, anteriora quoque secula agnouerunt. Audiendus Tertullianus l. de veland. virgin. cap. 14. *Nec tantùm* (inquit de sacris virginibus,) *ruunt, sed & funem longum delictorum sibi attrahunt. Prolata enim in medium, & publicato bono suo elata, & fratribus omni honore & charitatis operatione cumulata, dum non latent vbi quid admissum est, tantum dedecoris cogitant, quantum honoris habuerunt.* Et mox post exagitatam superbiam ac impudentiam earum, quæ consciæ muliebritatis, audebant habitum Virginum proprium præferre, subdit. *Quantum autem plures, non etiam de pluribus sceleribus suspectas habebis? Dicam licèt nolim, difficile mulier semel fit quæ timet fieri, quæq; iam facta, potest virginem mentiri sub Deo; quanta item circa vterum suum audebit, ne etiam mater detegatur? scit Deus quot iam infantes & perfici & perduci ad partum integros duxerit debellatos aliquandiu à matribus,* &c. *Hæc admittit flagitia coacta & inuita virginitas.* Similia S. Hieronymus epist. 22. Nec dubito quin hi sint concubitus illi abortiui, quos ex Concilio quodam Toletano memorat Espencæus l. 1. de continentia cap. 7. referens damnationem eorum qui professionis immemores, iugo domini quod volentes subiuerant, perfidè excusso, carnem maculabant, & recurrebant ad abortiuos concubitus; id est ad fœdas commi-

N 2 xtiones,

xtiones, quas vt celarent, homicidio ad ſacrilegam laſciuiam ſuperaddito impiabant ſe ſe, ſiue ante partum & naturalem fœtus excluſionem ex vtero, quod magis propriè ſonat nomen abortionis, ſiue etiam mox à partu.

10. Huiuſmodi clades miſerorum infantium, aduersùs ſacrum cœlibatum & deuotam Deo continentiam, ſtupidiſſimè vrgent hæretici. Et vt ſunt ad mentiendum proiectiſſimi, ea in hoc genere commentorum portenta obtrudunt, quæ omnes fabulas longiſſimo ſuperent interuallo. Nota inuerecundia confictæ ab eis, & S. Vdalrico Auguſtano Antiſtiti affictæ epiſtolæ ad Nicolaum Papam, qua infantilium capitum ad ſex millia, à S. Gregorio in quadam piſcina poſt vetitas ſacrorum hominum nuptias deprehenſa, homines ne veriſimiliter quidem mentiri edocti, pro certa narratione venditarunt; cum ſit monſtroſiſſima fabula, nullo conficta iudicio, & pluribus ſcatens mēdaciis quàm ſyllabis, vt accuratè monſtrat Bellarminus l. de Clericis c.22. Hic ipſe Bellarminus, pro monſtroſi huius commenti euerſione, eam à Germanis poppis gratiam retulit, vt ſimili calumnia innumerorum infanticidiorum ad celandas abditas turpitudines perpetratorum oneraretur; additis ad decorem & venuſtatem fabulæ, aliis commentis de peremptis poſt vitiationem mille quadraginta duabus fœminis, & concepta tandem tot cædium pœnitentia, aditáque æde Lauretana, & ibi peracta apud ſacerdotem exomologeſi, & grauiſſima mulcta ab eo impoſita; quæ legens miratus ſum Iacobo Gretſero venire potuiſſe in mentem, vt ea edito libro confutanda ſuſciperet: non modò quia vt ſapienter

admonuit

admonuit S. Basilius l. de Spir. sancto, cap. 17. nimiùm stulta vix refelli queunt, sed etiam quia nimis falsa non sunt refellenda, ne credibilia esse existimentur, iuxta praeclarum S. Athanasij praeceptum epistola ad Epictetum *sub initium*.

Quanquam autem tales aliquas sacrarum personarum prolapsiones, & iam olim contigisse, & nunc quoque contingere fatendum est: tamē prorsus stupidè Sectarij, inuidiam hinc conflare tentant sacro cœlibatui, & professæ continētiæ. Et apud quosdam quoque improuidos Catholicos, vt est apud S. Hieronymum in calce epistolæ ad Demetriadem, *sanctum virginum propositum, & cœlestis Angelorúmque familiæ gloriam, quarundam non benè se agentium nomen infamat*. Quam criminationem, vna illa ex S. Ephremi testamento spongia exactè eluit. *Et inter duodecim Apostolos vnus erat proditor Iudas Iscariotes. Nostis verò quod etiam in vinea præter intentionem rubus germinare consueuit, & inter rosas, spinæ quoque nascuntur ac decerpuntur.* Alios Patres in eandem sententiam produco in opere de Iuda c. 17. §. 10. & plenè quoque inanitatem eiusdem criminationis aperio in tractatione de Apostatis à cœtu religioso, toto cap. 2.

Quanta charitatis clades in ea fœtus animati abactione.

11. Occasiones varias sceleris parentum, imo perimentium, quod exagitandum suscepimus, & adiunctos occasionibus illis nequitiæ cumulos, hactenus insecuti sumus. De causis enim & occasionibus ob quas interdum alij, eidem maleficio dant

operam, (vt de Eusebia Augusta Constantij vxore, Helenæ Iuliani Apostatæ coniugis, conceptibus per inuidiam insidiante, eósque curato aborsu, perdente, scribit Ammianus l. 16.) non est hîc dicendi locus, cum propriè scrophas duntaxat suscepimus exagitandas, quarum vt dixi, sceleris causas & occasiones, hactenus insecuti sumus. Nunc ad ipsa iniquitatis penetralia subeundum est, & quæ ac quanta sit eius immanitas, vel si ex solis eius constitutiuis intrinsecis attendatur, considerandum. Et vt hoc caput superiori subnectamus, indéque huius faciamus initium, vbi superioris factus est finis; si magna charitatis perfossio est, cum vita matris agitur, fœtum abigere, & vitam concepti infantis vitæ propriæ posthabere, vt in superioris capitis extrema parte monstratum est, quantò tetrior & horribilior truculentia erit, innoxium fœtum, nec nisi de parentis scelere criminosum, funere acerbo mergere? Nam cum ob seruandam infantis vitam, prodigenda esset vita matris, excusatio nonnulla necessariæ crudelitatis, vt Tertullianus appellauit cap. 25. libri de anima, suppetere videtur ex summo cuique vitæ suæ amore, qui tantus est, tâmque nobis altè infixus, vt etiam viri sanctissimi ad aliqua abiectiora quàm magnanimos decere videretur, pro retinenda vita descenderint; vt disserit S. Chrysostomus orat. de SS. Bernice & Prosdoce. In euentu autem de quo agimus, quia extremam corpoream matris necessitatem seponimus, mera & pura crudelitas est; cuius tametsi magna labes est, violatio illa charitatis quæ admittitur exclusione fœtus à baptismo; tamen tam multis præterea aliis probris sordet, vt ne hoc quidem dissimulato, timenda

menda sit argumentorum detestationis ieiunitas, in tam locuplete substantia criminis, tot malitiæ ramos porrigente, tot venas defundente.

Iniustitia matris ex periculo vitæ propriæ, dimissa.

12. Eiusmodi in primis est malitia iniustitiæ propriè dictæ, & quidem multiplicis ac teterrimæ. Sed illam sanè iniustitiam dimittamus, quam Mercurialis l. 1. de morbis mulier. cap. 2. & Baptista Codronchus l. 1. de Christiana & tuta medendi ratione cap. 22. considerarunt; nempe mortis matri inferendæ periculum ob aborsum. Rectè enim Codronchus obseruat, fabulosè scripsisse Agathonem l. 2. de fluuiis, herbam Cyuram vino maceratam & vmbilico impositam, absque matris periculo aborsum facere; cum tamen vera Medicorum peritorum doctrina ferat, matrem abortientem multa subire vitæ pericula, eo quod abortio præter leges naturæ & violenter fiat, & corruptiua fœtus sint venenata, deleteria, & naturæ humanæ inimica, à quibus cum infantis corruptione nihil nisi matris interitus iure expectetur: vel contingens ac per accidens sit, si non sequatur. Vnum id esse è tribus criminibus impiæ matris abortientis, notat S. Hieronym. epist. 22. Itaque adiungitur huic crimini, grassatio vel discrimen non leue grassationis in vitam matris, quæ cum solius Dei dominio subiaceat, nullo matris consensu, nulla iuris proprij cessione effici potest, vt eius quæcunque impetitio vacet labe iniustitiæ: & quidem illius ipsius, saltem inchoatiuè & reductiuè, cuius insimulantur Bio-

 thanati,

thanati, fœdè proiicientes animas, & è vitæ statione excedentes iniussu numinis; aduersus quod, is excessus, atrocem iniuriam continet, vt plenè prosequor in tractatione de virtut. l. 3. num. 117. & seqq. Sed eam (vt dixi,) iniustitiam nunc dimitto, quod tametsi in Deum admittatur, tamen circa matrem fiat, cuius interueniens assensus, colorem aliquem leuioris ea ex parte malignitatis inducit.

Labes homicidij in hoc scelere.

13. Itaque illud potiùs consideremus, admitti in hoc facinore terrum & horrendum homicidium: nempe innocentis, cuiusmodi extra omne dubium est fœtus. Admitti hîc homicidium negare videtur Tiraquellus ad l. *si vnquam* C. de reuocand. donat. §. *susceperit liberos*, num. 148. ex Baldo & aliis Iurisperitis, quos refert nixos ea Domini apud Ioannem sententia, *mulier cum parit tristitiam habet, &c. cum autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Hinc enim intulerunt DD. prædicti, infantem priusquàm vtero funderetur, & natus dici posset, non esse hominem de Christi sententia. At homicidium, vt ipse vocis cortex præfert, non potest esse nisi hominis. Vnde consequenter inferunt iidem Iurisperiti, quos magno numero ex nomine signat Tiraquellus ibidem num. 150. qui vterum vel animatum exanimarit, non puniri ex statuto puniente homicidam, & interfectorem hominis.

Sed quicquid sit de genere supplicij legibus decreto huic nequitiæ, quod diuersum est à pœna homicidio proditorio constituta; reuera tamen cerni

in

in hoc scelere malitiam homicidij proditorij, rectè affirmat Molina tractat. 3. de Iust. disp. 27. num.2. & idem disertè habet antiquus anonymus Climaci Scholiastes gradu 26.num.81. Nec contrarium potest, nisi ridiculè, fundari in verbis Christi: cum Christus verbis allegatis, non in partu & natiuitate fieri hominem qui homo non fuerat, sed nasci hominem, vtique iam factum & præexistentem, dixerit. Hominem verò esse qui adhuc maternis visceribus concluditur, & supra cap.2. demonstratum est, & boni Latinitatis autores agnouerunt. Nam Iuuenalis Satyra 6. describens veneficæ artes, ait,

Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit.

En *homines in ventre.* Fauorinus item apud Gellium l. 12. cap. 1. interfici hominem in præcordiis per matrem perfidam pronunciauit. Idem multo magis diceret Tertullianus, qui cap.9. Apolog. hominem esse dixit, eum quoque, qui est futurus; hoc est, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur. Sed hoc Grammaticum minutiloquium, missum faciamus. Nam quascunque tandem vsurpare voces placeat, de re ipsa non potest ambigi; cum constet, abortione animati iam fœtus curata, occidi viuum quid; non vtique plantanimum, vel pecuinum: Igitur humanum; de quo occiso ante Christi tribunal reddendam esse mulieri vltrò abortanti rationem, grauiter contestatur S.Augustinus serm. 144. de tempor. Optimè itęm Clemens Alex. 2. pædag. c. 10. *Secundùm naturam*

N 5 (inquit)

(inquit) *nobis vita vniuersa processerit, si & ab initio cupiditates contineamus, & hominum genus quod ex diuina prouidentia nascitur, improbis & malitiosis machinationibus non interficiamus. Ea enim sub prætextu fornicationis, vtentes medicamentis quæ omnino ad exitium attrahunt, simul cum fœtu, omnem humanitatem consumunt. Cum fœtu,* inquit Clemens.

Et quidem frequenter multiplicis.

14. Est verò qui admoneat, non singularem & vnicum fœtum, sed frequenter multiplicem, letho dedi per aborsum. Et cum prægnans planè ignoret, vnúmne an multiplicem,& quàm multiplicem fœtum aluo contineat, dubitare semper licet, multiplicísne, & quàm multiplicis homicidij sit rea,cum voluntariè abortat. Cúmque operans in dubio, astringat se eodem scelere quo is qui ex certa cognitione operatur, ob æquè deprauatam vtrobique voluntatem; manifestum est, nisi per inuincibilem multiplicis cædis ignorantiam, aliter accidat, impiam prægnantem voluntariè abortientem, multiplici se homicidio inquinare, quia dubitare meritò potest, ne multiplici fœtu grauetur, præsertim in primis ab animatione diebus ac mensibus, cùm motus luculentus, nondum argumenta præbuit vnitatis fœtus vtero conclusi. Scribit Ludou. Bonaciolus in Enneade muliebri cap. 6. rem esse non fabulosam, quod quædam duodecim fœtus; altera duodeuiginti; quatuor & septuaginta, alia; omnes efformatos, aborsu eiecerit. Addit, à nobili muliere, vnà centum & quinquaginta efformatos, vitæ compotes & suis secundis obuolutos fœtus prœmaturè

prænaturè emissos per abortum : quæ cum fusos à se lumbricos arbitraretur, vocato medico, diruptæ secundæ minimi digiti magnitudine, fœtus humanos quot numerabam, exhibuerunt visendos, plerosque etiamnum viuos, & motu præditos. Denique testatur idem autor in Italia fœminam quandam septem fœtus humanos abortu fudisse, aliam verò sibi notam, tres emisisse, quod ait frequens esse. *Inuenitur etiam in iure ciuili,* (verba sunt Tertulliani lib. de Anima cap. 6. in fine,) *Græca quædam quinionem enixa filiorum, semel omnium mater, vnici fœtus parens multiplex, vnici vteri puerpera numerosa, quæ tot stipata corporibus, penè dixerim populo, sextum ipsa corpus fuit.* Si Tertullianus respexit ad l. *antiqui.* ff. *si pars hæred. petatur*, quinquies quaternos enixam esse Græcam illam, fatendum erit. Vel *quinos quater*, vt habet emendatior lectio, quæ item habetur apud Plinium lib. 7. cap. 3. Qua ratione non semel duntaxat, sed quater enixus ille quinionis filiorum, contigisse dicendus erit. Exempla talia addensat ad eum Plinij locum Dalechampius. Meritò igitur prægnans vltrò abortiens, suspecta sibi esse potest multiplicis homicidij: Tametsi vnius duntaxat hactenus memini, quia ferè contingit, vt vnius duntaxat fœtus perdendi, cogitatio animum pulset.

Ac teterrimi, ob innocentiam fœtus.

15. Constat per abortionem voluntariam animati iam fœtus, admitti homicidium. Addebam verò, hoc esse homicidium teterrimum, quippe innocentis. Nam cædi innocentis adeò altè ac intimè combibitur

combibitur malitia aduersus ius ipsum naturale tali opere interdicens, vt nullius circunstantiæ appositione honestari possit. Itaque ex communissima & indubitata omnium Doctorum sententia, teste Molina tract. 3. de Iust. disp. 10. num. 1. & Valentia 2. 2. d. 5. q. 8. p. 2. ne si extrema quidem clades toti ciuitati immineret, fas esset innocentem trucidare vrgente Tyranno, implacabiliter toti vrbi succensuro, nisi innoxium ipsamet letho dedat. Grauissimorum quoque Doctorum, verissima (mihi quidem,) sententia fert, quamuis quoad bona fortunæ & honores ac officia, innocens Iudici priuata scientia compertus, mulctari possit ex scientia publica qua probatur nocens; tamen quoad vitam & membra, quia Dei solius dominio subsunt, mulctari eorum priuatione non posse illum quem Iudex contra allegata & probata innocentem esse certò nouit: nec posse prætexi bonum commune ex retentione iuridici ordinis, cum nullius boni quantumcunque ingentis & diffusi vano tectorio obducto, honestari possit ea innocentis interemptio, quam absque potestate fieri liquet; cum Deus vices suas in vitam hominis nemini commiserit, nisi potestati publicæ quoad noxios, verè noxios, quales reipsa non sunt, qui sola publica sententia noxij probantur, reipsa autem sciuntur innoxij. Sicut quia est intrinsecè malum accedere ad mulierem non suam, nemo quantumuis iuridicè probatus alicuius mulieris maritus, & per sententiam ex scientia publica latam iussus ad eam accedere, posset id sine scelere exequi: sed deberet potiùs mortem subire, quàm ea se fœditate contaminare

16. Attigi hæc exempla obiter, vt ex eis perspici

vtcunque

vtcunque possit, quanta sit virulentia homicidij quo innocens perimitur, quandoquidem ne tam grauium quidem bonorum, quanta sunt illa quæ dixi, obiectu & captatione honestari potest. Violari in hac innocentis cæde ius naturæ, & Deum euerti possessione sacratissima, præclarè dixit Philo l. in decalogum, expendens præceptum secundum quinarij secundi, interdicens cæde hominis; additque admitti reuera in eo facinore sacrilegium, quod quia pulcherrimè firmat & repetit libro de specialibus legibus, placet hunc veluti limbum apponere rationi cui nunc insistimus. Perbellè enim in hunc locum cadit, cum nullus esse possit magis innoxius quoad necis demeritum, quàm fœtus intra materna adhuc viscera abditus, & nondum maturus. *Qui hominem occidit*, (inquit Philo,) *appellatur homicida, sed reuera est sacrilegus, & quidem insignis, quippe qui perpetrauit sacrilegium maximum, sublata è mundo re pretiosissima sacratissimáque: quando nihil est Deo tam simile, quàm hoc sigillum pulcherrimum expressum è matrice pulcherrima; ad exemplar ideæ rationalis effictum. Ergo quilibet homicida* (sed interfector infantis necdum nati omnium maximè, ob summam talis infantis ab omni demerito & culpa præterquàm parentali elongationem:) *confestim pro impio sceleratóque habendus est, ob perpetratum facinus impium atque nefarium, & debet è medio tolli vt maleficus. Meritus enim plurimas mortes, exsoluit se vnica, quia natura non fert eum affici pluribus suppliciis: nec iniquum videri potest, si quod prior fecit, idem & ipse patiatur.*

Hoc erga matrem fœtus suffocatricē & abactricem,

cem, quanquam seruari ita nequit, vt retrusa denuo in maternum vterum ibi suffocetur, seruatur tamen quatenus morte afficitur, vt habetur l. *penult.* C. ad l. Cornel. de sicariis, & l. *si quis aliquid* §. *qui abortionis*.ff. de pœnis.Idipsum pluribus prosequuntur Couarr. Clem. *si furiosus* p. 2. §. 3. n. 1. & 2. var. cap.20. num.10. Anton. Gomes t.3. var. resol. cap. 3. num. 32. Mol. tract. 5. de Iust. d. 27. Ius Ecclesiasticum, quamuis seueritatem in huiusmodi nocentum corpora permittit legibus ciuilibus, tamen in animas, quo ciuilis potestas non pertingit, grauem vltionem pro tanto scelere exerit, variis decretis quæ adducuntur in Synodo Moguntina præside Rabano cap.21.nimirum can.21.Concilij Ancyrani, & can. 63. Concilij Eliberitani, ac can.2. Concilij Ilerdensis. Aceruarunt in hanc rem non pauca, Ioannes Baptista Scortia in selectas Pontif. Constit. Theor. 376. & Zerola in praxi Episcop. V. *abortus*.

Itidem, parricidalis impietas in prolis corpus, & animam.

17. Homicidij in fœtum innocuum admissi, labem per se tetram, & tam multis cum ciuilibus tum Ecclesiasticis quas perstrinximus pœnis dignissimam, cumulat atrocitas parricidij actiui, cum sit cædes personæ coniunctissimæ: vt propterea Philo initio libri de Sacerdotum honoribus, rationem reddens cur Deus edixisset offerenda sibi esse hominum primogenita præter omnium prouentuum aliorum primitias, affirmet causam fuisse, vt parentes animarum quoque suarum ac corporum Deo

Deo primitias offerrent. *Nam liberi*, (inquit,) *sunt parentum partes separabiles: imo si verum fateamur, inseparabiles: propter communem sanguinem, & latentem quandam rationem generis dimanantem à maioribus, natiua beneuolentia coniungente affectus mutuos.* E contrario autem, liberorum pœnas, ob summam coniūctionem & aliqualem identitatem, redundare in parentes; idque acerbissimum esse parentum supplicium si plectantur in filiis, optimè tradit Isidorus Pelus. l. 2. epist.81. & latè prosequitur Petrus Faber l. 3. semestr. cap. 8. Itaque hæc matris immanitas in proprium fœtum, est veluti sæuitia in seipsam; & sicut officia materna ad pietatem pertinent, ita malignitas opposita ad impietatem refertur. Impietatis autem quæ in liberos exerceri potest, summum verticem occupat malitia quæ in geminata eorum cæde reperitur: id quod diligentissimè in hac nequitia est semper obseruandum; non enim est cædes corporis duntaxat, sed etiam animæ, cui immedicabile & æternum infert exitium interclusione baptismi.

18. Sic aggrauanda semper est atrocitas impietatis quam in nefario hoc opere agnoscunt Christiani Doctores. Lactantius 6. instit. 20. quodcunque homicidium criminatus; (corrigendus tamen quoad iusta bella, & accusationes capitales iustè institutas, quas damnat, nec videtur admittere benignas interpretationes quas ad duriuscula aliorum quorundam Patrum, bella omnia illicita Christianis pronunciantium, adhibet Bellarminus l. de laicis cap.14.) quodcunque inquam homicidium criminatus eo loco Lactantius, subdit. *Ergo ne illud quidem concedi aliquis existimet, vt recentes natos*

liceat

liceat oblidere. Recentes natos appellat, vt ex sequentibus patet, non iam vtero fusos, sed in vtero abditos, mox ab animatione; nam sic quoque fœtus dicitur natus, iuxta illud *quod in ea natum est.* Pergit. *qua vel maxima est impietas. Ad vitam enim Deus inspirat animas, non ad mortem. Verùm homines ne quod sit facinus quo manus suas non polluant, rudibus adhuc & simplicibus animis, abnegant lucem non à se datam. Expectet verò aliquis vt alieno sanguini parcant, qui non parcunt suo? Sed hi sine vlla controuersia scelerati & iniusti.* Maxima impietas quam in corporum per impias parentes trucidatione intra vterum agnoscit Lactantius, augescet supra maximam impietatem, si nexæ & consertæ corporis morti in fœtu, mors item animæ ex baptismi negatione, superaddatur.

19. Qua item ratione aggrauandum est parricidium quod passim in hoc scelere cerni docent Patres, æmulati modum loquendi Tullij in orat. pro Cluentio, cum Oppianici scelera, & prægnantem ad abortandum inductam describit. Sed Tullius quidem habita solius corporis ratione parricidium dixit, quod multo auctiùs Doctores nostri possunt agnoscere, respectu insuper habito ad interemptionem animæ, ob impeditam initiationem per Baptismum. Et cum hoc malitiæ auctario accipiendi sunt, quoties parricidij notant hoc scelus. Ita Minutius in Octauio num. 53. *parricidium faciunt, antequam pariunt.* S. Cyprianus epist. 49. describens Nouati scelera, inter alia hoc numerat. *Vterus vxoris calce percussus, & abortione properante in parricidium, partus expressus. Et damnare nunc audet sacrificantium manus, cum sit ipse nocentior pedibus,*

quibus

quibus filius qui nascebatur occisus est? Idem voluit S. Chrysostomus homil. 24. in ad Rom. *in mor.* cum hoc, vt vocat, *enorme flagitium*, aliquid esse ait supra homicidium. Locum infra dabo. S. Hieronymus epist. 22. agens de Virginibus fatuis ementientibus virginitatem. *Nonnullæ cum se senserint concepisse de scelere, abortij venena meditantur, & frequenter etiam ipsæ commortuæ, trium criminum reæ, ad inferos perducuntur; homicidæ sui, Christi adulteræ, necdum nati filij, parricidæ.* Theodoretus lib. 9. de leg. *sub finem*, adducta Platonis lege quam ait esse lachrymis & igne dignissimam, de abortione curanda cum contigerit fœtum concipi vltra tempus gignendi lege constitutum. *Quid verò* (inquit) *vnquam tale, vel Echetus vel Phalaris, legibus suis instituit? Quis tale parricidij genus est vnquam ausus? Nam qui prohibet fœtus in lucem edi, abortitiis profectò pharmacis infantes corrumpi iubet.*

20. Hæc ad auxeses non esse referenda, sed rem exigendo ad rigorem scholasticum, veram & propriam parricidij rationem in hac cæde per matrem patrata reperiri, affirmat Mol. tract. 3. de Iust. disp. 27. num. 2. Ioannes Hessels lib. 3. in Decalog. cap. 157. & Antonius Gomes t. 3. var. resol. cap. 3. num. 3. testatus esse communem doctrinam. Neque enim vox *parricidij*, ad cædem paternam arctanda est, vt fecit Fabius l. 8. cap. 6. etymologiam nominis spectans: sed vt occisio ascendentis cuiuscunque per descendentem nomine parricidij propriè ac formaliter sumpti donatur, ob necessitudinem summam quæ inter personas illas intercedit; ita vicissim parricidium est & dicitur, interfectio descendentis per ascendentem, ob eandem supremam con-

iunctionem personarum ita nexarum. Et ita ferunt multa iura, nominatímque lex vnica C. *de his qui par. vel liber. occiderunt.* & §. *Alia deinde lex.* inst. de pub. iud. si igitur tantam atrocitatem sceleris, quantam præfert vox *parricidij*, non penes solum corporeum personæ coniunctissimæ exitium attendamus; sed etiam penes cædem animæ infantis, quæ baptismo prohibita peribit in æternum, habebimus cumulum nequitiæ, & immanitatis, ac impietatis, supra quàm dici & concipi queat exaggeratæ; & ad tantam molem criminis horrore perculsi, mirabimur & stupentes hærebimus, quod non in fœminas modò, quarum tenerior & mollior est sexus, sed & in matres, quibus nihil edidit natura ad amorem ardentius, & quidem Christianas, quæ æterna prolis in vtero enectæ damna, & vindicem oppressæ innocentiæ Deum nouerint, cadere tanta iniquitatis & truculentiæ monstrositas possit.

21. Quod si S. Cyrillus in simplici homicidio tantam sceleris atrocitatem agnouit, quantam apud eum legere est hom. 8. Pasch. quid de hac parricidali in corpus & animam impietate diceret, nemo non videt. Exclamat ille in homicidam quemcunque, tanquam in immitem bestiam; conuelli ab eo naturæ legem expostulat; miratur quomodò iacens occisi cadauer spectans, non sibi dehiscere tellurem optet; queritur quod terram quam habet optimarum frugum parentem, & nutricem perbenignam, iniuria afficere non dubitarit infuso illi innoxio sanguine. Ferrum quoque ad tam multa vitæ commoda pernecessarium adiumentum, iniuria affectum ob tantam eius peruersionem expostulat.

postulat. Nam cum sit diuinitùs suppeditatum ad terræ proscissionem,& arborum culturam,vel ferarum animantium iugulationem & depellendas imminentes ab eis iniurias, humana peruersitas illud contaminauit, ea vsurpatione ad vsum planè extraneum; quam *sceleratissimam humani ingenij fraudem* appellat Plinius l. 34. cap. 14. & ipse in hac optimi vitæ instrumenti peruersione expendenda insignis. Denique interrogat S. Cyrillus homicidam, quásnam manus ad Deum sublaturus sit inter orandum? Eásne quas cruentarit humano sanguine, auditurus reponentem Deum illud Isaiæ. 1. *cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis; & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ, sanguine plenæ sunt.* Hæc & alia, quæ ibi, & homilia 7. in quemcunque homicidam corporum vrget S. Cyrillus, valent multo magis in parricidium quod exagitamus, quo persona omnibus titulis obstricta ad fouendum fœtum, impiè in illum grassatur, non corpori tantùm,sed & animo æternam cladem malignissimè & truculentissimè inferens.

Iniuria in coniugem, frequens in eodem facto.

22. Nexuit cum hoc teterrimo malitiæ gradu, aliũ haud minùs furuum ac tetrũ S. Chrysostomus homil. 24. in ad Rom. *sub finem*; nimirum iniuriam atrocem in coniugium. Non dico in coniugem, quanquam hic quoque violatur, si mulier coniugata sit, & virum fraudet prole quam ex ea quæsiuit.Nam si in vxore,negatio debiti coniugalis

eſt contra iuſtitiam, multo magis contra iuſtitiam erit fruſtratio finis in quem primariò ordinatur actus ille, nempe prolis extinctio ex quo concepta eſt. Quis verò inficias eat, iniuriam fieri colono, ſi quis poſt aruum excultum, & iactum ſemen, cum iam lætæ ſegetes erumpunt, vaſtet eas adhuc herbeſcentes, & necdum ad meſſem maturas? At notiſſima eſt proportio agri ſeminati, & arui genitalis, aluíve, è qua ſpicæ rationales poſt ſationem progerminant, vt ſcitè de more dixit Baſilius Seleuciæ orat. 4. deſcribens attonitam Euam, cum prodiens ex aluo germen, naturam numero propagatam, & partita corpora, ſpicas rationis compotes, ſpectaculo inopinabili nec ante viſo, erumpentes perſpexit: ad quem locum Baſilij, multa Dauſqueius in hanc allegoriam è Græcis corrogat, laudato præſertim Nonno Dion. lib. 12. Sed multo plura è Græcis ſimul ac Latinis aceruauit in eandem rem Conradus Riterhuſius ad l. 4. Halieutic. Oppiani ad v 26. Addendúſque Nyſſenus qui orat. de mortuis, hominis formationem cum ſpicæ progerminatione ſcitè componit. Et perpulchrè quoque Clem. Alex. 2. pædag. cap. 10. *initio*. Alios adduco in Scalis ad Deum Gradu 11. pag. 291. adiungíque poteſt ſomnium quod eſt apud Artemidorum lib. 5. num. 63.

Alio exemplo, hanc iniuriam in maritum expreſſit S. Auguſtinus ſerm. 244. de tempor. Agens enim de mulieribus coniugatis, vt ex antecedentibus & conſequentibus patet, dehortatur eas à facienda vltrò abortione, exemplo ancillarum & colonarum, quas cenſerent cum graui dominorum iniuria aborſum facere, ſubductis iniuſtè mancipiis

per

per earum partus aduenturis. Denique Tullius in orat. pro Cluentio, hanc mariti iniuriam à fœmina vltrò abortiente illatam, apertè agnoſcit; memorans cum ipſe eſſet in Aſia, mulierem Mileſiam, quod accepta à ſecundis hæredibus pecunia, partum ſibi medicamentis abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam: *Neque iniuria*; (inquit,) *quæ ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, hæredem familiæ, deſignatum Reipublicæ ciuem ſuſtuliſſet.*

Iniuria in coniugium, eidem ſemper nexa.

23. Hanc igitur in coniugem iniuriam, voluntario aborſu irrogatam, agnoſco ipſe quoque, dummodò vir ab hoc ſcelere abhorreat. Sed alia eſt iniuria in coniugium, quam à S. Chryſoſtomo in hoc ſcelere deprehenſam dixi. Hortatus eo loco ad officium vir ſanctus, ſpurcum maritum ab vxore alieno animo, vagantem autem per fornicum cloacas, vrget nominatim quod impia mater deteſtabili malignitate in fœtum ſit graſſatura, ídque adultero inducente auſuram execratur. Stomachatus ergo primùm D. Chryſoſtomus aduerſus ſcortatorem, quia ſeminat quod metere non licet, & ſatorem ſi metatur magno afficiet dedecore, ſubiungit. *Quid ſeminas vbi aruum ipſum, fructum corrumpere ſtudet, vbi multa ſunt partum excludentia, vbi ante generationem cædes? Scortum enim non permittis vt ſcortum tantummodò maneat, ſed & homicidium patrare facis. Vides quomodò ex ebrietate ſit ſcortatio, ex ſcortatione adulterium, ex adulterio cædes, imo cædè etiam peius quid? Neque enim habeo quo flagitium iſtud enorme exprimam. Nam non ſolùm quod natum eſt*

occidit, sed & ne nascatur, prohibet. Quid ergo & donum Dei ignominia afficis? Quid ipsius legibus repugnas, & quod execrandum est, velut laudabile persequeris, generationisque promptuarium, facis promptuarium occisionis, & mulierem quæ ad puerorum generationem data est ad necis artificium instruis? &c. *Licet enim res ista muliebri agatur audacia, causa tamen tibi imputabitur.* Leges diuinæ quas conculcari ait, promptuarium generationis & vitæ fauiſſam, efficiendo tumulum & ſepulchrum; dona Dei quibus ignominiam inferri queritur, interclusione partus; iura denique illa quæ conuelli deplorat, aruo ipso fructum exortum corrumpente; hæc inquam omnia, aliud non ſunt, quàm fœdera connubij, & diuina thori immaculati instituta ad liberorum procreationem ac eductionem in hanc lucem, per natiuitatem & partum. Ea quippe caſſa reddit hoc ſceleris prodigium, planéque peruertit: cum connubiale commercium ad quod connubij iura diriguntur, aliud non ſpectet, quàm liberorum ſuſceptionem, quæ hoc maleficio prohibetur: perinde enim eſt non gigni liberos, ſi materno vtero immoriuntur.

24. Nemo dilucidiùs, huius in coniugium iniuriæ atrocitatem expreſſit, quàm S. Auguſtinus l. 1. de nupt. & concup. cap. 15. vbi coniuges qui prolis ad lucem hanc exortum prohibent, de eius ſententia, *quamuis vocentur, coniuges non ſunt; nec vllam nuptiarum retinent veritatem, ſed honeſtum nomen velandæ turpitudini obtendunt.* Et mox. *Aliquando eo vſque peruenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam ſterilitatis venena procuret, & ſi nihil valuerit, conceptos fœtus aliquando*

intra

intra viscera extinguat ac fundat, volendo suam prolem prius interire quàm viuere; aut si in vtero iam viuebat, occidit antequàm nascatur. Prorsus si ambo tales sunt, coniuges non sunt. Et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium; sed per stuprum potiùs conuenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodammodò meretrix mariti, aut ille adulter vxoris. Vides firmari ab Augustino eam Theologorum doctrinam, qua tradunt, conditiones bono prolis repugnantes, si qui sub eis coniugium inirent, esse contra matrimonij substantiam, illúdque prorsus irritum reddere: & talem esse conditionem de conceptu impediendo, vel prole suscepta per aborsum eiicienda, alitérve intra vterum necanda: in quam rem multa iura & DD. aceruat Thomas Sanches nunquam satis laudati operis de Matrim. l. 5. disp. 9. consentiúntque Hurtado disp. 7. de Matrim. difficult. 8. Basilius Poncius l. 3. de Matrim. cap. 11. num. 2. & Rebellus 2. p. lib. 2. q. 10. f. 3. num. 16.

Connubij sanctitas, ad idem expensa.

25. Vt autem propositæ in connubium iniuriæ indignitas & atrocitas appareat, roborentúrque hactenus disputata ex SS. Chrysostomo & Augustino; considerandа obiter est connubij sanctitas, indicatis breuiter paucis aliquot locis, quibus eximij Patres, diuina hæc instituta magnificentissimè celebrarunt. Plura ab iis licebit repetere, qui iura connubiorum, vnáque eorum laudes & decora ex instituto sunt persecuti, *nec immeritò,* vt cum Cassiodoro dicam lib. 2. epist. 11. *quia in honore esse*

meretur, vnde reparatio posteritatis acquiritur. Apud Basilium ergo Seleuciæ l. 1. de vita B. Theclæ, cum ex Ethnicorum, tum ex ipsiusmet B. Pauli persona, multa & insignia coniugij encomia proponuntur. Libo nonnulla.

In primis Thamyris qui S. Theclæ nuptias ambiebat, séque ea spe deiici per Apostoli conciones videbat, eo in iudicium tracto, sic præter cætera de Paulo ait. *Matrimonium vituperat, quod meritò quis originem, radicem, ac fontem naturæ nostræ vocitauerit; ex quo patres, matres, filij, familiæ, vrbes, agri, vici emanarunt: à quo nauigatio, agricultura, & quæcunque terræ artes; à quo regnum & Respublicá, leges, Magistratus, iudicia, exercitus, tribunatus; à quo Philosophia, Rhetorica, omnéque liberalium disciplinarum agmen; à quo denique, quod præstantius est, templa, delubra, sacrificia, cæremoniæ, mysteria, vota, supplicationes profluxerunt. Hæc enim omnia, & alia quæ ne longiore oratione vti necesse sit, à nobis omissa sunt, ab hominibus quidem perficiuntur & fiunt, porrò homo velut matrimonij seges est.* Concludit, *coniugium rem esse omnium pulcherrimam*, per quod & nos in vitam venimus, & hac luce fruimur.

Nec Apostolus Thamyridi apud Iudicem reponens calumniarum dilutionem, parcus est matrimonij laudum. *Et matrimonium quidem* (inquit,) *à Deo in remedium subsidiúmque totius humani generis concessum est, & in libidinis simul medicinam: ac velut fons quidam atque affluentia & continuatio communis generis, à Deo rerum omnium conditore excogitatum; pro salute, conseruatione ac prorogatione vitæ hominum, aliis in aliorum locum subeuntibus,*

naturámque

naturámque identidem intercidentem, denuò inſtaurantibus.

Tandem Proconſul B. Theclam à virginitatis ſtudio reuocans, ſic ait præter cætera. *Quid tibi velis quod deinceps coniugium fugias, dicere non poſſum, rem adeò præclaram, honeſtam, & ab omnibus hominibus, diiſque ipſis vno ore laudatam. Hoc enim vt verbo complectar, terram vniuerſam hominibus aliiſque animantibus implet: Implet & aëra volucribus: quin & mari donat illa quæ in mari naturæ lege nutriuntur. Hoc ipſiuſmet mortis naturam corrigit, pro iis quos ipſa deprædatur, alios qui porrò viuant, inducens, propè vt immortale iam genus noſtrum ſit, adnaſcentibus ſemper hominibus, qui abeuntium naturam, ordinem, vſum repræſentent. Hoc pudicitiæ optimus Magiſter, terminus, cuſtos, legitimo concubitu illegitimas libidines coïtúſque ſemper impediens: hoc liberos ingenuos, à nothis & non debita commixtione natis, ſecernit: hoc probæ ſobolis index exactiſſimus, hoc familiarum appellationes ſynceras conſeruare nouit, hoc bonorum ſucceſſiones quibus debentur attribuit. Quid igitur coniugium fugis, rem adeò piam, decentem, pulchram?*

26. Amphilochius, Iconij vbi hæc omnia diſputata ſunt, poſtea Antiſtes orat. de occurſu Domini, *ferè initio*, concinniſſimè in hanc ipſam rem diſſerit, his præter cætera. *Honorandum matrimonium ſuperat omne donum terrenum; quippe cum ſit arbor fructuoſa, cum ſit elegans planta, cum ſit radix virginitatis: quippe cum more agricolæ excolat ratione præditos ramos animatos: quippe cum benedictio mundi & incrementum ſit, cum genus conſoletur, cum homines efficiat, cum diuinam imaginem quaſi pictor*

 effingat,

effingat, cum Dominum habeat qui ei benedicat, cum totum mundum ferre valeat, cum ab illo regatur & administretur quem vt humanam etiam naturam indueret, flexit & exorauit; cum liberè dicere possit; ecce ego & puelli quos Deus mihi dedit. Aufer honorandum matrimonium, & non inuenies florem virginitatis. Inde namque & non aliunde, colligitur virginitatis flos.

Iconiensibus coniugij encomiis, attexo, quæ Theodoretus vernantissima oratione in hanc rem protulit serm.8. de prouid. ex persona casti Ioseph, spurcam heram ad flagitium inuitantem, repellentis. *Matrimonium generis nostri fontem, & via ad vitam deducentis ianuam, violare non ausim; cuius beneficium est, quod humanum genus non deficit, quod idem naturam hanc morte aboleri non permittit, sed plantatione sua secantis manum vincit; & germinatione, metentis falcem superat; quod verni temporis naturam imitatur, quod post eam quæ hyeme facta est prædationem apparens, quæ per hyemem spoliata & exuta sunt, denuò vestit.* Copiosè idem Theodoretus matrimonij decora persecutus est l. 5. epitomes diuin. decretor. cap. de matrimonio, & breuissimè, sed optimè l. 12. contra Græcos, vbi Epicurum & Democritum, quòd nuptias præ curis quas inferunt auersarentur, accusat; laudat verò Platonem, *qui inter hominis bona, nuptias collocat, quas etiam immortalitatis tuendæ inuētum, generísque humani stabilitatem appellat.* Nec omittit suffragium sacrarum literarum, quibus nuptiæ sunt in honore, quòd genus humanum augeant, & à vitæ ratione immundis suibus congruente, liberent.

Diuina

Diuina figlina hoc scelere profanatur, vertitúrque in sepulchrum.

27. Quod coniugij encomiasten hîc non agam, tempero pluribus: præsertim quod hæc pauca quæ protuli, satis supérque esse possunt, ad vim argumentationis quam contra scrophas liberorum in vtero interemptrices, petebam ex matrimonij violatione, quod reuera nullum redditur, prorsúsque euertitur; cum ex officina generis humani, per hanc nequitiam, vertatur in volutabrum petulantiæ atque dedecoris: & locum ex Dei institutione sanctum, mineras inquam generis nostri, quæ peculiari ratione principi humani generis sunt addictæ, malignè euertat & polluat, mutétque in sepulchrum cadauerum. Esse enim aruum genitale in quo formamur & fingimur, diuinam veluti figulinam, in qua Deus ipse inenarrabili dignatione manum limo nostro admouens, non per virtutem aliquam creatam substantiæ seminis inanimatæ consertam; (quis hoc credat? cum res inanima viuentem procreare principaliter nequeat, vt in hanc rem argumentatur Scotus in 2. d. 18. & multi apud Leonicenum opusc. de vi formatiua:) sed immediatè per seipsum, hominem effingat ac formet, vt causa saltem primaria, cum Galeno statuit Dandinus 2. anim. digress. 28. §. *de concursu sexus vtriusque ad procreationem*, & annuunt alij, iuxta quos Deus nunc quoque hominem seipso principaliter procreat, æquè ac olim in campo Damasceno Adamum suismet manibus compegit. Docet hoc disertè S. Chrysostomus homil. de animatione & formatione

tione Adæ, concludens his verbis. *O rem miraculi plenam? Conditur templum in alio templo. Formatur infans in vtero, domus in domo construitur, & exterior illa domus minimè rem sentit.*

Suffragati videntur alij quidam Patres, æquè Deum operantem in occulto & in inferioribus terræ, hoc est in vtero formantem ossa & substantiam fœtus, verbis amplissimis celebrantes, vt Lactantius l. de opif. Dei cap. 19. & S. August. l. 6. de Genesi ad lit. cap. 13. & l. 2. de nupt. cap. 13. fauente Scriptura Iob 10. & 31. & Psal. 138. Quod si ea immediata Dei solius tanquam causæ actiuæ primariæ principiatio in hominis efformationem, non placeat; nec abs re, vt benè statuit Molina 1. p. q. 2. artic. 3. & Conimbr. 1. de gener. cap. 4. q. 26. art. 1. manebit tamen tota vis argumentationis propositæ, quia certum est diuinæ manus interuentum in hominis compactione non deesse. Vnde Clemens Alexandr. 2. pædag. cap. 10. vocat parentes, *diuini muneris opificialis participes.* Et initio capitis, ait. *Ea ratione fit homo Dei imago, quatenus homo cooperatur ad generationem hominis.* Cooperatur enim Deo, qui ob vniuersalem agendi vim, potestatémque independentem, est in ea operatione agens vniuersale, cuius figlina & officina, vterus est, in qua *Ipse figulus, carnium nostrarum cœnosum lutum, vapore sui spiritus animauit, & materiem fluidam atque terrenam, ignito calore decoxit*, vt verba S. Maximi vsurpem ex homil. de Iuda proditore. Est ergo vterus, locus sacer, ob Dei inibi assistentiam, & summoperè splendentem prouidentiam, & tam artificiosam operationem à Galeno quoque & aliis Ethnicis celebratam tanquam

quam ſtuporis plenam & miraculis refertam.

Profanat & inceſtat impiè, ſacrum hunc & religioſum locum; hoc inquam Dei inoperantis templum, nefaria mulier, diruens diuinam in eo fabricam: & quæ Deus perfecerat deſtruens, locum procreationis humanæ, commutat ſede exitij, atque ſepulchro. Et erat quidem etiam poſt animationem fœtus, eodem loco ſepulchrum, ſi Nilum audimus orat. 1. de Paſch. apud Photium Cod. 276. cuius hæc eſt oratio. *Formatur tanquam in ſepulchro, in vtero, nondum exiſtẽs infans, naturæ faſciis inuolutus, & ſimilis eſt mortuo faſciis ſepulchralibus conſtricto. Nam mortuorum quidem vultus, arctiùs concluſus eſt, os in vtero mutum, manus & pedes in ventre tanquam in tumulo extenduntur. Matrix egregium fœtibus ſepulchrum eſt, & ſepulchrum quidem fœtoribus non carens. Tali fœtus formatus in ſepulchro, formantis nutum vocatus ſequitur.* Hæc tamen Nili allegoria tametſi concinnitate ſua mulcens Lectorem, non niſi allegoria eſt: nec reuera conditorium dici poteſt (ſi res ad veritatem exigatur,) locus in quo vita confertur.

28. Aliò autem ſpectauit Gregorius Palamas in Proſopopœia animæ & corporis, *non multum ab initio*, cum animam induxit ſic loquentem. *Simul ac cum hoc mortali coalui, ac antequam fœtus vitam accepit in vtero cum ſepulto vnà ſepelita, & velut in duplici ſpelunca Sara mortuæ cadauer Abraham ſepeliuit, ita & ipſa duplici monumento infodior.* Hæc aliò ſpectare, quàm ad vterum ſepulchri nomine donandum ob infoſſum illi infantem, monſtrant iſta quæ continenter ſubdit Palamas. *Nam ex ſapientum ſententia, ſi corpus eſt meum ſepulchrum, id verò*

verò in vtero tumulatur, quidni duplici loculo, fœtu quem embryonem vocant, & vtero consepelior? Et mox, exitus è corpore materno sic describitur. *Illhinc quasi è tumulo prodeuntes,* corpus & animus, *vnà sepulti, vterino quidem sepulchro defungimur; ego verò,* anima, *in corporeo etiamnum insisto, hæreóque.* Alludit vt vides ad Platònicam de corpore humano sententiam, quæ σῶμα veluti σῆμα, corpus inquam vt sepulchrum animæ statuebat, & referente Nicephoro l. 17. cap. 27. & 28. damnata est in 5. Synodo, ac longo argumentorum ordine disiicitur à S. Cyrillo l. 1. in Ioan. c. 9. necnon à Gregorio Nyssseno l. de homin. opif. cap. 28. & 29. Ex quo obiter liquet, & librum de homine vbi cap. 6. contrarium traditur, Nysseni non esse; & quod aduersus hanc veritatem in nōnullis indubitatis tanti viri scriptis legitur, infartum esse ab Origenistis, vt monuit S. Germanus Constantinop. apud Photium C. 233. Hoc igitur non asserit Palamas, tametsi schismaticus & aliorum errorum compertus: sed tantùm citra assertionem alludit ad illud Ethnicorum sapientum placitum. Idque ex eo clarius perspici potest, quod mox idem Palamas, infantē è matris corpore quæ animæ maternæ veluti sepulchrum est, ad aliud sepulchrum suum externum, cum nascitur, perduci commentatur. Ait enim. *Hinc & eiulatus natalitiis cantibus ex aduerso respondentes, & vndique deuincientes fascia, & cunabulorum vincula sepulchralibus ligamentis cognata; & lectuli seu cunæ, euidens imago monumenti; vt hinc etiam mihi,* animæ, *molestiæ conduplicentur, secundis his mihi post prima vinculis impositis. Non enim à sapientibus illepidè multis appellationibus & coniugatis id vocatur, sepulchrum,*

ſepulchrum, cuſtodia, amictus, monumentum, δέμας παρὰ τὸν δεσμὸν, *à vinciendo.* Protuli tam multa, vt liqueret, Palamam maternum vterum nequaquam habere pro conditorio infantis, niſi ratione corporis totius materni cuius pars eſt vterus. Id enim maternæ animæ quaſi ſepulchrum eſt iuxta Platonicam allegoriam.

At non iam allegoricè, & per meras tranſlationes verborum, ſed reipſa maternum vterum infantis ſui ſepulchrum facit impia mater, quæ volens abortat, alitérve in vtero infantem necat. Vnde Propheta, diei in qua natus erat ſuccenſens, in ea verba propriiſſimè erupit, *vt fieret mihi mater mea ſepulchrum*; cum ſibi ſuffocationem intra materna viſcera imprecaretur. Veréque tunc, inferiora terræ in quibus ſubſtantiam ſuam à Deo factam aiebat Dauid pſalmo 138. euadunt inferiora illa terræ, in quæ introituros hoſtes ſuos cum partes vulpium facti eſſent, idem Regius Propheta pſalmo 62. denunciabat.

Iniuria coniugio per hoc ſcelus irrogata, concluditur.

29. Hac igitur materni vteri in quo à Deo figulamur transformatione in ſepulchrum, violatur coniugium, quia eius officium ac finis prorſus euertitur. Vnde tametſi interdum, alter coniugum quo annuente huiuſmodi cædes peragitur, non afficiatur formali iniuria; & aliquando etiam accidat vt neuter eam ſuſtineat, quia communi voluntate executioni mandatum eſt maleficium, tamen iniuria cõiugio illata quam coniuges remittere non potuerunt,

runt, semper perseuerat. Sicut nulla prorsus iniuria admitteretur formaliter in Caium & Bertam matrimonio deuinctos, si Caius Bertæ non renuentis lenonem agens, eam adultero conspurcandam obiiceret, & tamen non abesset ab ea turpitudine, iniuria in coniugium & statum matrimonij, vt benè notauit Lessius l. de Temper. cap. 3. num. 73. Quod aliter dicitur, inferri tunc iniuriam coniugibus, quatenus coniuges sunt. Sicut percussio Clerici annuentis se percuti in satisfactionem, iuxta morem patriæ, iniuriosa dicitur cap. *contingit primum.* de sent. excomm. non quidem ipsi Clerico sic percusso, cum annuerit & voluerit percuti; volenti autem non fiat iniuria; sed toti Ordini Clericali, vt docet Glossa ad reg. iuris 27. vel Clerico formaliter provt Clerico. Similiter ergo coniuges isti, non coniuges, vt ex D. Augustino supra retulimus, sedem vitæ nefaria abusione vertentes in conditorium atque sepulchrum, volentes nolentes iniurij essent in coniugalem statum, siue in seipsos quatenus coniuges.

Ipsi Ethnici, eam nequitiam execrati.

30. Auersatus est ex Ethnicis hanc truculentiam Aristoteles 7. Polit. cap. 16. sed ita vt anticipatum scelus labe purgarit. *Propter filiorum* (inquit) *multitudinem, si fœtus exponi maiorum instituto prohibeantur, determinanda est filiorum procreandorum multitudo: sed si quid praterea fuerit genitum, abortionem ante sensum & vitam facere conueniet. Nam postquàm concepti sunt, & sensum ac vitam acceperint, nefas est attingere eos.* Nefarium, vt vides, censet

cenſet Philoſophus, fœtus ex quo ſunt concepti in vtero, & vitam viuere ſenſitiua aliqua functione edita deprehenduntur, attingere: vtique ad perdendum eos, quicunque ſit attactus ille:& ſiue poculo venenato hauſto, ſiue compreſſione validiore ad ſuffocandum idonea, ſiue alio quocunque modo vitæ infantis inſidiante, peragatur. Benè hoc & optime Ariſtoteles; conſenſeruntque in Ethniciſmi caligine, quotquot oculis non effoſſis, lucem ex ſe conſpicuam percipere valuerunt. Ad id ſe iuramento adegiſſe Hippocratem, oſtendit Mercurialis l. 1. de morb. mulier. cap. 2. Phauorinus Philoſophus apud Gellium lib. 12. cap. 1. referens conatum prægnantium illarum, *quæ commentitiis fraudibus nituntur, vt fœtus quoque ipſi in corpore ſuo concepti aboriantur*; ſubdit, eſſe *publica deteſtatione communique odio dignum, in ipſis hominem primordiis dum fingitur, dum animatur, inter ipſas artificis naturæ manus, interfectū ire.* Muſonius apud Stobæūm ſerm. 194. in farragine Geſneri, teſtatur priſcos legiſlatores graui animaduerſione hanc malignitatem coercuiſſe. Theodorus Priſcianus Medicus lib. gynæc. ait id eſſe fœdum crimen quo non deceat innocens Medicorum officium maculari. Scribonius Largus epiſt. ad Caium Iulium, idipſum deteſtatur. Vides non vnum Ariſtotelem, hoc ſcelus auerſatum.

Anteoccupatio animationis, an Ariſtoteli probata, & quàm horrida.

31. Sed illud ab Ariſtotele, loco allegato, execrabiliter pronunciatum videri poteſt, quod vbi

liberos iam natos exponendi vſus non viget, (& nullibi ſanè viget, vbi non eſt funditùs excisa humanitas,) annuere videtur, vt anteuertatur animatio fœtus iam ſeminati, & curetur excretio genituræ in eo ſtatu. Nam, poſtquam numerus liberorum reſpondens facultatibus ſuſceptus fuerit, *ſi quid præterea genitum fuerit*, (inquit) *abortionem ante ſenſum & vitam facere conueniet.* Autor quoque libelli de natura pueri, Hippocrati inſcripti, *non multùm ab initio*, ſcortum quoddam ne grauiditate vileſceret apud procos, ad eiiciendum exceptum ſemen ante fœtus animationem, à ſe inductum, modo eiiciendi indicato teſtatur; quod frigidè admodùm excuſant Mercurialis l. 1. de morbis mulier. c.2. Cordæus comment. 3. ad l. 1. de mul ſ.2. & Laurentius l. 8. anatom. q. 19. ſupponentes id quidem ab Hippocrate edoctam fuiſſe cantatriculam illam, ſed inde ab impietate & periurio liberari Hippocratem exiſtimantes, quod non abortum qui intra ſeptiduum nondum plenè conformatis partibus accidere non poteſt, ſed effluxionem, vt apud Ariſtotelem nominatur l. 7. de nat. anim. c. 4. ſiue ἐκρυσιν ſuaſerit. Verùm ea effluxionis, meditatò facta cauſatio, eſt deteſtanda nequitia; quam ſi Hippocrates docuiſſet, næ ille turpiſſimè lapſus eſſet, nec niſi abſurdiſſimè de eo dixiſſet Macrobius, nec fallere, nec falli vnquam potuiſſe Hippocratem. Verùm quod liber ille de natura pueri, germanus Hippocratis, an potiùs Polybi ſit, dubitauit Galenus l. de fœtus formatione. Diſertè autem negat Horat. Augenius l. 12. epiſt. 71. & Baptiſta Syluaticus controu. 82. Non cohæret ſanè abominatio quam autor libri illius à ſe patratam refert, cum iuramento illo ſolemni

solemni quo Hippocrates se obstrinxit, ad seruandam semper indemnitatem prægnantium. Non esse autem iusiurandum illud Hippocrati suppositum, vt aliqui sunt suspicati, latè monstrat Moxius l. 2. de venæ sect. in morb. acut. cap. 15. Sic igitur, de placito illo quod ex libro de natura pueri referebatur, pronunciandum est.

32. Aristotelem verò, probabile est aliud noluisse, quàm satius esse eiicere genituram ante fœtus animationem, quàm post iam inditam animam; de quo nulla est dubitatio. Est enim longè truculentius, sæuire in fœtum vita præditum, quàm ne ad vitam perueniat impedire. Et quamuis vtrumque nefarium sit, tamen absque controuersia longè detestabilius est occidere fœtum iam viuum, quàm prohibere animatione nondum viuentem. Itaque iuxta eam Theologorum regulam, qua docemur fas esse obfirmato ad patrandum alterutrum è duobus malis, posse sine culpa suggeri, vt illud potiùs admittat quod leuius est, non malè Aristoteles, coniuges numerositate prolis grauatos, & præ egestate illam iam viuam perdere fixum habentes, admonet consultiùs facturos, (cum vsu coniugij carere renuent, nec tamen liberos ad vitam iam susceptam promouere volent;) minùs certè peccaturos, si anteuertant, & exclusione recepti intra vterum seminis, fœtum animatione prohibeant. Nihil video obstare, quominùs hic sensus in propositum Aristotelis locum cadat. Quamuis autem ea animationis anteoccupatio minùs mala sit, quàm viui fœtus interemptio; imo præ ista sit aliquod bonum, ea ratione, qua minus malum in comparatione ad maius, est aliquod bonum; tamen vt alia occasione

P 2 dictum

dictum est à Tertulliano l. de Monog. cap. 3. & in exhortat. ad castit. c. 3. & l. 1. ad vxorem c. item 3. *Quale hoc bonum est, oro te, quod mali comparatio commendat?*

Patrum in eandem conclamatio.

33. Absolutè autem & secundùm se rem spectando, abominabiliter facere quæ exceptum vtero semen meditatò eiiciunt, vt expleta libidine & exsaturata lasciuia inhibeatur fœtus animatio, & procreatio liberorum; eidémque abominationi subiacere qui fœminas ad id inducunt, vel iuuant, receptissimum est inter Christianos Doctores doctrinæ Patrum insistentes, quorum nonnullos iuuat adscribere. Tertullianus c. 9. Apolog. purgans Christianos ab impacto infanticidij scelere, & retorquens eam impietatem in Ethnicos sanguinis liberorum suorum adeò prodigos, subdit. *Nobis verò homicidio semel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est, prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, & qui est futurus, & fructus omnis iam in semine est.* Perspicuè agit de embryone nondum animato, vt rectè in paraphrasi expressit Zephyrus. Qui autem Tertullianum aliò detorquent, & de fœtu iam animato egisse volunt, acti in fraudem sunt, ex eo quod dicat, hanc esse homicidij festinationem, quæ verba mox commodè exponam, saluo hoc genuino sensu Tertulliani. Minutius quoque in Octauio n. 53. depellens calumniam illam infanticidij Christianis impactam. *Illum*

(inquit)

(Inquit) *iam velim conuenire, qui initiari nos dicit aut credit, de cæde infantis & sanguine. Putas posse fieri, vt tam molle, tam paruulum corpus, fata vulnerum capiat; vt quisquam illum rudem sanguinem, nouelli & vix dum hominis, cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere. Vos enim video, procreatos filios nunc feris & auibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant antequàm pariant. Et hæc vtique de Deorum vestrorum disciplina descendunt.* A Christianis autem omnia hæc abhorrere, & illis detestationi esse, contestatur.

34. S. Hieronymus epist. 22. describens maleficia sceleratarum mulierum, virginitatem exteriùs profitentium, sic habet præter cætera. *Piget dicere, quot quotidie Virgines ruant, quantas de suo gremio mater perdat Ecclesia, super quæ sydera inimicus superbus ponat thronum suum, quot petras excauet, & habitet coluber in foraminibus earum. Videas plerasque viduas antequàm nuptas, infelicem conscientiam mentita tantùm veste protegere: quas nisi tumor vteri & infantum prodiderit vagitus, sanctas & castas se esse gloriantur, & erecta ceruice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ verò sterilitatem præbibunt, & necdum sati hominis homicidium faciunt.*

S. Augustinus serm. 244. de tempor. *Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos aut iam natos occidat: quia quæcunque fecerit hoc, ante Christi tribunal sciat se illhic eorum causam quos occiderit esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes, mulieres debent accipere. Mulier autem quæ-*

cunque fecerit hoc, per quod iam non possit concipere; quantoscunque parere poterat, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat. Mulier autem ingenua, quæ mortiferas potationes accipit vt non concipiat, velim scire si hoc ancillas vel colonas suas facere velit. Et ideò sicut vnaquæque vult vt sibi mancipia nascantur, quæ illi seruiant, ita illa quantoscunque conceperit, aut ipsa nutriat, aut nutriendos aliis tradat, ne fortè illos aut concipere nolit, aut quod est grauius, occidere velit, qui boni Christiani poterant fieri generati. Pars huius loci expressa videtur ex Apologia Athenagoræ pro Christianis *ferè in fine.* Et quanquam non omnia maleficia quæ verbis prædictis damnat S. Augustinus, spectant ad rem præsentem, tamen consideranti dubium non erit, quin præter cæteras huius generis malignitates ea de qua agimus perstringatur ibi à D. Augustino. Eódem spectat potens disputatio eiusdem D. Augustini aduersus Manichæos l. de eorum moribus cap. 18. vbi eos coarguit, quod ita vellent vti vxoribus, vt tamen conceptionem fœtus quantum possent, auersarentur. *Ex quo* (inquit,) *illud sequitur, vt non liberorum procreandorum causa, sed satiandæ libidinis, haberi coniugem censeatis. Nuptiæ autem, vt ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa, marem fœminámque coniungunt. Quisquis ergo procreare liberos, quàm concumbere, grauius ducit esse peccatum, prohibet vtique nuptias; & non iam vxorem, sed meretricem fœminam facit, quæ donatis sibi certis rebus, viro ad explendam eius libidinem iungitur. Si enim vxor est, matrimonium est. Non autem matrimonium est, vbi datur opera, ne sit mater. Non igitur vxor.* Hæc tametsi ex D. Augustini mente

mente in ſpecialem illum Manichæorum errorem intorquebantur, quo procreationem ſobolis peccati damnabant; tamen proportione ſeruata æquè vrgent in re præſenti.

Quomodò ea anteoccupatio, dicta homicidij feſtinatio.

35. Ex his liquere puto de ſenſu Patrum circa atrocitatem huius culpæ; quæ non eſt quidem homicidium formaliter, quia fœtus nondum animatus, non eſt homo; eſt tamen *feſtinatio homicidij*, vt optimè dixit Tertullianus; quatenus ſicut embryo eſt homo in potentia, ita eius excluſio, eſt hominis interemptio in potentia, & quaſi occiſio anticipata, atque adeò feſtinata. Ridiculè verò aliqui inde colligunt, Tertullianum eam homicidij feſtinationem referre ad verum homicidium, quia lib. de anima cap. 9. 19. 22. 27. & 36. animam hominis per traducem ad ſingulos deriuari exiſtimauit. Demus ſanè ita eſſe. Nam & hoc non pauci Patres ac Doctores Tertulliano impegerunt, vt videre eſt apud Pamelium parad. 4. Inde tamen non ſequitur, Tertullianum cenſuiſſe, animam hominis qui concipitur, venire ad eum intra ſemen, actu & formaliter, ideóque ſeminis excluſionem, eſſe excuſſionem rei animatæ humana anima. Non inquam id ſequitur. Nam Tertullianus affirmans animas eſſe ex traduce, tantùm intendit venire animam ad fœtum, vi ſubſtantiæ ex patre deciſæ, & exoriri ex corpulentis ſeminibus. Qua ratione Tertullianum intellexit S. Auguſtinus epiſtol. 157. quæ eſt ad Optatum de animæ origine, vt vt aliter

ſignificet Hilar. Diacon (is enim autor) q. 23. ex vet. Teſt. Itaque anima, non eſt actu, in ſemine quod excernitur. Sicut anima bruti quamuis exoriatur ex corpulento ſemine parentis, non eſt tamen actu in ſemine, ſed potentia duntaxat: ac proinde excretio & excuſſio ſeminis, non eſt cædes hominis, niſi quaſi anticipata, & vt Tertullianus ſcitè aiebat, *feſtinata*, ideóque non eſt formaliter homicidium, vt S. Auguſtinus q. 80. in Exodum apertè tradit, & fuſiùs confirmat Ioan. Brunellus rep. in 1. decr. de homic. p 4. n 3.

Nec repugnat Concilium Guarmatienſe (an Wormatienſe) ex quo deſumptum eſt cap *ſi aliquis* de homicid. quo decernitur, vt homicidam teneri qui impediuerit generationem; vtique excuſſo ſemine ante animationem. Senſus enim illius Concilij, is eſt, quem tradit Ioannes Heſſelius lib. 3. Catechiſmi cap. 157. nóſque præallegatis Patribus dedimus; nimirum talem accedere ad homicidam, vel idipſum alia ratione facere quod homicida facit. Homicida quippe obſtat, ne vita hominis vlteriùs progrediatur; quod item facit, qui vitam ex naturalibus cauſis ſecuturam, impedit exoriri. Sed ille vitam formalem & actualem progreſſione prohibet, iſte potentialem, quod ad verum & propriè dictum homicidium non eſt ſatis. Vnde vt notant Suares t. 5. 3. p. d. 44. ſ. 2. num. 13. & Mol. tract. 3. diſp. 27. num. 6. ex communi (vt aiunt) Doctorum ſententia, non contrahitur irregularitas ob cauſam ſic impeditæ procreationis humanæ, etiam dolo datam. Et quanquam Sixtus V. ad hoc quoque maleficium extenſam volens irregularitatem, antiquam doctrinam in eo puncto conuulſit,

tamen

tamen Gregorius 14. constitutionem Sixti reduxit ad terminos iuris communis, quoad hoc punctum & alia quædam, vt notauit Scortia in select. Const. Theor. 388. addens cum innumeris quos refert in dubio an fœtus sit animatus, incurri irregularitatem, duntaxat quoad Ordinum susceptionem & administrationem. Nec incurri ante diem 40. à conceptione notat Bonac. q.4. de Matr. p.6. n.13.

Etiam pauperibus coniugibus, illicita.

36. Quamuis autem hæc culpa non sit culpa homicidij, est tamen atrox & admodum tetra culpa; nec potest eam præcludere paupertas coniugum. Esto enim coniuges ratione paupertatis, & impotentiæ ad alendos plures liberos, possint absque graui culpa desiderare, vt non plures liberi suscipiantur ex vsu coniugij, quàm ferant facultates, vt Sanches docet l. 9. de Matrim. disp. 8. n.10. qui etiam agnoscere videtur nullam prorsus labem esse in eo desiderio, quod expressè tradit Basil. Ponc. l. 10. de Matrim. cap. 8. num. 3. At ob paupertatem, impedire ne generatio ex vsu matrimonij oriatur, non potest graui culpa vacare: quia peruertitur vsus coniugij, & excluditur præcipuum bonum penes quod vt D. Augustinus ratiocinatur 14. Ciuit. cap. 16. petitur præsertim honestatio actus minùs alioqui decentis hominem, ob absorptam in eo rationem, & alia incommoda quæ aduehit. Ideóque *Coire non ad liberorum procreationem, est facere iniuriam naturæ*, ait Clemens 2. pædag. cap. 10. Agunt ergo concubinos, non coniuges, qui in solam voluptatem intenti, nec considerantes

P 5 quorsum

quorsum esca delectationis, conserta sit à natura huic actui, vt scilicet securior sit speciei perpetuatio & prolis susceptio, captant istiusmodi accessorium cum excidio principalis, impedientes prolis susceptionem: cum tamen vxor, non propter libidinem, sed propter liberorum procreationem suscipiatur, vt ait D. August. serm. 244. de temp. producens in hanc rem tabulas ipsas matrimoniales.

Quod si causantur paupertatem, & supra facultates auctam liberorum iam susceptorum multitudinem, in promptu est remedium; nempe abstinentia ab vsu coniugij, quam sibi ex mutuo consensu possunt indicere: sicut ex Apostoli oraculo, vt ad orationem sint expeditiores, & commodiùs absque impedimento Dominum adeant, possunt ex communi consensu continere. Imo secluso incontinentiæ periculo posse ob eam causam negari debitum, docet Sanches l. 9. d. 25. num. 3. & Hurtado disp. 10. de Matr. diffic. 12. n. 54. & Soto in 4. d. 32. art. 1. repugnantibus licet Syluestro & Nauarro quos sequitur Rebellus 2. p. l. 2. q. 16. s. 1. num. 5. Supposito autem quod continere nolint, & illecebra delectationis pelliciente veniant ad commixtionem; tenentur nihil præstare quod obstet sobolis procreationi, & exortui florum ex cultura horti coniugalis, (vt scitè dixit Clemens Alexandrinus l. 2. pædag. cap. 8.) confisi de Dei prouidentia, quæ concessam prolem humanam non abiiciet, cum pascat volatilia, & catulos leonum quærentes à Deo escam sibi. Contrarium verò præstare, & generationi excusso semine obstare, est graue peccatum, & scelus contra naturam.

In

In tuenda matris necessitate, vacat culpa.

37. Neque tamen id ita accipio, vt velim semper & vbique graue peccatum esse, impedire exortum sobolis excusso semine. Id quippe falsum esset, etiam inter coniuges. Quod addo, quia fœminam non vxorem, vi ab aliquo compressam, statim atque nequitiæ consummatio per vim interuenerit, posse niti ad seminis violenter iniecti depulsionem, sicut licitè si posset niteretur amouere comprimentem, quantumuis secutura seminis profusione extra vas, affirmat Sanches l. 2. de matr. d. 22. num. 17. Et ratio est, quia ea seminis tum primùm recepti, nec adhuc quasi pacificam possessionem nacti depulsio, habet rationem iustæ defensionis; éstque cadentis iniuriæ repulsa, quæ omnium consensione in aliis negotiis licita est; quidni ergo in hoc quoque? Non modò igitur fas aliquando est, inter non coniuges semen excutere, & exortum sobolis præcludere; sed etiam quod multo difficilius est, idem aliquando inter coniuges legitimè coniugio vsos, est concedendum, etiam postquam semen veluti pacificam vteri possessionem nactum fuerit, dummodò ante animationem. Nimirum si alioqui certa mors matri immineat; in quo euentu, communem doctrinam admittere, id esse vsurpandum, testatur Codronchus l. 1. de Christ. ac tuta medendi ratione c. 22. qui adducit in eam rem, è Scholasticis Ioannem de Neapoli: ex Medicis verò Hippocratem, Aëtium, & Auicennam, cum cæteris Arabibus scriptoribus, qui in eo euentu autores sunt,

ſunt, vt fœtus corrumpatur, vel ſemen exceptum eiiciatur.

Verùm hi Medici, parum appoſitè adducuntur in rem præſentem. Nam Hippocrates, vel potiùs alius quiſpiam autor libri de natura pueri, quem locum adducit Codronchus, non agebat de fœmina cuius vitæ retinendæ neceſſaria videretur ea ſeminis excretio, ſed de ſcorto conductitio, cuius dominæ incommodatura videbatur conceptio ancillæ, pauciores habituræ amatores, ſi grauida agnoſceretur. Certum autem eſt, nefarium planè fuiſſe, exceptum ſemen abigere ob illam cauſam; eámque longè diſcrepaſſe à cauſa ad quam trahitur, nempe cum ſemen depellitur ad tuendam matris ſalutem. Cæteri verò qui autores ſunt, vt matris vitæ conſeruandæ, aut genitura expellatur, aut fœtus corrumpatur, quoad hoc ſecundum Miſanthropi ſunt, & truculentiam ſuam produnt, longiſſimè abhorrentem à doctrina quam Codronchus teſtatur eſſe communem; quod ſcilicet fas ſit, ad tuendam vitam matris alioqui grauiter periclitantis, depellere ſemen ante animationem duntaxat.

38. Itaque alij autores pro ea communi doctrina proferendi ſunt, vt Henriques lib. 11. cap. 16. num.8. Sa V. *homicidium* initio, Layman lib.3. ſ.5. tract. 3. p. 3. cap.4. num.4. S. Antoninus, Ioannes de Neapoli, Sylueſter, Fumus, Nauarrus apud Azorium t.3. l.2. cap.3. q. 23. Sanches l. 9. de Matrim. diſp.20. num.9. alios pleroſque allegans, imo addens ſe nullum inueniſſe diſſentientem præter Petrum à Nauarra l.2. de reſtit cap.3.num.132. quem tamen reuera diſſentire, negat Malderus 2.2.tract.3. cap.1.dub.16. Vt vt ſit, Nauarra non facit numerum

cum

cum Vaſque idem docente Opuſc. de reſtit. cap. 2. §. 1. dub. 7. num. 28. & cap. 3. §. 2. num. 23. cum opus Petri à Nauarra, ex ea Gabrielis Vaſques Magiſtri ſui lucubratione compactum ſit, vt alij monuerunt. Subſcripſerunt poſtea eidem ſententiæ, negarúntque fas eſſe directè & ex intentione, etiam ad vitam matris tuendam, ſemen expellere, Baſilius Poncius l. 10. de Matrim. cap. 13. num. 2. & Ioannes Sanches d. 21. num. 33. Leſſius l. de Iuſt. cap. 9. num. 60. Sayrus in Claui l. 7. cap. 12. num. 20. Comitolus l. 3. reſp. q 13. à num. 3. Diana p. 3 tract. 5. reſolut. 11. Filliucius tract. 29. num. 101. Idem tradit Codronchus l. 1. de Chriſt. ac tuta medendi ratione cap. 22. & Moxius l. 2. de ſect. venæ in morbis acutis, cap. 14. ſibi contrarius cap. 16.

Sed (vt dixi,) contraria ſententia quæ verè eſt communis, in neceſſitate ſumma matris, repudiari non debet: quia tunc neque violatur iuſtitia, neque charitas; penes quæ duo capita duntaxat, vitium contrahere deberet eiectio fœtus inanimati, ſi reuera vitioſa eſſet. Et quidem non violari iuſtitiam, perſpicuum eſt ex iis quæ diſputata ſunt cap. 9. vbi monſtratum eſt, in tali matris neceſſitate, etiam fœtus animati abactionem, labe iniuſtitiæ vacaturam. Non violari autem charitatem, conſtat; quia nullum eſt ſpirituale bonum fœtus inanimati, quod fœmina vitæ ſuæ temporali debeat anteponere: quale eſſet adeptio baptiſmi, reſpectu fœtus animati ritu Chriſtiano initiandi, ſi mater ſibi non conſulat. Fœtus ſiquidem ante animationem non eſt capax baptiſmi, nec æterni exitij. Itaque eius abactio, etiamſi ex intentione & meditatò fiat, ex nullo capite mala eſt, cum vita matris pendet ex ea.

Quamuis

Quamuis enim verè scriptum sit à Scribonio Largo epist.ad Caium Iul. nefarium esse spem dubiam hominis lædi, (fœtum videlicet nondum donatum anima rationali;) tamen id intelligendum est, cum spes illa dubia hominis, si illæsa maneat, non erit causa exitij certæ personæ humanæ, puta matri. Nam in pari causa, præstat homini certo consulere, quàm spei dubiæ hominis. Extra necessitatem tamen tuendæ vitæ maternæ, nefarium esset spem illam dubiam hominis lædere, idque vnum ferunt iura ciuilia quæ Codronchus adducit, damnantia abortiones fœtus, etiamsi inanimati, necnon Constitutio Sixti V. contra procurantes aborsum, etiam fœtus inanimati.

39. Cætera ab eodem Codroncho adducta leuiora sunt, quàm vt refelli debeant. Quæ verò alij adhibent, eo reuoluuntur omnia, quod illicitum sit procurare fœtus inanimati aborsum propter sanitatem, cum id sit contra naturam generationis. Sicut pollutio non potest procurari, etiam ad tuendam sanitatem. Sed hæc est aperta petitio principij. Quamuis enim sit extra dubium, pollutionem non posse procurari, ad tuendam sanitatem, tamen alia ratio est fœtus inanimati, cuius abactio vrgente graui matris necessitate, non debet absque alia probatione supponi illicita. Idipsum enim est, de quo disputamus an sit illicitum. Nec ratio adæquata cur pollutio directè intenta ob sanitatem sit illicita, peti inde debet quòd sit contra naturam generationis. Nam si hæc duntaxat ratio vrgeret, & supponeretur excretionem seminis non corrupti esse medium ad vitam necessarium, non apparet cur ea excretio esset illicita, cum satius sit consulere personæ genitæ

quàm

quàm generandæ, vt videtur per se perspicuum. Sed præterquàm quòd suppositio illa falsa est, nec vnquā datur euentus in quo seminis proprij non corrupti excretio directè quæsita, sit ad tuendam vitam necessaria; (sicut dari potest euentus, in quo nisi fœtus inanimati abortio fiat, actum erit de vita prægnantis:) alia insuper est ratio, cur pollutio esset illicita, etiamsi ea falsa suppositio admitteretur. Proposui illam rationem lib. 6. de virtut. n. 153. iuncto num. 150. Nunc ne per eas fæces extra locum, voluere calamum cogar, tempero pluribus. Itaque ratum esto, in extrema necessitate matris, vel etiam in graui, si nimirum iudicio proborum Medicorum, aut certum, aut valdè probabile mortis discrimen aditura sit à fœtu inanimato, fas esse illum procurato aborsu eiicere, vt mater eximatur exitio, aut graui periculo. Et ita inter Medicos Mercurialis l. 1. de morb. mul. c. 2. *ad finem*, ex Theologis verò benè multi suprà adducti.

Non tamen si tutanda sit mater, contra extrinsecum periculum.

40. Sunt qui multo licentiùs statuant quàm nos, nec tantùm existiment licitum esse aborsum fœtus nondum animati, cum vita matris periclitatur ab intrinseco, ob augendas morbi vires, si fœtus animetur; sed etiam sentiant idem licere cum vita fœminæ periclitatur ab extrinseco: nimirum quia si detegatur concepisse, morte mulctabitur à cognatis; vel à marito si sit coniugata; aut à Iudice quia adulterium admisisse deprehendetur. Et quia grauis infamia, mortis periculo æquiparatur iuxta Glossam
ad

ad l. 9. ff. de manumissis vind. imo iuxta Paulum Iurisconsultum l. 8. §. fin. ff. *quod metus causa*, metus grauis infamiæ, honestæ personæ maior est metu mortis; idem consequenter statuunt Doctores illi de fœmina bonæ famæ, etiamsi non excelsæ conditionis aut nobili, quæ ex occulto flagitio facta sit grauida, vitiato corpore, sed integra adhuc fama, cui mox immedicabilis plaga inferenda sit, detecto per vteri tumorem scelere admisso.

41. Mihi hæc extensio doctrinæ propositæ, displicet, eámque etiam reiecerunt Azor t. 3. l. 2. c. 4. q. 2. Sanches l. 9. d. 20. num. 10. Filliucius tract. 29. num. 103. & disertè ac optimè Archidiaconus in cap. *baptizandis* 1. q. 1. num. 1. & 2. Nemo sanè non videt, quàm latè patens ostium spurcitiis aperiat extensio prædicta: cum constet plerasque his inquinationibus abstinere, tantùm ne superueniente conceptione prodantur: quod peccati frænum amoueretur, si fas esset ad indemnitatem flagitij semen iam receptum expellere. Quid quod aduersarij consequenter admittunt, fas esse adultero vel proco, si graue sibi famæ aut vitæ incommodum ex mulieris aut puellæ fœdatione impendere videat, post factam effractionem claustri, retrahere se se, & semen extra vas effundere; non ad peccati nondum prorsus consummati discontinuationem, (ex quo fine an liceat retractio illa & effusio, discutit Sanches l. 9. d. 19. num. 7.) sed præcisè ad euitationem damnorum prædictorum? At hoc adeò durum est, vt mirum sit ab vllo quantumuis valentissimo stomacho, potuisse concoqui. Apertè enim paratur aditus, omnibus flagitiis extra coniugium licenter patrandis; nec leuium aut paucarum sordium in ipsum

ipsum coniugium & thorum immaculatum inductioni, via aperitur per illud (vt mihi quidem videtur) doctrinæ virus, & merum spurciloquium. Coniuges enim causati se per nouæ prolis susceptionem ad infamem mendicitatem deiiciendos, degenerabunt in concubinos, & famæ suæ ac honori familiæ post exsaturatam libidinem consulent, seminatione extra vas, quam hæc sententia ex eo fine statuit licitam: ac proinde per eam doctrinam, planè euertitur finis coniugij. Neque verò coniuges tenebuntur abstinere coniugali commercio, ob præuisam necessitatem illam moralem effundendi semen extra vas. Cur enim, si ea effusio est illis innoxia ex fine prædicto? Itaque ea doctrina apertè ansam præbet transformandi coniugium in libidinationem. Qui verò coniuges non sunt, tametsi commercium & applicationem corporum, illicitam sibi esse non ignorent; tamen si persuadeantur veram esse doctrinam de licito extremo exitu spurcitiarum illarum ob finem indemnitatis propriæ, siue in honore & fama, siue in vita; facilè despuent culpam commercij, fiéntque in omnem turpitudinem proiecti. Quare apage tam virulentam & exitialem opinationem, prostibulo quàm scholæ congruentiorem.

Quod igitur dicebam, licere fœtus nondum animati aborsum facere, si mater de vita periclitetur, non facto aborsu, restringendum est (vt feci,) ad vitæ periculum ab intrinseco: hoc est à morbo fœminæ exitiali grauiditatem progredientem, certò aut probabilissimè consecuturo, de Medicorum sententia. Sic enim seruantur iura matris ad vitam propriam tuendam, nec violata charitate proli

debita, quæ animata non est; nec inuectis probris illis & turpitudinibus de quibus proximè. Itaque non est cur ea cura vitæ mulieris, absque culpa in eum statum deductæ, dimittatur. Et quia valdè extrinsecum est, vt hoc periculum impendeat fœminæ ex grauiditate, non dubito quin idem dicendum sit de fœmina per culpam suam deducta in hunc statum, si postea vita eius periclitetur ex morbo grauiditati progredienti adiungẽdo de Medicorum sententia. Militant enim proportionales rationes circa quamcunque mulierem, si res præcisè spectetur ex hoc capite, quod non potuit præuideri, & pellicere ad flagitium extra coniugium.

Nec si periculum sit à partus difficultate.

42. *Morbi* porrò nomine, intelligo quod ea vox in communi vsu sonat. Nam ob periculum vitæ quod mulier experta alias esset in partu naturali, non admitto fas illi esse anteoccupare fœtus animationem, séque eo exonerare, cum ob alia quæ Sanches affert l.9. d. 20. num. 10. tum nominatim quia summæ illæ difficultates partus naturalis, remedio sectionis Cæsareæ tolli possunt. Itaque de Galeni etiam consilio, vt testatur Eros de passion. mulier. cap. 11. quæ tales sunt, abstinere debent vsu coniugij. Non licere item ob idem periculum præinducere sterilitatem, ibid. insinuat Sanches, & disertè negat Torres t.2. in 2. 2. disp. 26. dub.2. num.47. Tabienna V. *Vxor*, num.4. Toletus l.5.c.6. num. 3. & ibi Victorellus adducens multos. Idque persuasissimum habeo ex arctissima obligatione quibusuis coniugibus iniecta non impediendi conceptionem,

ceptionem, ne euertatur primarius finis coniugij. Itaque valeant Medici illi, cum quibus eam sterilitatis præinductionem in illo euentu licitam esse, sentit Moxius l. 2. de venæ sect. in morbis acut. cap. 16. & Mercurialis l. 1. de morbis mulier. c. 2. *sub finem*, ac Ioannes Hucherus libro 3. de sterilitate §. *de conceptu* prohibendo. Quibus illud occinendum est ex Clemente Alexandrino 2. pædag. c. 10. *Matrimonium est filiorum procreationis appetitio, non nullo ac incerto ordine seminis excretio, quæ est præter leges, & à ratione aliena.* Et superiùs ex Platone. *Ne semina, vbi non vis nasci tibi, quod seminatum est.* Nec licet excusare quod Matrimonium non modò sit in officium & sobolis procreationem, sed etiam in remedium & sedationem concupiscentiæ, qui posterior finis obtineri poterit etiamsi prior excludatur inducta sterilitate ob apertum vitæ discrimen in partu. Non licet inquam ea ratione excusare inductionem sterilitatis. Nam tametsi verum est Matrimonium esse quoque remedium concupiscentiæ, ideóque verior sententia quæ est Ægidij Coninck disp. 25. de sacram. num. 17. & Basilij Poncij l. 1. de Matrim. cap. 21. ac Hurtadij disp. 4. de Matrim. diffic. 3. nullum agnoscat peccatum in matrimonij celebratione ex eo fine sedandæ intra legitimũ thorum concupiscentiæ ac vitandæ fornicationis; Tamen hic finis cum non sit nisi secundarius, non potest excludere finem primarium ad quem cõiugium ordinatur, nempe prolis susceptionem, cum quo maximè intimo coniugij fine, planè pugnat sterilitatis inductio, quæ proinde ne ob imminens quidem matri ex partu vitæ periculum licita esse potest. Vnde S. Augustinus vniuersaliter & absque

vlla restrictione, grauis culpæ damnat, meditatò factam causationem sterilitatis, vt videre est sermon.244. de temp. Et lib 1. de nupt. cap.15. vult id pertinere ad crudelem libidinem, vel libidinosam crudelitatem ob præclusam prolis exorituræ conceptionem. Latè item in hoc factum Codronchus l. 1. de Christ. med. rat. cap. 25. Igitur licita fœtus nondum animati abactio, arctanda est ad morale periculum matris vitæ imminens ex morbo improuiso quo mater progrediente grauiditate sit letho danda.

Noua difficultas, pro effluxu licito in periculo honoris.

43. Sed hinc recrudescit difficultas mota superiùs pro licita causatione effluxus & abactionis fœtus inanimati in periculo honoris. Et quia hæc difficultas, est vnicum aduersariorum fundamentum, placet eam proferre atque disijcere. Aiunt ergo aduersarij, quandoquidem fas est matris vitam tueri excretione conceptus nondum animati, etiamsi cum scelere facta sit conceptio; fas quoque esse tueri eadem ratione famam & honorem matris, quæ sunt bona longè pretiosissima, & supra vitam ipsam expetibilia; præsertim personæ nobili, nec plebeiæ abiectæ've conditionis. Hoc fundamentum quo solo nituntur aduersarij, facilè euerti potest, negando consequentiam. Non enim quicquid licitè ad vitæ tuitionem assumi potest, similiter potest assumi ad incolumitatem famæ & honoris: hæc quippè bona, de omnium sententia per se loquendo, possunt licitè prodigi, vt vita sit indemnis. E contrario

E contrario autem, ad tuendum honorem ac famam, non licet vitam prodigere: proindéque vita est bonum longè pretiosius quàm honor, aut fama, vt latè tradit Nauarrus ad cap. *inter verba* concl. 4. à num.20. adducens Sotum relect.de secreto membro 1. q. 3. Idémque habet Victoria relect. de homicid. ad 14. num. 36. Et melius est quidem nomen bonum quàm diuitiæ multæ, iacet tamen infra vitam. Qui verò statuerunt, infamiam & inhonorationem grauem, esse morte peiorem; vel moriendum esse pro honore; eos Nauarrus, aut Ethnicos fuisse, & turpiter impegisse contendit; aut si non errarunt, locutos esse de fama & honore fundamentali & radicali; hoc est de actionibus virtutis & declinatione peccatorum, pro quibus finibus, cum res fert, vita ipsa honestè exponitur: quod vnum ferunt, quæ latè in hanc rem disputat Illefonsus Messia l.2. de vera & falsa gloria c.13.& 17. quamuis nudo honori,& famæ formaliter sumptæ, vitam posthabere non liceat. Ex hac doctrina perspicuum est, cassam prorsus & inanem esse illam aduersariorum consecutionem; Ad tuendam vitam matris, licet excutere conceptum nondum animatum; Ergo fas est idem præstare ad tuendam eiusdem matris famam bonam, & honorem: ac etiam ne proles, si nimis multa suscipiatur, deueniat in statum indecorum & inglorium, qui in parentum probrum redundet, eorúmque gloriæ & luminibus officiat.

44. Nec suffragantur reuera aduersariis, Doctores; cum passim tradunt, virum nobilem ab aliquo inuasum, non teneri cum honoris & bellicæ famæ dispendio fugere, sed posse perstare & inuasorem

 confodere,

confodere, quod quamuis negarit Carbo l. de pacific. inimic. cap.22. conclus. 5. adducens Philosophum & alios quosdam in suam sententiam, meritò tamen admittitur à communissima sententia; Baldi repetit. ad l. 1. C. *Vnde vi*. Nauarri in Manu. c. 15. num. 4. adducentis Panormitanum. Et idem habent Anton. Fernandus p. 1. Exami. c. 9. §. 1. num. 14. Valent. 2. 2. d. 5. q. 8. p. 4. Turrianus t. 2. in 2. 2. disp. 27. dub. 3. Petrus à Nauarra l. 2. de restit. c. 3. p. 3. dub. 5. & benè multi quos refert & sequitur Sayrus in Claui Regia lib. 7. cap. 10. num. 27. Hi inquam Doctores non suffragantur aduersariis, contendentibus vitam licitè postponi nudo honori ac famæ. Nec enim asserunt, nobilem inuasum, licitè posthabere honori suo aut famæ, vitam suam: sed tantùm spectant quid licitum sit viro nobili circa vitam inuasoris, & in quo secernatur à Clericò vel Religioso; qui saltem ex charitate, vel vt alij volunt, etiam ex Iustitia, teneretur non occidere inuasorem; ac proinde deberet fugere ne in necessitatem obtruncandi inuasoris coniiceretur, si saluam vellet vitam suam. At vir nobilis, vel homo militaris, non teneretur fugere, sed posset permanere, & inuasorem confodere, ne honore suo excideret, qui in illis circunstantiis, ex permanentia, & fugæ neglectu pendet. Oporteret tamen, etiam nobili aut militari viro perstare volenti, certam moraliter esse vitæ suæ indemnitatem: alioqui malè faceret perstando; & bonum pretiosius ac dignius, nempe vitam, ad tutelam boni despicatioris, famæ inquam, & honoris, referendo. Cúmque eadem temperatione accipiendum est, ob proportionalem rationem; quod plerique DD. tradunt, fas esse ad

defensionem

defensionem fortunarum notabilium, etiamsi non planè necessariarum ad vitam transigendam, confligere cum fure, & illum perimere.

45. Alia ratio disiiciendi vnicum illud fundamentum quo aduersarios niti dicebam, peti potest ex receptissima doctrina circa duellum. Quamuis enim duellantium rabies, vix aliud obtendat quàm honoris indemnitatem; constétque qui prouocati duellum detrectant, sordere, & nullius pretij haberi apud plebem,& addictam seculi institutis nobilitatem: Tamen communiter DD. demptis perpaucis obscuris quos refero lib.5. de Virtut. n.202. negant fas esse, prætextu tuendi honoris aut famæ, duellare priuata autoritate:siue quia nõ est vera inhonoratio & infamatio, quæ duelli oblati repudiationem cõsequetur apud improbos,& corrupto iudicio homines; siue quia aliæ suppetunt viæ tuendi honorem ac famam, etiam apud profanum vulgus, quàm per duelli admissionem, vt plenè prosequor loco annotato à n.203. Súntque qui addant,tam frequens & vrgens sacræ & politicæ potestatis interdictum, vetans duella ob ingentium malorum examina corporibus & animabus inde obuenientia, eripere prouocato potestatem tuendi eo modo honorem suum, qua ex natura rei, & per se loquendo, potiretur.

46. Sed certè si has ob causas, argumentum ex licita honoris & bonæ famæ defensione, non purgat duellum priuatum; liquere videtur, quod neque argumentum aduersariorum, ex licita cuiuis honoris sui ac famæ tuitione, excretionem fœtus nondum animati de qua agimus, honestabit. Nam quod attinet ad prolis è legitimo matrimonio supra

facultates concipiendæ egestatem, & parentum ex eius tanta multiplicatione ingloriam vitam; non est ea sanè vera inhonoratio aut infamia, si ad æquam trutinam expendatur. Nec deerunt aliæ viæ prospiciendi numerosæ soboli, ac citra probrum educandæ, vt quotidiana experientia docet. Quod verò attinet ad conceptum extra coniugium, existet quidem inde vera inhonoratio & infamia, sed iusta; ac proinde ad eam declinandam non licet vsurpare medium ex natura rei abominandum, & cum tot incommodis coniunctum. Deinde possunt suppetere alia media, quibus infamia & inhonoratio auertatur: quod aliquas ex scelere grauidas præstitisse non raró, constat; siue simulato ad partum vsque morbo, siue captata per varios prætextus secessione in locum abditum aut remotum; aliisve technis ac fucelis quæ sexui vaferrimo, & in rem suam artificiosissimo, nunquam defuerunt. Et potest etiam huc aduocari frequens ac vrgens sacræ & politicæ potestatis interdictum, ob innumera mala in genus nostrum redundatura, si locus esset huic viæ famam & honorem conseruandi post scelus. Quem enim latet, quantis & quàm repetitis principalium rescriptorum & sacrarum censurarum securibus, hæc malignitas appetita sit atque recisa? Igitur etiamsi per se loquendo, & ex natura rei, fas esset honorem & famam tueri excernendo conceptum nondum animatum, tamen posita malorum eluuione inde consecutura, & tot legitimæ potestatis iussis ea excretione interdicentibus, illicita esset eius vsurpatio.

Alia verò est ratio vitæ, quæ est bonum fundamentarium, & eius clades extremum malorum quæ alicui

alicui possunt obtingere intra naturæ ordinem. Vnde fas erit, curato effluxu consulere vitæ matris, si à prole animanda, indeclinabiliter periclitetur; siue mater ex vsu coniugij, siue ex scelere sit prægnans. Cēsebitur autem graue exitij periculum vitæ matris imminere, si post grauidationem inuadatur graui morbo, qui non adhibita fœtus adhuc inanimati excretione, mortem inferet. Vel si, quia conceptio fuit ex scelere, mater sceleris comperta, per vim extrinsecam letho danda, iniustè licet, sed tamen ex vsu furentium ob eam nequitiam hominum, prænoscatur. Tunc enim mater, absque nouo scelere, per fœtus nondum animati abactionem, non honori suo ac famæ, sed vitæ prospicere poterit.

Quando fœtus animetur, ad diiudicationem liciti effluxus ad salutem matris.

47. Superest ad plenam doctrinæ propositæ absolutionem, vt pronunciemus de tempore quo fœtus censendus est animari, vel quo dubium esse potest ne sit animatus. Nam vltroneam abortionem fœtus animati, diximus esse auersandam cum omni detestatione. Abortionem verò voluntariam fœtus inanimati, siue causationem effluxus, admisimus posse culpa vacare, cùm ad eam cogit tuitio vitæ matris alioqui exscindendæ per morbum. Vt ergo liqueat quando conceptus licitè vel illicitè abigi possit, statuendum est, quando fœtus animatio certa sit, aut etiam dubia. Nam in dubio quoque cauendum erit causatione abortionis, quia tametsi ius matris ad vitam suam tuendam certum est, ius

autem prolis quam conceptam & anima præditam esse non constat, nequeat esse certum, ideóque ius certum, iuri incerto anteponendum videri possit. Tamen ius dubium cum periculo damni æterni in bonis spiritualibus ipsáque animæ vita obuenturi si fœtus reipsa esset animatus; meritò præponderare debet iuri explorato & liquido ad solam temporalem vitam matris. Et incurrendam esse in dubio illo irregularitatem ab eo qui ad causandam abortionem cooperaretur, affirmat Molina tract. 3. de Iust. disp. 27. num. 4. in quam rem alios suprà adduximus, & quomodo sit accipienda ea irregularitas adhibitis nonnullis limitationibus patefecimus, hoc ipso capite num. 35. Itaque ad rem præsentem vix magis solliciti esse debemus de certo animationis tempore statuendo, quàm de eo in quo meritò dubitari possit an proles sit animata.

Distinctio inutilis.

48. Neque verò distinguendum est de animatione per animam intellectiuam, & de animatione per animam sensitiuam tantùm aut vegetantem tantùm; quasi plures successiuæ fuerint animæ in materia hominis, & quæ præimmissa est imperfectior disposuerit ad subsequentem perfectiorem, quod sentiunt aliqui vnius ferè Aristotelis autoritate nixi qui 2. de gener. anim. cap. 3. asserit non simul generari hominem & animal: sed priùs gigni viuens vita plantæ, tum animalis, tandémque hominis; quod accipiunt de vita in actu primo, siue de anima: ideóque statuunt priùs immitti embryoni animam vegetantem tantùm, tum aliam

merè

metè sensitiuam, ac denique rationalem. Ita Gregorius in 2. d. 16. q. 2. artic. 1. conclus. 2. ad 6. addens, idem sensisse *multos & magnos*. Et reuera vt cæteros veteres taceam, ita sensit S. Thomas 1. p. q. 76. artic. 3. ad 3. & q. 108. art. 2. ad 2. Ex recentioribus idem tradit Codronchus l. 1. de Christ. & tuta medendi ratione cap. 22. Scaliger exercit. 290. num. 2. (quanquam negat id valere extra hominem, quod ad rem præsentem, satis est:) Toletus 2. animæ q. 7. Fonseca 7. Metaph. cap. 12. q. 1. s. 3. ad 1. Dandinus 2. animæ digress. 8. parte 3. Valentia 1. p. d. 6. q. 2. p. 3. conclus. 1. ad 2. Conimbr. 2. animæ cap. 1. q. 4. artic. 2. Rubius tract. de animarum plural. q. 3. à num. 253. aliíque benè multi.

Non est inquam sic distinguendum, de animatione: quia iuxta veram philosophiam, anima sensitiua non præcessit rationalem in eadem materia; nec vegetatiua antecessit sensitiuam, sed vnica simplex entitas animæ rationalis omnes illos gradus in se complectens, materiam inanimam subiens; primùm vegetationes, quia minoris sunt operæ & parcioribus ac vilioribus dispositionibus sunt contentæ; tum sensationes; ac denique functiones rationales exercet, vt rectè exponit Gregor. Nyssenus l. de hom. opificio cap. 29. ac ex recentioribus Carpent. digress. 9. in Alc. & Hurtado disp. 2. de generat. sect. 8. Refértque Viguerius cap. 1. instit. §. 2. vers. 1. contrariam sententiam ab Oxoniensi Academia & Archiepiscopo Cantuariensi fuisse damnatam. Itaque indistinctè statuendum est, quod sit tempus certæ vel dubiæ animationis embryonis, vt diiudicare possimus, quando ob corpoream matris salutem fas sit, nondum animatum fœtū abigere.

Resolutio.

Resolutio.

49. Ad hoc quæsitum indistinctè respondet Ludouicus Bonaciolus in Enneade mul.cap.3. num.1. diebus vt plurimùm 45. fœtum siue virilem siue fœmineum animari. Verùm receptissima est sententia Glossæ Clem. 1. de summa Trinit. & fide Cathol. quod fœtus humanus animetur quadragesimo die à conceptione si sit mas; & octogesimo si sit fœmina. Quam causam esse volunt, cur olim in antiqua lege mulier quæ masculum peperisset, aditu templi arceretur per quadraginta dies à partu: quæ verò fœminam peperisset, non nisi post octogesimum à partu diem, admitteretur in templum Dei. Subscribunt ei sententiæ Doctores plerique, vt referunt & sequuntur Nauarr.in summa cap.15.n.14. Couarr. Clement. si furiosus, parte 2. §. 3. num. 1. Sa V. *homicidium* num. 2. Carrer. in pract. de homicid. §.1. num.24. Rebellus 2.p. lib.3. q.19.n.16. Henriq. l.14. cap.15.num. 6. Mol.tract.3. disp.27. num. 1. Scortia in Const. Pont. Theor. 376. Naldus V. *aborsus* n.2. dicens, omnes ita tradere.

Hoc ille ad veritatem non dixit, cum multi aliter senserint. Constat sanè Aristotelem l. 7. histor. animal. cap.3. asseruisse fœtum fœmineum animari circa nonagesimum diem. Plerisque Medicis aliud in hac parte visum est, quàm Aristoteli, ac Doctoribus ante allegatis. Hippocrates l. de natura pueri, semel ac iterum repetit, masculum intra triginta saltem dies formari & animari, fœminam verò ad summum intra quadraginta duos dies; eóque refert, quod purgatio post masculi partum, per dies triginta duret; post partum verò fœminæ, diebus duobus

duobus supra quadraginta, vt diutissimè protelectur. Itaque infideliter eum Hippocratis locum adduxit Leuinus Lemnius adductus à Lessio l. de Iust. cap. 9. num. 65. cum dixit, maris formationem & animationem, iuxta Hippocratem eo loco, perfici aliquando die trigesima, aliquando die trigesima quinta, interdū die quadragesima, aliquando etiam quadragesima quinta: At formationem & animationem fœminæ accidere die trigesima quinta, aut quadragesima, vel quadragesima quinta, nonnunquam etiam quinquagesima. Verùm sententia autoris libri prædicti Hippocrati adscripti, ea est quam retuli. Eámque vt veram, admittunt Lessius l. de Iust. cap. 9. num. 65. ac Filliuc. tract. 29. num. 99. & tanquam Hippocraticam approbat Laurent. l. 8. anatom. q. 19. & Moxius lib. 2. de sect. venæ in morbis acutis c. 14. & passim Medici.

50. Itaque tametsi hæc sententia non esset planè certa, quia tamen est saltem probabilis, atque adeò dubium saltem est ne fœtus animetur intra terminum qui in illa præfigitur; illicitum erit, fœtus concepti abortionem, etiam ad matris vitam tuendam causare, ex quo ad eum terminum deuentum fuerit. Nam in dubio an fœtus sit animatus, quamuis forum externum præsumat pro inanimatione, vt ait Nauarr. consil. 46. de homic. tamen in foro conscientiæ, censendum est fuisse animatum, vt benè monet Malderus 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 16. Sicut etiam in dubio an fœtus exclusus vel corruptus sit mas an fœmina, credendum potius esse marem quàm fœminam, atque adeò fuisse animatum die quadragesima, statuit Sa, V. *homicidium* n. 2. & Henriq. lib. 14. cap. 15. num. 6. quod in foro duntaxat

taxat conſcientiæ admittendum eſt, quia in eo foro attenditur affectus operantis, qui in illis circunſtantiis, cum cæco impetu egerit, cenſetur tetendiſſe in marem, cuius minus tarda eſt animatio.

CAPVT XI.

Corollarium ſecũdum. Obligationes aliæ prægnantium, ad abſtinendum certis quibuſdam actionibus, aliáſve nonnullas proli conceptæ neceſſarias præſtandas, ex antedictis inferuntur.

1. EX dictis capite nono, collegimus ſuperiori capite, quanta ſit illarum prægnantium nequitia, quæ aut fœtui iam animato vitam eripiunt volentes, aut obſtant ne concepto fœtui vita & animatio obtingat. Nunc colligendum indidem reſtat, quanta obligatione prægnantes ad certas quaſdam actiones bono prolis neceſſarias, ſiue dimittendas ſiue obeundas aſtringantur.

Quanta fouendi conceptus cura, adhibenda prægnanti.

Hac in re ſtatuendum generaliter eſt, prægnantem omnes illas actiones teneri præſtare aut omittere, quas conceptæ prolis conſeruatio atque promotio,

motio, præstari aut omitti deposcit. Vt enim ex capite nono constat; prægnans, si fœtus sit animatus, tenetur ex iustitia & ex charitate, eum illæsum conseruare ac fouere, vt ad lucis huius vsuram, & per eam ad baptismi lauacrum, & ius æternæ vitæ perueniat. Nam mater, non minus est mater fœtus animati adhuc vtero conclusi, quàm eiusdem iam emissi in hanc lucem. Sicut ergo ad immanitatem non barbaris modò quibusuis, sed etiam feris auersandam, spectaret abiectio prolis iam editæ, eiúsque vel neglectus prætermissis actionibus ad illam fouendam curandámque necessariis, vel læsio per actus positiuos debito proli studio aduersantes: sic ad non minorem truculentiam spectaret, fœtum etiamnum maternis visceribus abditum, meditatò non curare, ac fouere; vel etiam positiuis aliquibus actionibus lædere. Si verò fœtus nondum sit animatus, quamuis nulla erga eum vel iustitiæ vel charitatis obligatio vrgeat prægnantem, ad curas vel cautelas fœtui ad vitam promouendo necessarias, (neque enim fœtus inanimus, capax est iuris, atque adeò etiam iniuriæ, vel beneuolentiæ, aut oppositi affectus:) tamen iniicitur aliunde prægnanti grauis obligatio, curam illam & cautelas adhibendi.

2. Ac primùm constat violanda esse per eam nequitiam iura coniugij, peruertendámque eius institutionem, quæ eò tota collimat, vt proles suscipiatur, & suscepta foueatur, veniátque in hanc lucem mundanam. Deinde sicut alteruter coniugum, alio non conscio obstans generationi & conceptioni fœtus, violat ius comparis; ita æquè illud violare censebitur, si fœtum conceptum etiamsi nondum

animatum

animatum debita cura fraudet, vel positiuè malè afficiat: quia eiusdem nequitiæ esse videtur, prolis conceptioni officere, & ea præstare vel omittere, quæ præstanda vel omittenda non fuissent, vt finis conceptionis obtineretur: id est vt proles concepta perficeretur, & ad animationem progredi posset. Iungitur etiam interdum ei iuri coniugum ad fœtus conseruationem & promotionem, ius aliorum quibus damnum obtinget ex non suscepta & in lucem edita per tales coniuges prole, vt attigit Molina tract. 3. de Iust. disp. 27. num. 1. ob præcisas vel interuersas successiones. Itaque indubitatum esto, teneri prægnantem omnia illa præstare vel omittere iure naturæ, quæ ad fœtus siue animati siue inanimati, iam tamen concepti debitam curam, præstanda vel omittenda videbuntur.

3. Eóque attentiùs in eam curam inuigilandum ei erit, quo tenerior est, & fluxior, longéque faciliùs temerabilis conditio fœtus in vtero, siue ante, siue post animationem. Quo pertinet insignis disputatio S. Nili orat. 2. de Paschate apud Photium Cod. 276. qui præcipuè quidem agit de fœtu cum concipitur, extendit tamen etiam orationem ad fœtum iam animatum, quousque plenè consummetur eius effectio. Probat igitur mirum videri non debere, si Deus hominem mortuum sit excitaturus & refecturus è modico puluere per resurrectionem, cum talis sit diuina ars in fingendo, vt etiam fluxam & veluti aqueam naturam in simulachra efformet intra vterum, quod multo operosius est. *Ibi* (inquit) *è puluere mortuus formatur; & figulus vas è terra format, nostris artibus similia repræsentans; hîc verò nuda quædam gutta fictoriũ est lutum,* &

& è gutta fit animal ratione præditum. O ars ex aqua ſimulachra formans ! Et non hoc ſolùm mirum eſt, aquam ſculpi in animarum ſimulachrum , ſed intùs formari fluctuans ſemen. Sanguis enim vndique bulliens , ſemen huc atque illhuc nutans & ægrè ſtabile, facit & illis decumanis agitatum fluctibus : animata tamen ſtatua perficitur. O pictorem in fluctuanti linteo ſecurè pingentem : ſanguis enim tanquam linteum ſubiacet formato fœtui. Hoc Salomon etiam cum ſtupore admirans ; In ventre *(inquit,)* matris, figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine. *Fœmina enim tanquam pictoris officina propoſita eſt , colorum verò materiam vir addit. Eſt verò quis pictor in vtero , ex vno colore è multis compoſitam pingens imaginem. Sed quomodo è fæculento ſemine oculis addidit eleganter pupillam ? quomodò è ſubſtantia fluxa, oſſa condidit ? quomodo ex ſoluto ſemine neruos compegit ? quomodò ſanguinis canales, venas deſculpſit ? quomodò cerebri in capite cuſtodiam oſſibus aptauit ? quomodò fœtus in obſcura depictus officina; aptum membrorum ſitum accepit, ſed tanquam radio vterum illuſtrante, cuique parti proprium membrorum locum pictor diſtribuit ? Amictus enim lumine ſicut veſtimento , eſt occultus fœtuum pictor , quem Dauid celebrat dicendo,* non abſcondiſti os meum à te , quod feciſti in occulto. *Hanc è gutta cogitans fictilem artem , reſpectu figmenti è terra non ambigo. Quoties enim video artificem ex aqua condentem ſtatuam, melius illum ſtatuas è terra credo facere. Quemadmodum enim ſi quis in aqua pingit literas & lineas ducit ; idem meliùs in cera eas efformabit ; ſic fluxo ſemine fingens & ſculpens membra , faciliùs in terra membrorum figuras pinget atque formabit.*

Hæc S. Nili ratiocinatio pro fœtus quamdiu formatur & per decem menſes perficitur, fluxiſſima conditione, monſtrat ſummam eius per totum illud tempus teneritudinem, & quanta attentione & cautela curandus & fouendus ſit, ob ſummam fragilitatem, iniuriæ ac ruinæ patentem nullo negotio. Diffunditur in ea fœtus & picturæ comparatione, Leſſius l. de prouid. à num. 82. ſed aliò ſpectans, quàm quò nos nunc ſpectamus: ad quod noſtrum inſtitutum, ſatis ſupérque ſunt quæ ex S. Nilo protulimus. His ita generatim præmiſſis, ſubiicienda ſunt ſigillatim nonnulla, de quibuſdam actionibus, aut quaſi actionibus prægnanti præſtandis vel dimittendis, provt fœtus neceſſitas tulerit.

Quatenus prægnantes, exoluantur lege ieiunij Eccleſiaſtici.

4. Inter ea quæ præſtanda ſunt, eminet cibatio. Fœtus enim interuentu maternæ nutritionis, & perducitur ad congruentem animæ excipiendæ quantitatem, & iam animatus promouetur ad conſentaneam ſibi magnitudinem, cui conſequendæ retinetur in vtero. Itaque mater non ſibi tantùm, ſed etiam fœtui vſurpat alimenta. Et hæc eſt cauſa cur Doctores paſſim, exoluant prægnantem lege ieiunij. Autores quatuor ſupra triginta allegat in eam ſententiam Ioannes Sanches diſp. 54. ſelecta num. 12. & multos item ſignat Diana 1. p. tract. 9. reſolut. 14. ſed ſuperfluum puto, probare in ea re diligentiam; cum ſufficiat dicere, omnes ad vnum autores conſentire hac in parte; cũ conſtat, vnicam

, refectionem

refectionem quæ ieiunij lege indicitur, non posse satis esse prægnantibus ad suam & fœtus concepti sustentationem; ita vt per ieiunium debilitatæ timorem meritò faciant incommodationis fœtus. Quod si de hoc non constet, adhuc eximendæ sunt obligatione legis ieiunij, quia in eo dubio sequenda est pars quæ sola est tuta & innocentis damnum refugit. Et ita rectè cum Caietano Fagundes in quartum Eccles. præcept. cap.8. num.14. Si tamen constaret, aliquam prægnantem adeò validæ & robustæ esse naturæ, vt absque vllo fœtus incommodo posset vnica refectione adhibita diem exigere: non apparet, vnde exolueretur ieiunij obligatione. Et ita rectè censuit Syluester V. *ieiunium* q.9. n.5. Caietanus 2. 2. q. 147. artic. 4. Abulens. Matth. 6. q. 146. Philiarcus p. 2. lib. 3. cap. 25. Iacobus de Graffis t.1. p.1. l.2. cap.37. n. 44. & Fagundes loco notato.

5. Et quanquam id videatur infrequens, nec esset imprudentia vacaturum, sumere velle experimentum de prægnantis robore ad ieiunandum; ideóque dimissa seueritate examinis circa alias personas adhibendi, præsumendum passim sit, legem ieiunij non obligare prægnantes quoad singularitatem refectionis: Tamen displicet quod Diana cum paucis quibusdam tradit resolut. illa 14. & p.4. tract. 4. resol. 126. nempe, etiam prægnantem validam, & cuius ieiunium constaret non incommodaturum fœtui, eximi lege ieiunij quoad vnicam refectionem; eo quod omnis lex adaptetur ad ea quæ frequenter accidere solent: at vt prægnantes sint adeò validæ, vt vnica earum refectio non esset fœtui nocumentum allatura, est infrequen-

tiſſimum. Vnde lex quæ indiſtinctè prægnantes exoluit obligatione vnicæ refectionis, ob ordinariam prægnantium debilitatem vberiore & frequentiore alimento egentem, etiam validas ſi quæ interdum tales inueniantur, comprehendet. Hoc dico non placere. Nulla quippe eſt lex, liberans nominatim prægnantes obligatione vnicæ refectionis, in diebus quibus ieiunium præſcribitur: ſed tantùm DD. ex eo quod lex illa ſit rationabilis, interpretati ſunt mentem legiſlatoris non ferre, vt prægnantes ea lege ligentur; cum ipſarum debilitas, vel prolis indigentia, plures in die refectiones depoſcit. Si ergo hoc caput excuſationis ſemoueatur, legis vniuerſaliter latæ obligatio ad prægnantes quoque extendetur.

Multo autem ſcrupuloſiùs agendum eſt cum prægnantibus, quoad ciborum qualitatem. Nam tametſi quoad eam quoque liberandæ ſint à lege ieiunij, ſi ægritudo præſens, vel contrahendæ ægritudinis non irrationabile dubium id ſuadeat, quia lex naturalis de non incommodando fœtui, multo vrgentior eſt lege humana, ieiunij abſtinentiam à certis eduliis præſcribente: Tamen vt plurimùm abſtinentia à carnibus, & per quadrageſimam ab ouis & lacticiniis, non deprehenditur nocere prægnantibus earúmve fœtui incommodare. Ideóque ſimpliciter loquendo, extra limitationes proximè tactas, affirmandum eſt, prægnantes lege ieiunij obſtringi quoad hanc partem. Et ita rectè Villalobos t. 1. tract. 13. diffic. 4. & Diana p. 4. tract. 4. reſolut. 126. adducens in contrarium Martinum Funes in ſpec. mor. p. 3. cap. 2. num. 5. & 6.

6. Quare tum demum prægnantes cenſendæ

ſunt

sunt exolui lege ieiunij Ecclesiastici, siue quoad vnicam refectionem, siue quoad ciborum qualitatem, cum necessitas matris aut fœtus exiget laxationem legis prædictæ quoad vtrumque caput, vel saltem quoad alterum: ita vt ex obseruatione ieiunij, meritò timeatur alterutrius incommodum, sed maximè fœtus. Tunc inquam mater non tenebitur contenta esse vnica per diem refectione, vel abstinere iis cibis quibus vesci per ieiunij tempus non licet. Nec duntaxat verum est, prægnantem in eo euentu non teneri ad vnicam refectionem vel abstinentiam, sed etiam verum est teneri ad oppositum: ita vt cerni possit mortale peccatum in ea obseruatione vnicæ refectionis aut abstinentiæ à certis cibis, quod manifestum est ex graui obligatione qua prægnans tenetur consulere incolumitati fœtus. Vnde si sit periculum grauis damni inferendi fœtui per obseruationem prædictam, nemo non videt eam fieri grauiter atque mortiferè illicitam. Et ita disertè Nauarrus in summa cap.21. à num.15. Syluester V. *ieiunium* q.9. num.5. Abulensis in cap. 6. Matth. q.146. Ioannes Nider ad præceptum 6. Decalogi, cap.8. *litera B*. Fagundes in 4. Eccles. præceptum cap.8. num. 14. Fernandus de Moure p. 4. examinis cap.12. §.6.

Quid si ieiunium sit prægnanti necessarium ex natura rei, ad fugam peccati.

7. Vnum quod in hoc negotio posset difficultatem aliquam ingerere, non videtur dissimulandum. Supponamus ergo prægnantem pati graues tentationes, concupiscentiæ prouocantis ad incon-

tinentiam: imo adeò vehementer impellentis, vt propè videatur vim inferre, & ad lapſum adigere. Experimento porrò didicerit, nulla ſe ratione parem reddi frangendæ tentationi, quàm debilitatione corporis per ieiunium; quod tamen apertè videat ceſſurum in notabile incommodum, vel etiam exitium fœtus, propter ſubtractionem alimenti, & maternarum virium quibus fouendus eſſet, exhauſtionem. Difficultas eſt, an in eo euentu, prægnans diſcrimen illud prolis poſſit contemnere, vt ſecuritati ſuæ ſpirituali proſpiciat: An verò vt fœtui conſulatur, poſſit periculo illi propriæ incontinentiæ ſubiacere, non ieiunando, nec carnis laſciuiam comprimendo per abſtinentiam.

Reſpondet Fernandus de Moure p.4. exam.c.12. §. 6. prægnantem in eo euentu, poſſe, imo debere ieiunare: quia charitas ordinata, ſemper anteponit propria ſpiritualia bona, corporalibus bonis alienis; & ſubſequens prolis debilitas, vel etiam mors, per accidens ſubſequetur. Hæc tamen reſponſio non videtur plenè ſatisfacere. Neque enim hîc fit comparatio inter bonum noſtrum ſpirituale, & bonum duntaxat corporeum prolis: ſed verè bonum ſpirituale noſtrum, cuius iactura eſt reparabilis, confertur cum ſpirituali malo alterius, extremo & immedicabili. Fœtus ſiquidem, non corpore tantùm peribit, ſed & anima, quia deſtituetur baptiſmo. Quod autem dicitur id eſſe per accidens, non lenit dolorem ex eius æterna clade conceptum; quia tametſi peribit per accidens, peribit tamen, & ſciente ac ſinente matre peribit.

8. Mihi igitur dicendum videtur, rem non metaphyſicè, ſed moraliter penſando, nunquam poſſe accidere

accidere quod in propoſita difficultate ſupponitur; nimirum vt fœmina prægnans non poſſit aliter mederi incontinentiæ qua laborat, quàm ſubtrahendo fœtui alimentum neceſſarium. Oratio enim & alia pleraque remedia, ſæpè ſunt efficaciora continentiæ media, quàm ieiunium, quo humores acres & ſalſi corpus occupantes incenduntur magis, vnde grauius caſtitati certamen impendet quàm ex temperata vſurpatione ciborum, vt habetur ex doctrina S. Baſilij l. de vera virg. Deinde quæcunque ſit efficacitas ieiunij ad continentiæ tutelam, certum tamen eſt ſemper liberum manere prægnanti frænare ſe ſe, & non ruere in peccatum: cum è contrario, fœtus ſi moriatur præ alimenti penuria, & corpore & anima, abſque culpa actuali ſua & voluntate, periturus ſit in æternum. Itaque ſicut in ſimili dubio de congreſſu cum periculo abortus vrgente periculo incontinentiæ, Sanches l. 9. d. 22. num. 1. & Baſil. Ponc. l. 10. cap. 14. num. 9. negant fas eſſe vti eo incontinentiæ remedio, ita non dubito, quin mater alia nihilominus remedia vitandi peccati adhibens, & firmo propoſito continendi munita, poſſit ac debeat æternam prolis cladem auertere, dimittendo ieiunium quod eſſet fœtui exitiale. Aditionem verò periculi prolapſionis in mortale peccatum, interueniente tamen propoſito non peccandi, honeſtari ob ſummam alterius neceſſitatem, præſertim ſpiritualem extremam, alibi traditur, nec in vno exemplo apud Ioannem Sanchem d. 21.

Importuna opera, dimittenda prægnanti.

9. Iam quod attinet ad operationes à prægnantibus dimittendas ob bonum prolis ne intra vterum pereat, Binsfeldius in Enchiridio Theol. Paſtor. part.3. cap.12. ait talia eſſe *importuna opera & inordinatos actus.* Nomine autem *operum importunorum,* intelligere videtur opera laborioſa, quæ attento robore & complexione prægnantis, poſſint meritò timorem facere, cauſandæ in fœmina abortionis. Nec recenſere dubitauerim inter hæc importuna opera ſaltationes; quas experimento compertum eſt, vt notauit Albertus lib.9. de anim.tract.1.c.11. & ex eo Nider. in 5. præc. decal. cap. 1. *litera F.* officere fœtui intra maternum vterum deliteſcenti, & aborſum ciere, etiam choreas nomine ſaltationis comprehendendo. Certè Autor libri de natura pueri, quem alium eſſe ab Hippocrate Galenus dubitauit, & graues ſcriptores affirmarunt, non erubuit ſcriptis prodere, ſcortum quoddam, cuius grauiditatem impedire intererat dominæ, ad abortionem à ſe adductum, indicta ei ſeptena ſaltatione, qua expleta exiluerit fœtus non abſque crepitu. Alteri grauidæ, inter numeroſè ſaltandum, idem ante annos aliquot contigiſſe, compertum habeo; eóque infeliciùs ceſſit iſti ſaltatio, quod pſaltria illa ſeu cantrix ab autore prædicto memorata, euaſit incolumis; iſti ex abortione creatus eſt non ita multo poſt interitus. Quare eſt quod mulieres ſaltatriculæ, alieno malo deterritæ cautiores fiant; ni & fœtum ſuum corporis ſimul & animæ excidio perdere velint, & ſeipſas in manifeſtum vitæ diſcrimen coniicere; non abſque peccato mortali gemino;

nempe

nempe & eo quod ex ipſarummet læſione ducitur; & eo quod petendum eſt ex fœtus læſione, quantum ſaltem in ipſis fuit. An verò qui cum eis ſaltant numeroſè, ſint irregulares ſequente aborſu, videndus Syluester V. *homicidium* 2. num. 11. Etiam iuſto arctiorem veſtitum inter importuna opera prægnantibus auerſanda, eſſe recenſendum, obſeruat Nider. in 5. præceptum Decalogi c. 1. *litera F.* & manifeſtum eſt ex eo quod aliquæ hac ſola ex cauſa aborſum ſint paſſæ, vt ſcribit Mercurialis l. 1. de morbis mulier. c. 4. & l. 2. c. 1. vbi de aliis æquè euitandis prægnanti, agit diligenter. Et videndus etiam Ioannes le Bon, in Therapia puerper. c. 1. ac Mercatus l. 3. de mul. affect.

Item actus inordinati, ira præſertim.

10. Per *actus inordinatos*, quibus grauidæ temperandum eſſe ne fœtui mortem conciliet, aiebat Binsfeldius, intelligi poſſunt, vel intemperiæ ac vehementes æſtus paſſionum violentarum, vel congreſſus cum viro, qui poſt conceptum iam fœtum ex anteriore commixtione, videtur inordinationem ſapere. Quod ad intemperias attinet, non eſt dubium, quin hoc ſpeciali titulo cauendæ ſint grauidis, ipſéque Hippocrates l. 1. de morbis muliebribus recenſens varias abortionis cauſas, hanc non omiſit. Quia enim corpus pro variis animæ affectionibus variè commouetur, (vnde paſſionum quoque nomen affectionibus eſt inditum;) & paſſiones genio muliebri ob debilitatem iudicij acriores incidunt, ita vt non rarò animi impotentiam inferant; mirum non eſt, ex graui corporis com-

motione per æstum inconditi affectus, existere aborsum.

Est hæc cautio maximè necessaria circa iram; tum quia est affectus violentissimus, tum quia ei maximè obnoxius est muliebris genius præ iudicij imbecillitate & corporis infirmitate; quibus vt corpora ægra & exulcerata ad ictus leuissimos gemunt, ita fœmineus animus infirmitati suæ diffidens, ad quemcunque aduersum incursum fractus, nullo negotio emouetur. Comparatio est Luciani in abdicato, Plutarchi l. de non irascendo, & ante hos omnes Senecæ l. 1. de ira, cap. vltimo, qui iram idcirco vocat *vitium muliebre*, ibid. & l. 1. de Clem. cap. 5. Benè & graphicè Iuuenal. Satyr. 6.

————*Quoties facit ira nocentem*
Hunc sexum & rabie iecur incendente feruntur
Præcipites; vt saxa iugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clinóque latus pendente recedit.

Antiquus quidem senarius, tria violentissima componit; πῦρ, γυνὴ, θάλασσα, τρία κακά, *ignis, mulier, mare, tria mala.* Verum Euripides iræ addictam mulierem, & irato mari, & ictui fluuij, & igni acerrimo antetulit versibus illis,

Furore multo sæuit iratum mare,
Proníque fluuij, & ignis, acer impetus;
Sed nihil ita acerbum & noxium, vt mulier mala.

Id est, iuxta phrasim etiam in scripturis vsurpatam, *rixosa & iracunda*, qualis ferè omnis mulier: vt idcirco Palladas l. 2. anthol. mulierem ex sola bile compactam dixerit. Videndus Tiraq. l. 9. connub. glossa 1. p. 9. à num. 184.

11. Est ergo mulier, iracundi genij, atque adeò qua

qua ſollicitudine prægnans tenetur aborſum cauere, & omnes eius veriſimiles cauſas quantum in ipſa erit remouere; eadem obſtringitur temperare ſibi. Eſtque id eo diligentiùs cauendum prægnanti: quæ iracundior eſt, vt notat Aponenſis in cap. 35. lib. 10. probl. & quo pluribus ſcatet virulentis humoribus, ad turbidos affectus excitandos & commouendum periculosè corpus accommodatis, eo cum ad iram, tum ad quaſuis paſſionum malignitates eſt procliuior. Itaque documenta generalia, quibus etiam ad bonum corporis & ſanitatem, temperare affectuum vehementia monemur omnes, locum ſpecialiter habent circa prægnantes, quarum & concitabilitas procliuior eſt, & excipiendorum morborum aptitudo maior; contractarum autem ægritudinum grauitas magna & difficillima curatio, vt latè proſequitur Ioan. Raphael Moxius l. 2. de venæ ſect. in morb. mulieb. cap. 2. Porrò hac ipſa ex cauſa, alij quoque tenentur non præbere prægnantibus cauſas turbidorũ affectuum, quantum in ipſis eſt. Vnde qui incuſſo grauidis terrore indebito, & graui metu, abortionis ſunt autores, grauiter peccant. An verò habeantur homicidæ voluntarij, ân caſuales, de quo inter Caietanum & Nauarrum controuertitur, nec parum refert ad tricas iure Canonico adiunctas cædi hominis, diſputat Molina tract. 3. de Iuſtit. diſputat. 3. num. 6.

Congreſſus per ſe loquendo, non eſt lethalis.

12. Circa alteram actionem inordinatam, hoc eſt circa congreſſum, certa omnium ſententia eſt, ſi ex

ex eo inſtet veriſimile periculum abortus, graue peccatum fore illum adhibere. Quod non eget longa probatione, cum per ſe liqueat, voluntariam illam cauſam perdendi fœtus, non poſſe vacare graui culpa. Hoc autem periculum primis concepti fœtus menſibus, eſſe præſentiſſimum, docet ex Galeno Mercurialis l. 1. de morb. mul. cap. vltimo. Idem periculum nonnullis viſum eſt ſemper ingruere ſub initium conceptionis, cum fit coagulatio materiæ ſeminalis, quod ſub primum ſeptiduum contingere notat Moxius l. 2. de venæ ſect. in morbis muliebr. cap. 1. Eo igitur tempore, mortale eſſe prægnanti virum admittere, & viro ad vxorem accedere, affirmat Fernandus de Moure p. 3. exam. cap. 21. §. 1. num. 6. & Bonac. q. 4. de Matr. p. 6. num. 12. qui idem pronunciant de tempore proximo partui quo ſimile periculum fœtui iam maturo impendet. Eſt enim tempus illud maximè lubricum pro fœtu: vt propterea Ethnici, Nonam ac Decimam Deas fœtibus curandis, iis ſollicitioribus menſibus addixerint, vt eſt apud Tertullianum l. de Anima cap. 37.

Sed neutrum placet. Nam de poſteriori tempore, eſt manifeſtè falſum quod neceſſariò adeatur à fœtu exitij periculum, quando iam robore pollet, & firmitate præſtat. De priori autem tempore, non apparet vnde congreſſus tametſi cum periculo effluxus conceptionis anterioris, culpam mortalem continere cenſeri poſſit; idque meritò negant Richardus in 4. d. 32. art. 3. q. 2. Angelus V. *debitum* num. 33. Aſteſanus 2. p. ſummæ l. 8. tit. 10. artic. 4. q. 3. adducens Alenſem, Syluester V. *debitum* q. 5. Sanches l. 9. diſp. 22. n. 1. Ægidius Coninch 3. p. diſp. 34.

diſp.34. dub.9. concl.3. Hurtado diſp. 10. de Matr. diffic. 3. num. 11. Filliuc. tract. de Matr. num.337. Et ratio eſt, quia coniuges in eo actu vtuntur iure ſuo, nec intendunt excluſionem anterioris conceptionis nondum anima præditæ, quam etiam excluſionem infrequens eſt adiungi iteratæ intra illud ſeptiduum commixtioni: vnde ſi per accidens conſequatur excluſio inter dandum operam rei illis alioqui licitæ, perperam inſimulabuntur grauis peccati eam ob cauſam, de cuius periculo hîc & nunc vrgente, vix vnquam poteſt ipſis conſtare.

13. Vt autem vſum matrimonij cum prægnante, per ſe loquendo, à lethali culpa abeſſe, manifeſtius fiat, attendendum eſt ne primarium quidem finem coniugalis commercij ab vſu illo remoueri. Quamuis enim poſt anteriorem commixtionem, exceptis in vteri fundo ſeminibus, claudatur vteri orificium adeò exquiſitè, vt ne acus quidem aciem admitteret, vt ſupra ex Galeno id veluti miraculum ſuſpiciente notare memini; tamen tam accurata occluſio, non eſt perpetua, ſed interdum ob peculiarem fœminæ diſpoſitionem, vt notauit Hippocrates l. de ſuperfœtatione, etiam poſt factam conceptionem, hiſcit vterus aliquantiſper, vnde ſuperfœtatio: quæ interdum quoque oritur ex vteri iam occluſi reſeratione, non excidente tamen priore fœtu, ob firmam eius alligationem per ora vaſorum. Ariſtoteles quidem 7. hiſtor. cap. 4. ſcribit ſuperfœtationem in humana ſpecie eſſe infrequentem: Non negat tamen, quin aliquando contingat. Exemplum extat l.*antiqui.ff.ſi pars hæred. petat.* vbi Paulus Iuriſc. ex Lælio ſcribit, viſam in Palatio mulierem liberam ab Alexādria perductam, vt Adriano oſtenderetur,

ostenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum post diem quadragesimum. Plinius l. 7. cap. 11. mulierem memorat, quæ fœtum vnum iusto partu, alterum quinque mensium edidit. Addit exemplum Herculis & Iphicli, vt probet vbi paululum temporis inter duos conceptus intercessit, vtrunque perferri. *Noui ego Genuæ*, (inquit Scortia l. 1. de Nilo c. 6. *sub finem*,) *nobilissimam fœminam, tertio mense post legitimum puerperium, nouum masculum enixam.* Videsis etiam Laurentium l. 8. anat. q. 22.

Ex his ergo perspicuum est, accessum ad prægnantem, posse primarium quoque finem coniugalis commercij obtinere. Ex quo sequitur, non cerni in eo culpam lethalem, dummodò curetur, (præsertim cum partus non est adeò dissitus,) vt is sit commercij modus, qui fœtus oppressionem extrinsecam ab incubante deuitet. Extrinsecam dico; Nam quod Bonacina q. 4. de Matrim. punct. 6. num. 12. lethalis peccati accessum ad grauidam sub pariendi tempus damnat, quia periculum est ne fœtus per copiosum seminis affluxum opprimatur, non videtur solidum. Nam fœtus eo tempore tot intra vterum inuolucris obuoluitur, vt non sit timendum, ne immisso nouo intra vterum semine suffocetur; cum ne contingatur quidem per illud, prohibentibus secundinis, quæ fœtum amiciunt, & vndecunque concludunt intra vteri capacitatem, in qua semen postea immissum excipitur; non tanta mole, vt ad suffocandum iuxta positum fœtum sufficiat.

Imo

Imo nec venialis; tametsi indecentiam continet, iuxta PP.

14. Igitur accessus ad grauidam, per se loquendo, non est lethalis culpa. Sunt tamen qui asserunt, eum sordere labe veniali. Ita Basilius Poncius l. 10. de Matrim. cap. 14. num. 7. esséque id extra dubium, dicit Petrus Soto lect. 16. de Matrim. §. *sunt etiam*, & videtur annuere Azor tomo 3. l. 3. cap. 31. quæst. 14. Alios multos in eam sententiam profert Sanches l. 9. de matr. d. 22. num. 4. qui addit n. 6. & plurimorum autoritate confirmat, ne venialem quidem culpam cerni ea in re; siue reddatur, siue (quod obscurius videri posset,) petatur debitum tempore quocunque grauiditatis, secluso semper aborsus periculo. Hæc secunda sententia videtur approbanda, præsertim ne laqueus iniiciatur coniugibus: quod cauendum esse, exemplo suo monstrauit Apostolus, 1. Cor. 7. Quanquam nobis quidem, qui hîc duntaxat intenti sumus in auertendum damnum prolis, perinde est quid in ea controuersia afferatur. Cum enim statuerimus, secluso aborsus periculo, quod quantum ad hoc attinet, duntaxat post fœtus animationem, timendum esse vidimus, abesse lethalem culpam ab accessu viri ad prægnantem; nostra non interest, an accessus prædictus, eo periculo semoto, atque adeò nihil inde periclitante prole iam concepta, sit aut non sit venialis, sed omni prorsus culpa vacet, vt concludit Ægidius supra num. 78. & Hurtado disput. 10. de Matrim. diffic. 3. n. 13. ac Henriq. l. 11. c. 15. præiuerátque Guliel. Paris. tract. dialogistico de Matrim. c. 16.

15. Neque

15. Neque tamen negare velim indecentiam aliquam in ea re cerni, ipsis quoque Ethnicis pudentioribus improbatam. Seres enim, quos hodie *Sinas* appellamus, cum grauidis commisceri lege lata vetabantur, vt scripsit Clem. Rom. 8. recog. cap. 11. Zenobiam quoque Palmyrenorum Reginam, Capitolino à specie insigni celebratam, testatur Trebellius Pollio, nunquam se viro iterum permisisse, donec expectatis menstruis, agnosceret se necdum concepisse. Patrum plerique, hanc indecentiam explodunt.

Origenes homil. 5. in Genesim, latè ac validè in hoc argumento exspatians, pecorum ipsorum exemplum vrget; & ad libidinem plusquàm pecuinam, refert hunc ad grauidam accessum: qui multo etiam tetriùs notatur à Clemente Alexandrino l. 3. strom. negante, vllum ex veteribus in scriptura prodi, qui vxori prægnanti consueuerit; imo neque lactanti, & idcirco Aarónem triennio Mosem ætate superasse, quod pater Mosis, vsque ad Aaronis ablactationem non nisi triennio post factam, continuisset se ab vxore. Fortiùs quoque 2. pædag. cap. 10. *Moyses* (inquit) *nullum vnquam induxit veterem Hebræorum, coeuntem cum sua vxore pragnante. Sola enim voluptas, si quis ea, etiam in coniugio vtatur, est præter leges, & iniusta, & à ratione aliena. Rursus autem Moyses abducit viros à prægnantibus, quousque pepererint. Reuera enim matrix sub vesica quidem collocata, super intestinum autem quod rectum appellatur, posita; extendit collum inter humeros in vesica, & os colli in quod venit semen, impletum occluditur, rursúsque inane redditur partu purgato, fructu autem deposito, deinde semen suscipit*, &c.

Matrix

Matrix ergo sitiens filiorum procreationem semen suscipit, probrosúmque & vituperandum renuit coitum post sationem ore clauso omnino, iam libidinem excludens. Eius autem appetitiones quæ priùs in amantibus versabantur complexibus intrò conuersæ, in procreatione sobolis occupatæ, operantur vnà cum opifice. Nefas est ergo, operantem iam naturam, adhuc molestia afficere, superfluè prorumpendo ad petulantem iniuriam.

4. S. Ambrosius potenter & de more concinnè l. 1. in Lucam *ferè in fine*, ad illud, *occultabat se mensibus quinque*, monstrans temperandum esse opere nuptiarum, cum soboles non expectatur; *Et quid mirum.*(inquit,) *de hominibus; si pecudes quoque muto quodam opere loquuntur, generandi sibi studium, non desiderium esse coëundi? siquidem vbi semel grauem aluum sibi senserint, & genitali aruo semen receptum, iam nec concubitu indulgent, nec lasciniam amantis, sed curam parentis assumunt. At verò homines, nec conceptis, nec Deo parcunt. Illos contaminant, hunc exasperant.* Priusquàm te *(inquit)* formarem in vtero, noui te, & in vulua matris sanctificaui te. *Ad cohibendam petulantiam tuam, manus quasdam tui autoris in vtero hominem formantis aduertis. Ille operatur, & tu sacri vteri secretum incestas libidine? Vel pecudes imitare, vel Deum verere. Et quid de pecudibus loquor? Terra ipsa à generandi opere sæpè requiescit: & si impatienti hominum studio iactis frequenter seminibus occupetur, impudentiam multat agricolæ, & fœcunditatem sterilitate commutat. Ita quidem in ipsis elementis ac pecudibus, ab vsu non cessare generandi, natura pudor est.*

Hæc video plus sonare quàm indecentiam pro-

S positam,

positam, & accessum ad grauidam, culpæ non leuis damnare: Id quod etiam ferunt illa apud Burchardum l. 2. decr. cap. 5. *Concubuisti cum vxore post manifestariam conceptionem? Decem dies in pane & aqua pœniteas.* Vt tamen hæc, & alia quæ aduersus accessum ad grauidam traduntur à D. Augustino serm. 144. de tempor. (quicquid verborum cortex præferat,) accipiam tantùm de indecentia incontinentiæ indice, & imperfectionem non culpam inferente, suadet ratio paulo ante proposita.

CAPVT XII.

Quid statuendum de honestate sectionis Cæsareæ, matre & fætu superstitibus, vrgente graui necessitate extrinseca; qua seclusa, illicita esset sectio; siue mater innoxia sit, siue noxia, & mortem ob scelus iure commerita.

1. Resvmendvm est filum disputationis de sectionis Cæsareæ honestate, cum mater & proles sunt superstites; vnde nos aliquantisper abduxere vtilia corollaria, duobus proximis capitibus ex doctrina anteriùs posita, ritè deducta & stabilita.

Reueniendo igitur ad institutum, quandoquidem expedita iam sunt, quæ circa sectionem Cæsaream

ſaream matre & prole ſuperſtiribus controuerti poterant, attenta duntaxat intrinſeca neceſſitate, id eſt bono parentis, aut prolis, vel vtriuſque; nunc videndum reſtat, quid ſtatuendum ſit de honeſtate ſectionis Cæſareæ, matre & prole viuentibus, ſi neceſſitas extrinſeca depoſcat adhiberi ſectionem: eo quod deſperetur partus naturalis; & tamen fœtum luce frui, maximè interſit boni communis. Vel certè eo quod periculum ſit in mora, ſi partus naturalis expectetur, ſed ante illud tempus mater morti dedenda ſit, vt ſaluti publicæ conſulatur; ſuccidantúrque radices malorum quæ vlteriorem vitam matris conſecutura conſtaret. Cum qua difficultate, nexa eſt alia, de ſectione Cæſarea adhibita matri noxiæ & mortem commeritæ, ſiue deſperetur naturalis partus, ſiue non expectetur, quamuis ex præſtolatione partus nulla grauia mala timeantur. Has enim difficultates habere connexionem, liquebit ex dicendis, & ideò meritò iunguntur tractatione.

Variæ ſententiæ de ſectione matris per eam perituræ, ſi extrinſeca neceſſitas vrgeat.

2. Eſt circa difficultates prædictas, nonnulla ſententiarum varietas. Nam ſunt qui etiamſi mater ſit innoxia, tamen annuunt vt mater vi ſectionis moritura, ſecetur, ob ingens aliquod bonum extrinſecum; ſi nimirum ob bonum Reipublicæ, vel ad illuſtris familiæ conſeruationem, magis interſit vt fœtus ſit ſaluus quàm mater. Tunc enim etiamſi ſectio Cæſarea agnoſcatur fore matris occiſio,

secari posse parentem innoxiam, affirmat Ioannes Varandæus l. 2. de morbis mulier. cap. 7. Idem visum Henrico 8. Anglorum Regi. Scribit enim Florimondus l. 6. histor. hæres. cap. 4. num. 2. Ioannam Seimer, cum desperaretur naturalis partus Eduardi postea Anglorum Regis eo nomine sexti, iussam aperiri etiámnum viuam, vt educeretur fœtus: Henrico, Medicis rogantibus, matri an proli consultum mallet, contestante, vxorum sibi affatim semper fore, non item liberorum marium, qualem geri ab Ioanna putabat, & verè putabat. Sanderus tamen l. 1. de schism. Anglic. ad annum 1537. describens ortum Eduardi, non adeò clarè asserit fuisse Cæsonem.

Alij verò, ne si mater quidem esset mortem commerita, & iure damnata capitali supplicio, volunt fas esse eam aperire, vt fœtus viuus, illi extrahatur ex vtero, etiamsi timeretur ne fœtus intra materna viscera emoriatur expers baptismi. Ita S. Antoninus, Paludanus, Gabriel, Tabienna, Fumus, Victoria, Soto quos profert & sequitur Comitolus l. 1. respons. q. 14. sectioni matris viuentis etiamsi damnatæ perinfensus; nec absque recentioribus suffragatoribus, inter quos Henriques l. 2. cap. 21. n. 5. Annibal. Rosellus l. 9. commentar. in Trismeg. dist. 3. cap. 4. pag. 58. Angles in 4. q. 2. de baptism. artic. 3. concl. 4. & alij apud Bonacinam disp. 2. de Sacram. q. 2. punct. 6. num. 10. Quorum fundamentum esse videtur, quod putent sectionem matris, esse quoque prolis interitum; quem causare est intrinsecè malum, ob omnimodam innocentiam prolis. Contrarium autem ex opposito fundamento, de matre iure damnata, tradunt Suares 3. part.

q. 68.

q. 68. ad art. 11. & ibidem Ægidius, Diana 2. p. tract. 1. misc ell. resol. 44. Layman c. 3. de baptism. num. 2. Filliucius tract. de baptis. num. 139. nec videtur abhorrere Bonacina num. illo 10. De hac sententiarum varietate ferendum est iudicium; seorsim primùm agendo de matre innoxia, tum seorsim quoque de noxia & iure damnata.

In illis circunstantiis, mater innocens nulla ratione secanda.

3. Mater innoxia, si constet eam morituram vi sectionis, nulla ratione secari debet, quæcunque tandem mala timeantur, vt extinctio familiæ antiquissimæ & illustrissimæ; vel successionis pinguissimæ transfusio ad externos ob non exemptam prolem, matri immorituram, vel denique exortus turbarum grauissimarum, & quæcunque alia mala fingere aut supponere liceat. Nullum quippe malum proferri potest, cuius prætensa deuitatio honestet actionem intrinsecè malam, cuiusmodi est sectio matris innoxiæ in proposito euentu. Hæc est certa sententia omnium Theologorum, vnanimi consensu negantium, fas esse in vllo euentu, iniussu Dei vitæ ac mortis supremi domini, trucidare innocentem, quodcunque tandem malum intentetur. Cum ergo mater supponatur innocens; & sectio spectatis circunstantiis supponatur fore eius occisio; negandum est matrem superstitem quæ vi sectionis peritura existimetur, secari posse, vt necessitati alicui extrinsecæ, quantacumque tandem illa sit, prospiciatur.

Vnde quod narratur Henricum 8. iussisse vt

vxor prægnans cuius naturalis partus desperabatur, nec sectioni ferendæ ob nimiam debilitatem par erat, secaretur ad educendam prolem masculam successioni Regiæ familiæ necessariam, pronunciante Henrico plus se satis fœminarum cum luberet reperturum, non item filiorum regnum extra familiam transferri prohibentium; si verè ab eo factum & dictum est, pertinet ad cumulum immanitatum, quibus Rex infœlix à perditissimis hominibus dementatus, in cuiuscunque generis mortales, ac ipsos etiam cœlites, supra communem improborum modum est grassatus. Nec hominis tam incompositæ vitæ factum, aut suggestio adstantium illi siue Consiliariorum siue Theologorum, si fortè factum eius aut consilium probarunt, trahi potest in exemplum. Quàm ignauos enim, & gratiæ humanæ potiùs quàm diuinæ studiosos, & Consiliarios & Theologos habuerit eo tempore Henricus, ex Sandero, Ribadeneyra, & aliis in illius temporis historia, compertissimum est.

Secus esset, si bonus euentus sperari posset.

4. At si mater innoxia, non sit letho danda vi sectionis: eo quod iudicio Medicorum censeatur satis valida ad excipiendam sectionem Cæsaream, tunc si desperetur partus naturalis, certum est ex superiùs latè disputatis cap. 5. fas esse secare matrem viuam, vt fœtus superstes eximatur. Imo adhibenda ex necessitate esset sectio, non modò vt consuleretur æternæ saluti infantis per baptismi collationem, sed etiam vt consuleretur communi bono grauiter lædendo per extinctionem prolis intra

matrem:

matrem: Ita vt non modò titulus charitatis erga prolem, iniiciat matri necessitatem subeundæ tunc sectionis, sub graui culpa: sed etiam titulus iustitiæ bonum commune prosequentis, (quam l. 3. de virtut. num. 76. stabiliuimus, & propriè acceptam Iustitiam commutatiuam esse monstrauimus,) obstringat prægnantem, ad consulendum hac ratione, communi bono.

Quinetiam, tametsi & prolis & matris certo alioqui exitio subiiciendarum nisi sectio adhiberetur, anceps & dubia fieret sors per sectionem, adhibenda nihilominus esset sectio; tum vt iis obligationibus satisfieret quæ superiùs sunt expensæ c. 8. tum ob hanc nouam & peculiarem communis boni curandi, & publicæ calamitatis auertendæ obligationem; quæ tanta est, vt tametsi sperari posset matris incolumitas absque sectione, solius autem fœtus exitium non quidem certò impenderet vi sectionis, sed tamen vocaretur in dubium, permittendus esset fœtus illi periculo, & sectio adhibenda ex obligatione iuuandi publicum bonum. Nam quamuis non sit licitum trucidare innocentem vt bonum commune quantumcunque obtineatur, tamen fas esse ob eam causam exponere innocentem periculo, omnes æquè consentiunt.

Matris noxiæ nulla habenda esset ratio, sed prolis duntaxat.

5. Venio ad matrem noxiam & capitali supplicio ritè adiudicatam. Huius nulla habenda est ratio, sed fœtus duntaxat. Id est, non est curandum an mater sic damnata, mortem oppetitura sit vi

sectionis. Nam annuente publica potestate, fas est eam vita spoliare. Itaque tantùm habenda est ratio prolis, quæ si perdenda sit adhibita sectione prægnantis noxiæ, nullo modo poterit adhiberi sectio, quamuis vel partus naturalis desperetur, vel periculum sit in mora; & ex vlteriore vita matris mortem omnino commeritæ, grauissima mala toti Reipublicæ impendeant. Nihilominus enim, quia mors parentis noxiæ supponitur iungenda trucidationi prolis, cui vnicum remedium quod suppetit in desperatione partus naturalis, nempè sectio; non remedium, sed exitium certum fore statuitur, prætermittenda omnino esset sectio: iuxta illud Apostolicum oraculum, *non sunt facienda mala* (vtique culpæ) *vt eueniant bona*, atque adeò neque vt auertantur mala pœnæ, & vt Tertullianus vocat *vltoria*.

Neque verò fas esset, sectionem quidem prætermittere, ne infans positiuè malè afficeretur & perderetur per sectionem; matrem tamen alia ratione perimere, qua fœtus nullo modo attingeretur positiuè, v. g. per strangulationem matris, aut capitis eius minutionem: quasi fœtus qui supposita partus naturalis desperatione & negata sectione materni vteri, æquè intra vterum breui moriturus est, anticipatè ob commune bonum ex matris morte pendens, permittatur mori intra parentis viscera. Non inquam fas esset matrem perdere ad eum modum, quia non interueniret ibi mera permissio exitij fœtus, qualis interuentura erat non adhibita sectione; sed verè interueniret influxus in mortem eius, ob subtractionem voluntariam alimenti, quo solo sustentari & prorogare vitam potest: Vnde quamuis

quamuis fœtus, non facta subtractione materni sanguinis quo cibandus est, æquè paulo post periret intra viscera materna, moriente matre post naturalis partus periodum non secuto partu; Tamen non periret vi operis alieni, quo subtrahitur illi alimentum, sicut fieret in euentu proposito.

Spectanda eius maturitas, quæ sufficiens in septimestri.

6. Igitur tunc tantùm fas est matrem noxiam secare, vrgente ad eam sectionem bono publico, quia periculum est in mora, cum spes est, fœtum non esse lædendum per sectionem, quia satis maturus est, & adhibetur adeò peritus sector, vt omnia securè peragenda videantur: & ad summum, fœtus innocens exponatur periculo ob commune bonum, non tamen perdatur meditatò, id est ex certa prænotione exitij per opus nostrum inferendi, quamuis non ex directa intentione; id quippe esset illicitum, quia moraliter rem spectando æquè esset occisio innocentis, ac si adesset illius occisionis intentio directa.

Portò spes illa non lædendi fœtum, quam attendi volebam in secanda matre noxia cum periculum est in mora, & bonum publicum poscit accelerari mortem eius; spes inquam illa, non tollitur ob immaturitatem fœtus, si contingat eum esse septimestrem. Nam compertissimum est, partum septimestrem esse vitalem: atque adeò tametsi fœtus artificiosè educatur eo tempore ex materno vtero, æquè poterit esse vitalis. Nec verum est quod Fracastorius l. de sympath. cap. 11. comminiscitur

de humano ſemine duplicis generis, quorum vnum poſt 7. menſes maturum fructum procreet, alterum duntaxat poſt nouem: Sicut in genere tritici; eſt quoddam ſemen dictum trimeſtre, vel ſetauium, quod tribus menſibus ſpicam fundit, & aliud quod menſibus nouem. Qua ratione eductio fœtus ſeptimeſtris, ſi fœtus eſſet compactus ex humano ſemine nonimeſtri, eſſet mortifera; Vnde cum nunquam conſtare poſſit niſi ex euentu, ex quo ſemine quis ſit compactus, ſi fœtus eruatur ante nonimeſtrem periodum, deerit moraliter certa ſpes maturitatis, quam remanere dicebamus, ſi fœtus eſſet ſeptimeſtris. Nego, fundamentum cui hæc omnia innituntur, ſolidum eſſe. Omnia quippe humana ſemina ſunt vnius ſpeciei, ſicut omnes homines inde procreati, continentur vna infima ſpecie. Triticum verò ſicut poteſt eſſe ſpecie multiplex, ita mirum non eſt ex ſemine multiplicis ſpeciei, quorum vnum ſeriùs, alterum ocyùs fructum ſuum procreet, poſſe deriuari. Itaque fœtus quilibet ſeptimeſtris, poteſt vitalis eſſe, & communi bono quod ex matris accelerata morte penderet, vrgente ad eum eximendum menſe ſeptimo à conceptione, non eſſet quod ea exemptio cenſeretur fœtus occiſio, ob immaturitatem eius, cum poſſit eo tempore ſortiri maturitatem conuenientem. Quod ſi maior in vtero mora, diuturniúſque inibi fomentum congrueret fœtui, ita vt ob exemptionem ante nonimeſtre ſubiturus ſit periculum, tamen vacabit culpa exemptio, ſi publici boni neceſſitas eam depoſcat: quandoquidem vt iam ſæpè dictum eſt, ratione communis boni, licitum eſt exponere innocentem periculo. Quare graui damno publico adigente

ad

ad matrem letho dandam, fœtu duntaxat septimestri grauidam, posset fœtus censeri sufficienter maturus,& eximi eo tempore absque scrupulo.

Possitne proles censeri matura, ante septimestre.

7. Obscurius est, an fœtus ante septimestre, censeri posset sufficienter maturus, atque adeò an posset ante eam periodum securè eximi, non præcisa spe incolumitatis eius, si bonum publicum non sineret mortem matris illhuc vsque differri. Quamuis enim ordinarij partus ante septimestre non sint vitales, tamen id non est adeò vniuersaliter verum, quin aliquando secus acciderit: Et sicut frequentissima periodus humani partus, est nouem vel decem mensium; leguntur tamen aliqui partus vndecimestres, duodecimestres, tredecimestres, etiam quatuordecimestres, ac quod mirabilius est & planè rarum, sexdecimestres: (Nam vndecimestrem partum abs se visum, scribit S.Thomas opusc.28.art.4. *sub finem*, multáque pro eius mensis vitalitate aceruantur apud Moxium l. 3. de venæ sect. in morb. acut.cap.5. De duodecimestri & quatuordecimestri, exempla profert Delrio in Aduersariis ad Senecæ Thebaidem versu 355. de iisdem ac cæterarum periodorum partubus exempla collegit Pineda l.1. de Salom. cap.10.) Sicut inquam leguntur hæ prorogationes ordinarij termini quo fœtus commorari solet in vtero; ita quamuis septimestre soleat esse ordinaria vitalium fœtuum periodus versus imum, ita vt fœtus anteriùs editi non soleant esse maturi atque vitales: tamen non desunt qui præter eam regulam

regulam nati anteriùs, vitales fuisse perhibeantur. De partu quadrimestri, quinquemestri, semestri, exempla adducit Pineda loco annotato. Puellam quinquemestrem, lego apud Valesium cap. 18. sacræ philosop. Ex Hieronymo Montuo scribit Moxius l.3. de sect. venæ in morbis acutis cap.4. vxorem pincernæ Henrici II. Francorum Regis, partum quinquemestrem edidisse vitalem. Et astipulari Hispanos quosdam Medicos, eiusmodi quinquemestrem partum agnoscentes vitalem, vt Ferdinandum Menam, Valesium, Peramatum, itémque Italos, vt Cardanum, & Horatium Augenium, scribit idem Moxius. Quidni ergo vrgente necessitate communis boni, fas fuerit fœtum quinquemestrem habere pro maturo, & ex eo tempore exemptilem censere, si periculum sit in mora?

Non video quid vetet totum concedere, illis in oris in quibus constaret, fœtum paucis illis mensibus, esse maturum & vitalem. Nolim tamen rem hanc committi, vel dictis duntaxat veterum autorum, qui plerunque incertum est de qualibus mensibus agant: vt fusè prosequitur Pineda l. illo 1. de Salom. cap. 10. num. 6. & 7. vel incertis rumoribus, quibus sæpissimè subest falsitas: non modò quia matres vix vnquam benè subducunt & numerant menses, & in eo sæpè errant, vt notauit Hippocrates l. de septimestri partu (vel Polybus Hippocratis successor, cui opus illud adscribit Clem. Alexand. 6. strom.) sed etiam quia obnoxium id esse innumeris mendaciis ac fraudibus, docet vulgatus Græcus versiculus, apud Suetonium in Claudio, *Potentibus, sunt mensium & partus trium*; tum iactatus, cum Liuia Drusum enixa est, post trimestres

cum

cum Augusto nuptias, tegendæ anteriori consuetudini tandem celebratas.

Proles octimestris in circunstantiis propositis, potest matura censeri, & mater noxia secari.

8. Post septimestre, quamuis non videatur controuerti posse de maturitate fœtus, vt constat ex eo quod septimestris partus vitalis passim habeatur, atque adeò maturus; tamen difficultatem in re præsenti facere potest, quod octimestris partus ferè vbique non sit vitalis. Dico *ferè vbique*; quia in Ægypto partus octimestres esse vitales, scribit Aristoteles l. 7. histor. cap. 4. De Hispania idem scribit ex Auicenna Picus Mirand. l. 3. contra Astrol. cap. 18. confirmátque Ferdinandus Mena ad l. Hippocratis de octimestri partu. Et idem produnt de paucis aliis oris, vt de Naxo insula Asclepiades apud Dalechampium ad 7. Plinij cap. 5. vbi Plinius idem de Italia refert. Vt plurimùm autem, ac ferè vbiuis, partus octimestres non esse vitales in confesso est. Quare perinde esse videbitur, fœtum octimestrem eximere, ac eum perdere: quod illicitum est, quæcunque tandem vrgeat communis boni necessitas, quæ innocentis occisionem honestare non potest.

Nihilominus si spectemus verisimiliores causas cur partus octimestris non sit vitalis, comperiemus nihil esse quod obsit, quominus ex grauissima causa fas esse possit, fœtum octimestrem eximere per sectionem Cæsaream. Varias causas cur partus octimestris non sit vitalis, profert & expendit

Laur.

Laur. l. 8. anatom. q. 30. Iam reieci Fracaſtorium, inde cauſam huius rei petentem, quod nullum ſit ſemen poſt octo menſes fructificans, quamuis ſit quod poſt ſeptem & quod poſt nouem menſes hominem procreare idoneum ſit. Explodendi item ſunt Aſtrologi quos Ioannes Picus l.illo 3. cap. 18. teſtatur, pro more ſuo id referre ad aſtra, diuinatorio & prorſus intuto perfugio: à quo tamen non planè abhorret D. Thomas, vt videre eſt in longa ratiocinatione quam circa hoc adhibet opuſc. 28. art. 4. ad penultimum. Eiuſdem rei ratio à Tertulliano prolata l. de anima cap. 37. concinna eſt, ſed myſtica, & ab hoc inſtituto aliena. Quæ maximè probabiles, minus certè cauillis obnoxiæ, occurrunt cauſæ, cur partus octimeſtris non ſit vitalis, probè cohærent cum licita fœtus exemptione per illud tempus, ſi ſumma neceſſitas vrgeat. Sunt autem duæ. Prior ex Hippocrate profertur à Franciſco Pico ad hymnum ſuum tertium, *ferè initio*; adducitúrque etiam à Ioanne Pico l. 3. contra Aſtrologos cap. 18. Nimirum quod mater octauo menſe quodam vteri morbo laboret, à quo in fœtum deriuatur ægritudo. Vnde ſi accedant iam ægro & infirmo, vexationes in partu ſubeundæ, adeò frangetur viribus, vt non ſit vitalis, vel etiam illico ſuccumbat. Poſterior quæ eſt communis Medicorum, nominatímque aſſignatur à Mercuriali l. 2. de morb. mul. cap. 1. itémque à Franciſco Valeſio l. 2. controuerſ. cap. 10. & à Dandino 2. Animæ digreſſ. 28. §. *de fœtus in vtero formatione*, inde petitur, quod fœtus ſeptimo menſe iam perfectus & validus, colluctetur plurimùm vt diſrumpat membranas, & carcerem ſuum perfringat, ex qua colluctatione non parum

parum acciduntur eius vires. Si ergo mense octauo, nondum plenè instauratis viribus; eundem conatum repetat, succedente partus labore, necesse erit illum succumbere.

9. Neutra harum causarum, quæ vt dixi, maiore perfunduntur verisimilitudine, obstat quominus fœtus octauo mense eximi possit, si grauissima necessitas perdendæ eo tempore matris id exigat. Nam siue octimestris partus idcirco non sit vitalis, quia ægritudo matrem octauo mense occupans, illum reddit imbecillum: siue idcirco non sit vitalis, quia nimis debilitatur & viribus frangitur, ob repetitum ante resumptum robur, exeundi connisum; nihil hæc ad fœtum sine connisu suo exemptum è latebris materni vteri, eáque ratione liberatum à contagio ex materna infirmitate deriuando, augendóque magis si inibi hæreat per totum octauum mensem. Quod si quis fingat, admittendo causam secundam propositam, posse contingere, vt fœtus iam particeps sit factus maternæ ægritudinis, (vt si sub medium mensis octaui, vel eo exeunte eximatur;) indéque secuturum vt fœtus non sit vitalis: Occurram, gratis supponendo omnia prædicta, adhuc licitam esse posse exemptionem fœtus per sectionem matris eo tempore factam, ob vrgentissimam necessitatem interimendæ tunc matris noxiæ. Nam ad summum, id esset exponere fœtum alicui periculo; quam expositionem necessitas communis boni honestare potest. Itaque rectè statuebã, nihil esse quod obsit, quominus ex vrgentissima causa quæ moram non ferat, & prægnantis interitum octauo mense patrari exigat, eximi per sectionem Cæsaream queat fœtus duntaxat octimestris.

Non

Non vrgente communi bono, expectandus partus naturalis, nec secanda mater, etiamsi noxia.

10. Dictum hactenus est, de prægnante noxia, quam intersit communis boni letho dari ante partum naturalem; monstratúmque fas esse eam secare ad fœtum eximendum: id quod multo certius haberi deberet, si constaret frustra expectandum partum naturalem, eo quod mulier eo habitu sit vt eniti non possit: ideóque fœtus antea concepti, quamuis maturi, nunquam emitti naturali modo viuentes quiuerint. Nunc dicendum est de matre noxia, quam perdi ante partum naturalem meritò ab ea sperandum, nulla vrgens causa deposcat.

Affirmandum est illicitum fore talem prægnantem secare, & fœtum eximere; cum extra dubium sit longè melius esse fœtui, emitti ex vtero via naturali post insumptum in eo tempus fouendis & perficiendis fœtibus à natura constitutum. Quamuis ergo si tantùm attenderetur mater quæ noxia supponitur, nihil vetaret eam secari, & fœtum intempestiuè ab ea educi per artem; tamen spectando quid fœtus magis intersit, (vt iustum sanè est id spectare, cum nulla grauis & vrgens causa extrinseca aliud fert:) abstinendum est exemptione fœtus artificiosa, & expectandus partus naturalis, si speratur securturus. Et ita ferunt varia iura, nominatim lex *prægnantis*, ff. de pœnis, quæ sic habet; *prægnantis mulieris consumendæ damnatæ pœna differtur quoad pariat.* Vbi Gotofredus ex variis id illustrat. Item l. *Imperator Hadrianus*, ff. de statu hominum,

hominum, refertur decretum Adriani, quo traditur solitum esse prægnantem damnatam seruari, dum partum ederet. Meminit harum legum Romanum Martyrologium 7. Martij, describens summatim mortem S. Felicitatis, quæ quod prægnans esset, quamuis prædamnata, non est tamen feris obiecta, nisi post partum. Laudat Romanos ob hanc legem Clemens Alexandrinus 2. strom. laudat quoque, sed non expresso Romanorum nomine, Philo l. de Charit. conferens eam cum lege illa Iudaica, qua pecus grauida mactari vetabatur, etiam in sacrificium. Autor est Plutarchus l. de sera numinis vind. Romanos huiusmodi legem hausisse à Græcis, hos verò ab Ægyptiis. Videndi qui in eam rem plura conferunt, Couarr. 4. var. c.4. Hippol. de Marsil. in pract. §. *nunc videndum*, num.46. Gulielm. Bened. in cap. *Raynutius*. de Testam. V. *&* *sobolem*, num. 9. & 60. Matth. de Afflict. in Const. Neap. tit.23. n.11.

Itaque sensus legislatorum, cui standum est, cùm per bonum publicum licet, manifestè fert, prægnantis damnatæ fœtum non esse vlli discrimini obiiciendum per eductionem præproperam. Nam quantumcunque peritus sector adhibeatur, non est dubium, quin fœtus remotior à periculo futurus sit, si via naturali prodeat in lucem; cum vt cætera deessent, ac etiam tacendo vlteriorem in vtero moram fœtui fouendo percommodam; vel minima scalpelli aut cultri Chirurgici exerratio improuida, possit esse fœtui exitialis. Itaque sectio Cæsarea semper fœtum exponit alicui periculo, quam expositionem honestare duntaxat potest vrgentissima causa.

Instructio Medicorum, causa secandi insufficiens.

11. Eam ego non censuerim esse, instructionem Medicorum & Chirurgorum, vt prægnantium statum plenè edocti, meliùs deinceps iuuare possint grauidas, ad fœlix puerperium. Neque enim nouum est, vt noxiorum corpora dedantur Chirurgis ac Medicis, ad comparandam notitiam qua ægtis iuuandis sint aptiores. Et quanquam id frequentius concedatur circa defunctorum cadauera, tamen nihil etiam vetat, si res ferat, idem concedi quoad viuos. Nec dubium videtur, quin Herophilus ille & infantium & maiorum *profector, medicus aut lanius qui sexcentos exsecuit vt naturam scrutaretur, qui hominem odiit vt nosset*, (verba sunt Tertulliani cap. 10. & 25. de anima,) viuos quoque exsecaret ad comparandam scientiam; disertè enim Tertullianus, si congruenter interpungatur, statuit, miseros homines, non morte simplici, sed dirissima inter exectionis artificia, scrutante Herophilo interiisse. Narrat Monstreletus in Gallica historia, balistarium Mudonensem calculosum, ob scelera neci adiudicatum, rogantibus Medicis Parisiensibus à Senatu esse concessum, ad scrutationem modi quo calculus cutandus esset in calculosis. Facta à Magistratu potestate, Medicos ventrem criminosi aperiri iussisse, habet narratio; & vbi satisfactum est Medicorum desideriis, reposita denuo, misero fuisse intestina, vulnúsque consutum. Quod autem suspiciendum est, facta ob dolores toleratos vitæ gratia, recuperauit sanitatem, diúque sanus

sanus & valens vixit, iam etiam liber à calculo. Fortassis ergo erit, qui censeat posse expedire, vt prægnantis noxiæ dissectio Medicis ac Chirurgis concedatur, vt salua quantum licebit honestate & verecundia, ex prægnantis superstitis non iniusta excarnificatione, comparent peritiam, per quam deinceps grauidis & parturientibus vtiliores esse possint. Nam in demortuis corporibus, per abscessum animæ, concidunt partes, & multa perspectu necessaria obliterantur, vt Celsus in proœmio, & Tullius in Lucullo testantur, agentes de Empiricis.

12. Aiebam tamen hanc non videri sufficientem causam exponendi fœtum periculis, quæ necessariò adit per matris dissectionem. Nunc enim, partim accepta notitia ab anterioribus qui prægnantium viua corpora nefariè sunt scrutati; siue ad rem Medicam, vt Herophilum fecisse diximus; siue ad rem Magicam, vt factum à Iuliano Apostata, habetur ex Nazianzeno orat. 1. in Iulia. & ex Theodoreto 3. histor. cap. 26. ac etiam ex Nectario Constantinopolitano, homil. de S. Theodoro; partim hausta cognitione ex sectionibus Cæsareis in naturalis partus desperatione adhibitis, prægnantibus superstitibus, aut confestim ab earum obitu; tanta lux affusa est rei anatomicæ in hac parte; vt iustum non sit de contrucidatione verecundiæ in dissectione vteri viuentis, & obiectu prolis ad aliquod discrimen, per matris dissectionem cogitare, eam ob causam.

CAPVT XIII.

De sectione matris superstitis, mortuo intra vterum fœtu.

1. HÆc vna superest circa sectionis Cæsareæ honestatem difficultas. Cum enim sectio hæc, vel sit matris mortuæ superstite fœtu, vel matris viuentis fœtum viuum aluo gerentis; vel denique matris superstitis grauatæ fœtu visceribus eius immortuo; duas primas secandi causas,& omnia cum eis nexa, hactenus prosecuti sumus. Restat ergo expedienda tertia, quod breuiter & facilè præstari poterit ex anterioribus resolutionibus.

Fœtus viuæ matri immortuus, solitarius, aut cum Vopisco.

Potest autem dupliciter contingere, vt fœtus matris superstitis vtero immoriatur. Nempe primò solitarius, secundò cum alio gemello adhuc superstite, quem dici *Vopiscum* docet Plin. l. 7. cap. 10. *Opiscum* dicendum, commentatur ibi Dalechampius, quasi ὀπίσθιον, quòd alterum ponè sequatur, abortione iam eiectum. Vtriusque generis mortuorum fœtuum, exempla suppetunt quàm plurima. Prioris generis insigne exemplum suppeditat Plinius l. 2. cap. 51. de Marcia Romana, quæ claro icta fulmine, exanimato intra eam fœtu, vixit incolumis.

Illustrissimum

Illustrissimum item est quod anno 1623. contigisse scribit Philippus Hecstetterus decade 6. obseru. casu 3. *in scholio.* Itémque aliud quod anno Christi 1545. accidisse refert Matthæus Cornax in Enchiridio Consultationum Medic. de quo infra. Huc pertinet quod scribit Ludouicus Viues libro suo 1. de anima, §. *de generatione*; Neapoli Italiæ, & in Flandria Belgica, frequens esse vt in mulierum locis, gignantur belluæ multiformes; sæpè solæ, aliàs cum infante, interdum puero à bestiolis illis semeso vel exucto. Causam refert Viues, in crassissimum maximéque putrem humorem, quo eiusmodi mulieres abundant ex alimentis brassicarum, aut potu cereuisiæ. Inde enim ait, non secus procreari in illis belluas, quàm lumbricos in vtero pueri, ex crudis fructibus: prauitas quippe receptaculi, vim inferens specificæ seminis facultati, cogit vel rem à sua specie extraneam producere, vel vnà cum ea prætereà aliud. Verùm de causa procreationis illius multiformium belluarum intra muliebrem vterum, agunt qui de Monstris, aut de humana generatione differunt. Nunc illud duntaxat ex Viue sumimus, quod testatur non infrequens esse, vt fœtus, semesus à bestiolis congenitis, fundatur vtero cui immortuus est. Cracouiensem mulieré, anno 1494. infantem ab adnato intra vterum serpente erosum, fudisse mortuum, scribit Lycosthenes. Alia quædam exempla fœtus solitarij vtero immortui, attingam postea.

2. Vt autem fœtus qui vtero immortuus est, non sit solitarius, accidere potest altero è duobus modis. Nimirum vel ita vt è duobus vno conceptu formatis, alter casu aliquo obeat ante partum, su-

perstite altero: Vel ita vt non eductis reliquiis cadaueris ex anteriore conceptu residui in vtero, mater denuò grauidata, nouum fœtum concipiat, breui ex contagio atque fœtore anterioris conceptus non excussi contingendum, & virulentissimè afflandum. De duobus geminis vno conceptu formatis, quorum alter casu aliquo intra vterum mortuus hæreat superstite altero, exemplum luculentum profert Carolus Stephanus l. 3. de dissect. part. corp. hum. cap. 2. Illustre item est quod scribit Laurentius l. 8. anatom. q. 22. visam sibi nobilem mulierem gemellos aluo gestantem, quorum vnum ineunte mense nono, mortuum emisit; alterum post septiduum enixa est, vitalem. Pertinent eodē exempla duo, quæ consignat Bahuinus in Appendice ad Roussetum §. de superfœtatione, historia 3. & 4. Et alia insuper habet Felix Platerus l. de part. mul. gener. dicatis, *ante medium.* Alterius verò calamitatis, qua fœtus nouus superinducitur reliquiis alterius conceptus non excussis, mentio est apud Aristotelem l. 7. histor. cap. 4. Stupendum est quod Schenchius recitat l. 4. obseru. medic. titulo *de fœtibus*, mulierem anno 1590. lapsam, fœtum immortuum non excussisse; eóque semper retento, bis térve concepisse, & quod mirabilius est, vitales fœtus edidisse.

3. Hæc sunt propudia initiorum, animalis vt sibi videtur ad superbiam geniti, vt alia occasione dixit Plinius l. 7. in prooemio, nec dissimiliter eiusdem libri cap. 7. Porrò idem Plinius, fœtus quocunque è propositis modis vtero immortuos, nunc *abortus* simpliciter vocat, etiamsi non exeuntes, vt l. 24. c. 5. agens de Galbano; nunc *abortus mortuos*, vt

vt lib. 28. cap. 19. aliàs *partum mortuum*, vt l. 22. cap. 25. Alibi *abortum*, Indorum lingua dici *brecmaſim* teſtatur, nimirum l. 12. cap. 7. quo tamen loco vbi vulgati Codd. habent *abortum*, Chiffletius l. 2. dædalmatum cap. 15. de his fœtuum vtero immortuorum variis apud priſcos appellationibus diſſerens, teſtatur in M. S. veteri codice legi *mortuum*, & pro *brecmaſi* legi *brima*. Diſtinctio autem *aborſus*, & *abortus*, quam tradit Ludouic. Bonaciolus cap. 6. Enneadis mul. priore voce fœtum mortuum primis vitæ menſibus, poſteriore fœtum ſub partus tempora defunctum denotans, non videtur vſu recepta.

Sectio matris ſuperſtitis, ad fœtum ſolitarium vtero immortuum educendum, licita, affulgente ſpe boni euentus.

4. His ita conſtitutis, ſi quæratur, an ſectio Cæſarea fœtu ſolitario matri immortuo ſit licita, reſpondendum eſt, omnino licitam eſſe, ſi concurrant quæ ſuperiùs popoſcimus, vt ſectio matris ſuperſtite fœtu, careat labe. Nimirum ſi ſpes ſit, matrem cuius ſolius in hoc euentu habenda eſt ratio, non eſſe perituram vi ſectionis. Poterit enim hac ratione leuari infelici onere; quo fortaſſis perdetur niſi per ſectionem eximatur. Et ſanè quibuſdam benè id ceſſit. Scribit enim Marſilius Cagnatus l. 4. var. cap. 9. *in fine*, & pleniùs Matthias Cornax in Enchirid. Medic. conſult. pag. 188. compendio expreſſus à Sennerto l. 4. p. 2. ſect. 6. cap. 8. *initio* anno 1549. Viennæ Auſtriæ mulierem poſt geſtatum quadriennio fœtum mortuum, ſecto tandem abdo-

mine & vtero, leuatam fuiſſe diuturno illo onere & ſanitati reſtitutam, ſalua etiam fœcunditate, nam poſtea quoque concepit. Nec diſſimilem narrationem habet Philippus Hecſtetterus decade 6. obſer. caſu 3. *in ſcholio.* Hinc ergo iunctis aliis quæ ſuperiùs adducta ſunt, tractando de ſectione prægnantis ſuperſtitis fœtu item ſuperſtite, manifeſtum efficitur, ſi mater ſperetur non peritura vi ſectionis, & aliud remedium expeditius non ſit ad manum, ſed Medici iudicent ſectionem fore remedium maximè opportunum, fas omnino eſſe, ſecare mulierem ad eximendum infelix onus, cum de eius interitu conſtiterit, ad quod ſigna ſuppeditabit Paræus lib.24. cap.31.

Non tamen cadit ſub obligationem.

5. Dixi duntaxat, fas eſſe id præſtare; non dixi autem mulierem obligari ſectionem ſubire in hoc euentu: quia cum agatur tantùm de vita mulieris, & remedium ſectionis ſit valdè difficile, ac refertum acerbitatis, poterit facilè mulier nolle vitæ protogationem tam carò emere. Neminem quippe teneri vitam conſeruare adhibitis remediis ſummorum cruciatuum illatiuis, ſuperiùs notatum eſt cap. 6. Quid quod ſectio non eſt vnicum artis remedium, ad mulierem in hoc euentu conſeruandam? Imo rarum eſſe, vt ad ſolam fœtus iam mortui eductionem adhibeatur ſectio, notauit Sennertus l. 4. p.2. ſ. 6. c.8. eo quod tunc fœtus vel medicamentis extrahi, vel Chirurgico opere citra ſectionem educi, vel denique naturæ conniſu expelli particulatim poſſit.

6. Medicamen

6. Medicamentorum extrahentium fœtus mortuos, meminit Moschio cap. 16. excerptorum, vel in Græco Cod. c. 154. & Plinius l. 20. cap. 8. & 9. & 13. & 14. ac 22. Et lib. 21. c. 20. & 21. ac lib. 22. c. 21. sæpéque alibi. Operis Chirurgici ad extractionem fœtus demortui vt salua sit mater, meminit Tertullianus l. de anima, cap. 25. & latè Iacobus Ruffius l. 3. de muliebr. cap. 6. ac Paræus l. de hom. gener. c. 26. post Albucasim lib. 2. meth. med. c. 76. & 77. Depulsi denique naturæ impetu particulatim cadaueris infantilis vtero abditi, exemplum luculentum recitat Cagnatus oculatus testis l. 4. variar. obseru. cap. 9. Ait enim Romæ anno 1571. plebeiam mulierem, immortuum vtero infantem gestasse, diúque cum morbo luctatam, cæcutientibus Medicis, ac ne grauidam quidem cogitantibus, tandem tumore præduro imi ventris fuisse liberatam & sanitati restitutam, postquàm via qua venter deiicitur, fœtus humani carnes in frusta diuisas, & ossa separata (quæ tumoris prædicti materia fuerat,) sponte naturæ emisisset. Cum cadauer reiici non posset, qua naturaliter debebat, aliam illam viam aggressa est natura. Vterus recto intestino coaluerat. Itaque vlcus commune, sponte peruium factum, præbuit ossibus & putridis carnibus aditum ad intestinum, eóque putens sarcina per auersa corporis feliciter depulsa est, muliere ad multos annos incolumi. Non ausim affirmare similitérne solo naturæ impetu acciderit, quod scribit Albucasis lib. 2. method. med. cap. 76. de muliere quæ mortui fœtus ossa per vmbilicum emisit, & postea superstes fuit. Quæ enim ibi narrat Albucasis interuenisse supra naturæ vim, medicum quoque arti-

ficium ferre videntur. Illud ergo potiùs addiderim, quod est priori exemplo cuius se oculatum testem præstabat Cagnatus, planè geminum, narratúrque à Ioanne Langio l. 2. epistol. Medic. in 39. nempe vxori cuiusdam Andreæ Seidlen, appetente partu, obiisse & computruisse in vtero fœtum; de cuius cruribus & cerebello, ossa denigrata & carie obsita, cum mulier ob intestini exulcerationem alui profluuio laboraret, excreta sunt post annum decimum; non per vteri ostiolum, sed per anum, diu postea superstite muliere, quod incredibile videri posse, negat Langius cum tanta sit vteri & intestini recti vicinia: vteri quippe ceruix, intestino recto incubat. Vnde confirmatur dictum Oribasij l.9. Synops. cap. 51. affirmantis, abscessus vteri quandoque per os eius rumpi, quandoque per vesicam, ac sæpè etiam per intestinum rectum emitti. Addit idē Langius, ex Achille Medico Augustano, exemplum alterum, de muliere suæ regionis: quæ cum diu fœtum mortuum in vtero gestasset, tandem eum marcidum, per apostema in iliis suppuratione apertum, frustillatim eiecit incolumis. Nec omittendum quod prodit Ludouicus Guionus l. 5. de pulchritud. & sanit. corpor. cap. 25. visam sibi mulierem, quæ infantem in vtero mortuum, ibíque longo situ putrefactum, tandem superstes & incolumis eiecit, primùm quidem carnibus putrefactis aquæ specie emissis cum lotio: deinde verò ossibus sigillatim, per foramen sub vmbilico enatum, è quo naturæ impetu prosiluerūt. Prostant apud Paræum lib. 25. cap. 16. in hanc rem exempla, & apud Felicem Platerum l. de partib. mulier. gener. dicatis, *ante medium.*

In

In tot igitur viis artificiosis excutiendi inutile pondus vteri, fas erit mulieri, non admissa sectione Cæsarea aliam eligere: nisi malit cum resignatione & subiectione plena ad nutus omnes diuinæ prouidentiæ, præstolari patienter naturæ impetum, si fortè per eum, vt in exemplis proximè memoratis, extrudatur fœtus mortuus, qui solitarius vteri tumulo insidet.

Similis sectio in Vopisci gratiam, & licita, & necessaria.

7. At si cum fœtu mortuo alter superfit viuus, & de vtriusque coexistentia constet; siue per abortiuum anterius conceptione secunda non emissum, siue per alia signa immortui vtero fœtus quæ Medici tradunt; & semel ac iterum Hippocrates l. de superfœtat. desperetur autem partus naturalis, respectu fœtus superstitis; ac denique mater speretur par futura sectioni, nec mortem vi eius oppetitura; tunc non modò licitum, sed etiam ex graui charitatis obligatione necessarium est, adhiberi sectionem Cæsaream, vt fœtus qui incolumis intra vterum restat, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hoc constat ex disputatis toto cap. 6. Imo in hoc euentu longè vrgentior est necessitas infantis, quia nisi per sectionem citò succurratur, celeriùs peribit ob contagium à cadauere adiuncto. Ea ergo charitatis obligatio, qua monstrauimus, infanti ob præclusum partum naturalem morituro absque Christiana initiatione, & in æternum perituro, deberi beneficium exemptionis ex vtero per matris sectionem, habet vrgentiorem locum in hoc euẽtu.

Posse

Posse autem in eo prodesse sectionem, monstratur illustri exemplo quod recitat Marcellus Donatus l. 4. histor. Med. mirab. cap. 21. de muliere circa Mantuam anno 1540. cui è duobus gemellis, vnus intra vterum mortuus est, & sectione Cæsarea eductus, superstite altero & intra vterum relicto; vnde postea stato tempore naturali modo prodiit, vsquequaque sanus & valens.

CAPVT XIV.

Embolum Iuridicum; Iurisperitorum de sectione Cæsarea, & exempto per eam fœtu controuersiæ indicatæ, & diiudicatæ ex antedictis.

1. INDICATÆ inquam, non enim diffusè agitatæ & expassæ, sed breuiter tantùm tactæ, ne quandoquidem Theologos ac Medicos in hac causa audiuimus, Iurisperitos qui circa eam quoque occupantur, prorsus prætériisse videamur, præsertim cum duo quæ de sectione Cæsarea apud eos disceptata animaduerto, diiudicari facilè queāt ex antedictis. Duorum illorum vnum, generale est, spectátque ad quamcunque prolem sectione Cæsarea eductam, siue vnam, siue multiplicem. Alterum restringitur ad multiplicem prolem luce coniūctim donatam, & coniunctim procreatā in eodem vtero.

Cæsonem,

Cæsonem, non censendum natum, nec iuribus natorum potiri, qui censuerint.

2. Generatim ergo controuertitur, an qui secto matris vtero venit ad lucem, habendus sit natus mulieris illius, ita vt potiatur prærogatiuis omnibus ac iuribus, nominatim successionum quibus frui deberet, si naturali partu ex hac fœmina editus esset. v. g. si auus Testamento suo edixerit, vt *proles si quam Berta pepererit, vel ex ea, fuerit nata; accipiat de bonis meis aureos mille*; quæritur, num posito quod Berta non sit naturaliter enixa, atque adeò non pepererit, nec natus sit ex ea infans, sed per sectionem Cæsaream sit exemptus gaudere debeat auita illa largitate, & mille aureos perinde ac si natus & partu editus esset, accipere.

Partem negantem amplexus est Paulus Castrensis ad l. *quod certatum.* C. de posthum. hæred. inst. vbi etiam Iason, & Iacobus de S. Georgio. Subscribit Purpuratus l. 1. consil. 158. num. 4. & Curtius Iunior l. 3. consil. 329. num. 6. & 7. aliíque nonnulli: eo maximè nixi fundamento, quod vt habet Paulus Iurisconsultus l. *anniculus.* ff. de verbor. signif. *falsum est eam peperisse, cuius filius exectus est.* Quod dictum valdè celebrant Angelus, Alexander, & alij ad l. *quod dicitur,* ff. de liber. & posthum. Indidémque multi adducti à Tiraquello ad l. *si vnquam.* C. de reuoc. don. V. *susceperit liberos,* num. 140. excludunt Cæsonem à legato relicto, soboli quam mater pepererit. Confirmatur, quia Cæsones, vt videre est apud Guttierrem l. 2. pract. qq. q. 101. num. 3. habentur abortiui. Igitur non

sunt

sunt partus naturales, & soboles ex huiusmodi matre nata, cui tamen soli addictum supponstur legatum.

Refelluntur, attento iure communi.

3. Contraria sententia, quæ affirmat Cæsones iisdem potiri iuribus, quibus potirentur si naturali modo editi fuissent, est longè communissima & verissima. Tradit eam Gulielmus Benedictus ad cap. Raynutius de Testam. V. *& soboles quam gestat in vtero*, num. 64. Guttierres q. illa 101. Tiraquellus loco citato num. 141. & seqq. Alfonsus Carranza de partu cap. 6. §. 1. qui alios permultos adducunt, & proferri sanè possunt omnes illi qui docent Cæsones esse verè filios matrum è quibus eximuntur, & vt filios earum habendos atque tractandos, etiãsi non sint per partum suscepti; quem esse communem sensum Iurisperitorum, habetur ex Alciato l. *etiam* 141. ff. de verb. signific. vbi disertè id tradidit Vlpianus, & l. 1. §. *si qua pragnans*. ff. *vnde cognati*. & l. *quod dicitur*. ff. de liber. & posthum. ac perspicuè l. 1. ff. ad S. C. Tertull. vbi statuitur, exesto matris ventre editum, ad legitimam matris hæreditatem esse admittendum, & institutum secundùm tabulas esse censendum, ac vnde cognati & legitimi possessionem bonorum ab intestato petunt, eum quoque petere illam posse.

4. Meritò quidem concedit Brissonius l. 11. de verb. signif. V. *nati liberi*, si insistatur nudo verborum cortici, cæsonem non debere dici *natum*; ídque ferre nonnulla iura, in quibus *natus* ab eo qui post mortem matris exsecto ventre eius extractus

tractus est, separatur, vt l. 13. §. *ex omnibus*, ff. de Publicia. & l. 6. ff. de inoffic. testam. Nec secus est de eo qui matri superstiti eximitur, cum eadem vtriusque sit exemptio, & ortus non naturalis ratio: Addit tamen idem Brissonius, rationem facere, vt de nato propriè ac strictè dicto, & de eo qui exciso vtero editus sit, idem censeri debeat. Idque manifestissimè exigit voluntas testatorum, alitérve de bonis suis disponentium in fauorem descẽdentium ex tali muliere: quod enim ad eorum affectum attinet, perinde est quomodocunque proles ad lucem veniat, & ex substantia talis mulieris sit procreata, & intra eam concepta, quod propriè fundat rationem ac denominationem *filij*, vt cap. 1. vidimus: atque adeò etiam sufficit ad denominandum aliquem extensa voce *natum*, provt *natus* cum *filio* confundi solet. Hæc dixerim attento iure communi.

Quid ferant iura specialia, ea in parte.

5. Spectato tamen speciali iure variarum prouinciarum, quicunque cæsones non potiuntur prærogatiuis natorum propriè dictorum. Alicubi enim, si fœtus statim ac lucem vidit moriatur, habetur pro non nato & extraneo. Ita referunt Mantica l. 11. coniect. tit. 6. num. 11. & Giurba in consuetud. Messan. cap. 8. glossa 2. & cap. 1. glossa 4. Vnde si in illis oris, infans qui per sectionem educitur è matris vterò, mox à sectione expiraret, non potiretur prærogatiua legati, vel successionis qua alibi potiretur: sed hoc illi in eo euentu commune est cum propriè nato, qui similiter mox à natiuitate efflaret

sunt partus naturales, & soboles ex huiusmodi matre nata, cui tamen soli addictum supponitur legatum.

Refelluntur, attento iure communi.

3. Contraria sententia, quæ affirmat Cæsones iisdem potiri iuribus, quibus potirentur si naturali modo editi fuissent, est longè communissima & verissima. Tradit eam Gulielmus Benedictus ad cap. Raynutius de Testam. V. *& soboles quam gestat in vtero*, num. 64. Guttierres q. illa 101. Tiraquellus loco citato num. 141. & seqq. Alfonsus Carranza de partu cap. 6. §. 1. qui alios permultos adducunt, & proferri sanè possunt omnes illi qui docent Cæsones esse verè filios matrum è quibus eximuntur, & vt filios earum habendos atque tractandos, etiāsi non sint per partum suscepti; quem esse communem sensum Iurisperitorum, habetur ex Alciato l. *etiam* 141. ff. de verb. signific. vbi disertè id tradidit Vlpianus, & l. 1. §. *si qua prægnans.* ff. *vnde cognati.* & l. *quod dicitur.* ff. de liber. & posthum. ac perspicuè l. 1. ff. ad S. C. Tertull. vbi statuitur, execto matris ventre editum, ad legitimam matris hæreditatem esse admittendum, & institutum secundùm tabulas esse censendum, ac vnde cognati & legitimi possessionem bonorum ab intestato petunt, eum quoque petere illam posse.

4. Meritò quidem concedit Brissonius l. 11. de verb. signif. V. *nati liberi*, si insistatur nudo verborum cortici, cæsonem non debere dici *natum*; ídque ferre nonnulla iura, in quibus *natus* ab eo qui post mortem matris exsecto ventre eius extractus

tractus est, separatur, vt l.13. §. *ex omnibus*, ff. de Publicia. & l.6. ff. de inoffic. testam. Nec secus est de eo qui matri superstiti eximitur, cum eadem vtriusque sit exemptio, & ortus non naturalis ratio: Addit tamen idem Brissonius, rationem facere, vt de nato propriè ac strictè dicto, & de eo qui exciso vtero editus sit, idem censeri debeat. Idque manifestissimè exigit voluntas testatorum, alitérve de bonis suis disponentium in fauorem descēdentium ex tali muliere: quod enim ad eorum affectum attinet, perinde est quomodocunque proles ad lucem veniat, & ex substantia talis mulieris sit procreata, & intra eam concepta, quod propriè fundat rationem ac denominationem *filij*, vt cap. 1. vidimus: atque adeò etiam sufficit ad denominandum aliquem extensa voce *natum*, provt *natus* cum *filio* confundi solet. Hæc dixerim attento iure communi.

Quid ferant iura specialia, ea in parte.

5. Spectato tamen speciali iure variarum prouinciarum, quicunque cæsones non potiuntur prærogatiuis natorum propriè dictorum. Alicubi enim, si fœtus statim ac lucem vidit moriatur, habetur pro non nato & extraneo. Ita referunt Mantica l. 11. coniect. tit. 6. num. 11. & Giurba in consuetud. Messan. cap.8. glossa 2.& cap.1. glossa 4. Vnde si in illis oris, infans qui per sectionem educitur è matris vterò, mox à sectione expiratet, non potiretur prærogatiua legati, vel successionis qua alibi potiretur: sed hoc illi in eo euentu commune est cum propriè nato, qui similiter mox à natiuitate

efflaret

efflaret animam. Apud Hispanos teste Guttierre l. 2. pract. qq. in 101. num. 5. & 6. vt Cæso potiatur prærogatiuis fœtus naturaliter nati, habeatúrque filius quoad hæreditatem & iura liberorum, exigitur vt totus extrahatur viuus, & horis 24. sit superstes, ac baptismo donetur. Et multo plus etiam deposcit Alfonsus Carranza l. de partu natur. cap. 6. sect. 1. num. 14. Vt enim Cæso iuribus liberorum potiatur, deposcit vt sit temporis legitimi ac planè maturus fœtus, ita vt ad naturalem partum aptus fuisset, quantum ex ipso erat; ac denique ita sit affectus, vt postquam ex vtero eductus fuerit, possit viuere.

6. Nobis sistendo in iure communi, & speciali variarum prouinciarum iure dimisso, sufficit dicere quod ex constitutis cap. 1. apertè habetur, nempe quod tametsi Cæso, propriè & in rigore loquendo, nec pariatur à tali fœmina, nec ex ea nascatur; tamen cum ex eius sanguine sit formatus, meritò habetur tanquam ex ea muliere natus, & admittitur ad hæreditatem vel legata, natis ex ea liberis constituta. Esto testator, quia sperabat partum fore naturalem, apposuerit Testamento alterive dispositioni pro sobole illius matris, talem clausulam, *si pepererit*; vel illam, *nata ex ea proli*. Quia enim dummodò effectus habeatur, non curatur de modo, vt dicitur l. *si mater* 3. Cod. de institut. & substitut. meritò ius commune ad aliquem pro nato habendum, spectari duntaxat voluit formationem ex tali fœmina, & fœtus vitalitatem, quantum est ex vi formationis.

Vter

Vter è gemellis Cæsonibus, iure primogenituræ donandus.

7. Secundum de quo inter Iurisperitos controuerti aiebam quoad Cæsones, pertinet ad euentum duplicis aut etiam multiplicis fœtus æquè capacis, si eadem sectione Cæsarea extrahatur ex vtero, & educatur ad lucem. Ambigitur enim vter duorum masculorum, si contingat eos è dissecto matris vtero eximi, habendus sit primogenitus, & iuribus primogenitorum donandus. Franciscus Aretinus ad l. *ex duobus.* ff. de vulg. & pupill. substit. existimat, in eo euentu dubium esse dirimendum adhibita sorte. Malunt alij dimitti sortitionem, quæ fortuitum quid est, nec postea arrideret deiecto: Volunt verò attendi, vter Cæsonum priùs lucem aspexerit. Ita ex Molinæo Mieres tract. de maiorat. parte 4. q. 20. num. 195. Sed quid si (vt facilè posset accidere,) ita peracta sit sectio, vt ambo lucem aspexerint eodem planè tempore, nulláque valuerit notari distinctio inter tempus aut momentum quo vterque apparuit? Quare consultius videretur, in prorsus pari talium infantium causa, diuisione iurium vti, & ex æquo partiri bona, aliásve prærogatiuas iure primogenituræ obuenturas ei qui simpliciter esset primogenitus. Quem dicendi modum, in causa non absimili inter duodecim alios à se prolatos, magis approbat Tiraquellus in Opere de iure primigen. quæst. 17.

Quid si mater, esset Regina?

8. Longè implexius dubium est, an hæc resolutio extendenda esset ad gemellos mares è Regina quapiam dissecta eductos. Videtur enim par ratio, regni ac primogenij alterius cuiuscunque; ita vt in omni planè euentu, tanquam æquitati valdè congrua, approbetur diuisio iurium ex æquo facta: quia cum in pluribus Cæsonibus eadem opera simul eductis ad lucem, sit idem prorsus fundamentum prærogatiuarum ac iurium quorumcunque; non apparet cur omnes non debeant æquales esse, quoad iura fundamentum illud consequentia, quæcunque tandem sint illa iura, & ad quæcunque & quantacunque bona terminentur. Et ita Tiraquellus, ac ex Tiraquello Molina Iurisp. l. 3. de Hisp. primog. cap. 1. n. 22. Sed reclamat Molina Theologus tract. 2. de Iust. disp. 624. & idem ferè habet Carranza l. de partu natur. & legit. cap. 6. sect. 1. n. 21. causati turbas è diuisione regni consecuturas, & monarchiæ euersionem: proindéque existimātes, in eo Metaphysico euentu, fore penes populum potestatem eligēdi sibi quem è gemellis mallet in Regem. Qui dicendi modus, ob peculiarem rationem huius iuris & hæreditatis, quam tāti interest seruari integrā, & tranquillè possideri ab vno duntaxat, apparet valdè consentaneus rationi; si is cuius iura ad alterū è Cæsonibus deuoluenda sunt, mortē obierit. Nam eo superstite, penes ipsum esse videtur illa facultas alterutrum è gemellis designandi Regem. Populus quippe iampridem in eum transtulit ius suum, quodcunque habere potuit circa regni rectionem, & administrationem.

ERROR

ERROR
POPVLARIS,
DE COMMVNIONE PRO MORTVIS,

Discussus à R.P. THEOPHILO RAYNAVDO, *Societatis* IESV *Theologo.*

Gustus Operis, cui titulus est, HETEROCLITA SPIRITVALIA, ET ANOMALA PIETATIS.

V 2

Falſa ſunt abiicienda remedia, quæ veris ſunt periculis grauiora.

Innoc. 3. cap. *de homine*, de celebr. Miſſarum.

ERROR POPVLARIS DE COMMVNIONE PRO MORTVIS.

I. ACcesseram ad officiosæ salutationis munus exhibendum Nobilissimo & Reuerendissimo D. D. Abeli de Savtereav, Biscavdvnensi Abbati, Viro vndecunque Ornatissimo, & speculo insigni prærogatiuarum illarum, queis Philo Iudæus l. quis rerum diuin. hæres, & de more ex Philone S. Ambrosius l. 2. de Abraham cap. 9. senectutem bonam definiunt, eximiæ inquam prudentiæ, & vitæ integerrimæ, quæ Christianum illum Nestorem exquisitè commendant. Aderant viri graues & honesti complures; & ex sacra quadam familia arctioris instituti, religiosissimi Patres duo. Nomina exciderunt; sed eorum vnus, non minùs externa specie, quàm sanctimonia, B. Hilarionem, qualis à D. Hieronymo iam maturus describitur, præferebat. Sub sermonem de rebus piis, fuit qui regustaret verbulum, præter expectationem, (vt aiebat,) à se exceptum in matutina sacra

 dissertatione

diſſertatione noſtra, de vſu ſacramentorum. Cum enim obiter dictum à nobis eſſet, ſacramenta nonniſi ſumentibus proficere, atque adeò attenta vi & efficacitate Sacramenti, provt Sacramentum eſt, inutilem eſſe abuſionem, communicare pro mortuis: Ingeſſit hoc is quem dixi matutinus Auditor in colloquium, ſuámque anteriorem praxim ex piorum & eruditorum hominum doctrina, communicandi in gratiam defunctorum, ingenuè eſt profeſſus. An vt illorum quos memoraui Religioſorum Patrum ſtudium acueret, in propugnando quem ab iis hauſerat vſu? Non eſt ſanè ſpe ſuà falſus, ſi id captauit. Alter quippe eorum, & ætate maior, & obitis inter ſuos muneribus clarior, alacriter ac copiosè pro pio illo vſu iuuandi per communionem mortuos diſputauit. Cúmque colliſis inuicem vt aſſolet, rationibus, lux veritatis, velut ignis ex attritu diſſiliret, quæ eſt diſputationis vtilitas à Boëtio 5. de conſol. proſa 12. ſcitè notata; præſidium ſuo illi vſui quæſiuit ab autoritate duorum è noſtris qui editis piis quibuſdam lucubrationibus, hunc fructum iuuandi defunctos, omnibus aliis ſacræ communionis effectibus prætulerunt. Prolata ac perlecta ſunt horum Autorum loca, nec gutta guttæ ſimilior viſa, tam iiſdem vterque verbis ſuam expreſſit mentem, & fideliter ex eis allegatam à religioſo concertatore ſententiam; in qua agi de fructu illo communionis quem *ex opere operato* nominant, perſpicuum eſt; alioqui non eſſet iſte præſtantiſſimus omnium perceptæ Euchariſtiæ effectuum, ſiue res collata ſpectetur, ſiue conferendi modus, vt vel perfunctoriè conſideranti liquebit: planéque hoc ſenſu, & Autores

prolatos

prolatos accipiebat, & mentem suam exprimebat, concertator. Qui insuper cum aliis eiusdem vsus patronis, inde extollebat hoc subsidium defunctorum, quod eius efficacitas non periclitetur à labeculis venialibus, quæ in aliis subsidiis per nudum opus operantis constitutis, quasi muscæ morientes, perdunt plerunque suauitatem vnguenti; subsidiúmque reddunt malum & nullum ac mortuo inutile. Id verò clarè fert, opus operatum Sacramenti.

2. Diffiteri porrò non licet, quin apud alios item permultos idem vsus communicandi pro mortuis increbuerit. Notus mihi est paganus Apostolici zeli concionator, qui vicos & castella infatigabili studio circumiens, non alio magis incentiuo ad sacram Synaxim vrget Auditores, quàm subsidij ac leuaminis per communionem sacram conferendi animabus illis quæ emendatoriis ignibus sordes in vita contractas defricant. Exhibet enim piè ac potenter, miserrimum statum animarum illarum, & quantæ sit charitatis aliqua eis opitulatione præsto esse, demonstrat graui ac forti oratione: quam obsignat suggestione variorum modorum iuuandi afflictissimas animas; sed præsertim vt sacrificij per Sacerdotes, ita communionis per alios. Id quippè vnicum ferè est huius vsus fundamentum, apud eius buccinatores. Tametsi in eorum gratiam, varia quæ fortasse non obseruarunt; (ab illis certè non proferuntur;) adducere placet, quibus confirmari posse videtur, sanctam & salubrem esse cogitationem, communicare pro mortuis.

Quæ videantur, communionem pro mortuis ex opere operato vtilem, ſuadere.

3. Videri igitur poſſit ſuffragatus huic vſui Gerſo parte 3. Epiſtola de pia memoria defunctorum, *ſub finem*. Ibi amico quem ad iuuandos Chriſtianè mortuos informat, diligenter commendat, vt inter aſſiſtendum ſacro, quo tempore Sacerdos Chriſtum Patri offert, & defunctos generatim, & notos, iuuet apud Deum ex nomine. Tum ſubdit. *Quotieſcunque etiam ad perceptionem corporis Christi te præparas, & perceptum tecum habes; eſto quæſo memor fidelium defunctorum, & implora tanto ardentiùs miſericordiam eius, quanto certiùs retines in te pignus æternæ redemptionis.* Clariùs idem præfertur, verbis quæ ex Scoto quodlibeto penultimo, adducit & approbat Ioannes Nider ad 7. decalogi præceptum cap. 9. *litera E.* Cum enim dixiſſet, & S. Gregorij autoritate confirmaſſet, oblationem altaris, ſuper omnia defunctorum ſubſidia, illis proficere; addit. *Et dicitur hîc oblatio altaris indiſtinctè, vt dicit Scotus, ſiue ſit conſecratio, ſiue perceptio Euchariſtiæ.* Ipſiſſima ſunt Scoti verba, quo vno ſuffragio continentur innumera. Quem enim latet, quàm multi & eruditione & pietate præſtantes, in Scoti ſententias iurent? Nec immeritò. Nam Scotus vt ſubtilitate & acumine inter ſcholaſticos facilè princeps, ita doctrinæ vbertate & ſoliditate nulli ſecundus, inter patricias ſcholæ familias vnam cum primis populoſam & nobilem ductat, haud impar aſſeclis.

4. Quid quod S. Thomas in 4. d.45. q.2. art.3. quæſtiunc.

quæstiunc. 1. ad 3. consentire apertè videtur? Cum enim obiecisset; videri baptismum ac cætera Sacramenta posse suffragari mortuis, æquè ac Sacramentum Eucharistiæ, respondet: *Ad tertium dicendum quod baptismus est quadam spiritualis regeneratio. Vnde sicut per generationem non acquiritur esse nisi generato; ita baptismus non habet efficaciam nisi in eo qui baptizatur, quantum est ex opere operato: quamuis ex opere operante vel baptizantis vel baptizati, possit aliis prodesse, sicut & catera opera meritoria. Sed Eucharistia est signum Ecclesiastica vnionis, & ideò ex ipso opere operato, eius efficacia in alterum transire potest, quod non contingit de aliis Sacramentis.* Quid clarius? Nam Eucharistiã, etiam provt Sacramentum est, esse symbolum Ecclesiasticæ vnionis, nemo in dubium reuocat, & apertè asseritur à S. Dionysio cap. 3. Eccles. Hierar. part. 3. & à S. Cypriano epistol. 63. quos affectatus est S. Augustinus lib. 7. de baptismo cap. 49. & tract. 26. in Ioan. & optimè serm. ad infantes qui habetur apud S. Fulgentium in calce libri de baptismo Æthiopis. Præclarè item compactionem materiæ huius sacramenti è pluribus & granis & acinis in vnum adunatis, ad insinuandam animorum vnitatem ex hoc mysterio, proponunt Cyprianus & Augustinus locis allegatis. S. Chrysostomus hom. 24. in 1. ad Cor. ad illud, *vnus panis multi sumus.* Eucher. homil. 5. de Pasch. & Autor sermonum ad fratres in eremo serm. 28. Optimè idem intelligitur ex vsu veterum mittendi Eucharistiam in signum concordiæ. Sic enim apud Eusebium 5. histor. cap. 24. legitur, in fragmento epistolæ S. Irenæi ad Victorem Papam. Et idem habetur in prato spirit. c. 29.

V 5 Et

Et alia loca addenſat Eſpencæus l. 2. de Euchar. c. 4. contendens, in hunc finem & non tantùm ob ægrotos, aſſeruari iam olim ſolitam Euchariſtiam. Multa præclarè de Euchariſtia vnitatis fidelium ſymbolo Petrus Lombardus in cap. 11. prioris ad Corinth. Subnecto Diuo Thomæ Nicolaum Cabaſilam, Theſſalonicenſem Antiſtitem longè doctiſſimum. Nam etſi contra S. Thomam ex profeſſo ſcripſit, in hoc tamen puncto conſentit, vt videre eſt in expoſitione Liturgiæ cap. 42. 43. 44. & 45. Quibus locis ex inſtituto confirmat, non modò Miſſæ ſacrificium defunctis prodeſſe cum pro eis offertur, ſed etiam communionem.

5. Inter Patres S. Auguſtinus videri poſſit aſtipulatus lib. 6. confeſſ. cap. 2. Vbi refert vſum illius temporis afferendi ad memorias ſanctorum, (hoc eſt loca ſacra eorum cultui dicata, in quibus fideles tumulabantur,) pultes, ac panem, & merum; iuxta illud Tobiæ, *panem tuum, & vinum tuum, ſuper ſepulturam iuſti conſtitue*; erogandum ſcilicet in pauperes, aut in ſacros miniſtros in defunctorum ibi humatorum ſubſidium. Ex eo vſu apud Africanos celeberrimo, S. Monicam matrem ſuam, caniſtrum cum ſolemnibus epulis intuliſſe in defunctorum memorias, ſcribit eo loco S. Auguſtinus: addens, cum S. Ambroſius Mediolani ad abuſus præcidendos ea quaſi gentilium parentalia aboleuiſſet, piam fœminam *abſtinuiſſe ſe libentiſſimè, & pro caniſtro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus afferre doctam; & vt quod poſſet daret egentibus, & ſic communicatio Dominici corporis illhic celebraretur.* Vtique in bonum defunctorum illhic tumulatorum, quorum leuamini omnis illa epularum

larum appoſitio addicebatur. Quid clarius in rem noſtram? Sed & Petrus Cluniacenſis lib. 1. miracul. cap. 11. *in fine*, teſtatur animam Bernardi Groſſi, expetiiſſe adiuuari Sacramentis Cluniacenſium; non aliis ſanè quàm Euchariſtiæ ſubinde à ſingulis perceptæ: quæ ſubſidia negat Petrus Cluniacenſis fuiſſe expetituram piam illam animam in ignibus emendatoriis decoquentem labeculas peccatorum, niſi efficacia ad ſubueniendum eſſe perſpexiſſet.

6. Accedunt diuina viſa, & praxes Sanctorum. Apud Bloſium in Monili ſpirit. cap. 6. ſic habetur. *Anima cuiuſdam defuncti, cuidam Dei amico in flamma ardoris immenſi apparens, dixit ſe ea ſola de cauſa tam diris cruciatibus torqueri, quod circa Dominici corporis perceptionem fuiſſet negligentior; addiditque, ſi vel ſemel venerabile Sacramentum deuotè pro ſe accipere dignaretur, ſe mox liberãdam. Quod cum ille Dei amicus feciſſet, ſequenti die anima eidem Sole fulgentior atque micantior apparuit, vnica illa digniſſimi Sacramenti huius perceptione, ab intolerabilibus pœnis liberata, atque ad cœlum & æternam beatitudinem euecta.* In vita B. Ioannæ à Cruce cap. 7. narratur, eam ex ipſius Chriſti mandato, pro vna anima in Purgatorio detenta communicaſſe, inque eam rem accepiſſe ab Angelo Euchariſtiam. De B. Gertrude l. 3. diuin. inſinuat. cap. 18. *ſub finem*, ſcribitur eam à Chriſto expetiiſſe inter communicandum, vt vi perceptionis ſacræ Euchariſtiæ, tot animas è Purgatorio eriperet, quot eſſent particulæ, in quas ſacræ ſpecies, ſeu panis exuuiæ ori illatæ diuiderentur; annitente ſtudioſè pia Virgine, vt in quàm plurimas particulas dearticularet ſacram hoſtiam. Ratam habuit Chriſtus Dominus,

minus, (vt ibidem additur,) petitionem ancillæ ſuæ; tametſi ſupra votum,eius ſe deſiderio reſponſurum, & multo plures animas vi communionis vnius per eam obitæ, quàm ipſa ſignaſſet, ereptu-rum è piaculiaribus flammis ſpopondit.

De Ioanne Ximenes temporali adiutore Societatis noſtræ, homine religioſis virtutibus excultiſſimo, teſtatur Ludouicus Pontanus in vita Patris Baltaſaris Aluares cap. 45. §. 2. eum iuuandis animabus in Purgatorio detentis fuiſſe addictiſſimum: & in eam rem omnia ſua opera bona conferre ſolitum, ſed nominatim communionem ſacram,quod eſt operum bonorum optimum. Itaque non contentum diebus duntaxat Dominicis participare diuinis myſteriis pro more cæterorum domeſticorum, aliis prætereа feſtis diebus exorare ſolitum ad ſacram menſam acceſſum; quem etiam priuſquàm ad ſuperiorem adiret, in miſerarum illarum animarum bonum, offerebat Deo. Quod ſtudium procedente tempore ſemper in eo auctius fuit, & diuino viſo admonitus, annis compluribus ante exceſſum è vita, diligentiſſimè excoluit. In hoc teſtimonio non modò boni illius Ximenij ſenſus attendendus eſt, tametſi Deus qui non reſpicit perſonam hominum & cum ſimplicibus agit familiariſſimè, diuinarum rerum peritia, præ multis ſapientibus ac ſcribis, & huius ſeculi conquiſitoribus eum nobilitarit: ſed ſpectandus inſuper eſt ſenſus ſcriptoris, Ludouici à Ponte, hominis & doctrina & pietate præcellentiſſimi, diuinis verò illuſtrationibus ſupra communem modum clari. Apertè enim vſum communicandi pro animabus Purgatorij, ratum habet, & ſuper omnia bonorum quorumuis operum

rum iisdem applicabilium subsidia effert.

7. Aptè vsurpabo hoc loco quæ in simili de suo cum aduersariis candore S.Chrysostomus homil.7. in epistol. ad Philipp. *Videte quàm ego ingenuè, & æquo animo, ea quæ ab aduersariis dicuntur, afferam. Tunc enim demum splendida ac redundans victoria parta erit, cum illorum argumenta quæ aliquid roboris videntur habere, minimè absconderimus. Abscondere enim, potiùs dolus est, quàm victoria.* Hoc decus, eo iustiùs vindicare mihi possum, quod non modò ea non abscondi quæ aduersarij pro se proferunt: (præter æquiparationem enim Sacramenti & sacrificij, & decus auctius Sacramenti, maiorémque eius frequentationem hinc secuturam, vix aliquid proferunt :) sed etiam quæ eorum causam promouere videri poterant, nec cogitantibus suggessi. Nunc iuxta B. Eustathij monitum, sub initium disputationis de Engastrimytho, propositis difficultatibus subnectenda acies contraria est, & quanti alterius partis firmamenta esse debeant considerandum : sic enim veritas, & pietatis soliditas cui hæc disputatio addicitur, multo faciliùs abactis offuciis effulgebit.

Sententia contraria, probatur autoritate.

8. Contraria ergo sententia, quæ communionem pro mortuis in sensu de quo agimus, hoc est ita vt eis prosit ex opere operato & vi sacramenti, habet pro explorata abusione, mihi certa est. Tradit eam S. Thomas 3.p. q.79. art.7. Ibi enim explicatissimè docet, Eucharistiam quatenus sacramentum est, soli suscipienti prodesse. Idem S. Thomas

lect.6.

lect. 6. in cap. 6. Ioan. *in ipso fine*, habet insignem locum in rem præsentem qui ex editione Romana anni 1570. & ex Lugdunensi anni 1562. describendus est. Nam in nupera editione Antuerpiensi, fœdè corruptus est, omissione aliquot vocum, & præsertim particulæ negantis: cuius ademptione, & commutatione in causalem particulam, sensus planè contrarius ei quem S. Thomas intendebat, inductus est in eum locum. Sic igitur habet is locus ex sana & antiqua lectione. *Notandum est, quod aliter est in isto Sacramento*, Eucharistiæ, *& aliter in aliis. Nam alia Sacramenta habent singulares effectus; sicut in baptismo, solus baptizatus suscipit gratiam. Sed in immolatione huius Sacramenti, est vniuersalis effectus: quia non solùm sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi pro quibus orat, & Ecclesia tota, tam viuorum quàm mortuorum. Cuius ratio est, quia continetur in ipso, ipsa causa vniuersalis omnium Sacramentorum, scilicet Christus. Nec tamen si laicus sumat hoc Sacramentum, prodest aliis quantum est ex opere operato, inquantum consideratur vt perceptio, quamuis ex intentione operantis & percipientis possit communicari omnibus ad quos dirigit suam intentionem. Ex quo patet, quod laici sumentes Eucharistiam pro his qui sunt in Purgatorio, errant.* Nupera editio quam allegabam, vel ab aliquo sciolo vt abusioni quam exagitamus suffragaretur, meditatò est interuersa, vt perspicuè factum est in eadem editione circa locum ex 1. s. dist. 44. q. vnica, artic. 3. ad 3. vbi S. Doctor conceptionem Deiparæ ab originali culpa immunem agnoscit in omnibus antiquis editionibus: Vel per oscitantiam emaculatoris Typographici, turpiter deformata est. Nam

post

post illa verba, *scilicet Christus*, sic legit. *Nam si laicus sumat hoc sacramentum, prodest alius*, quæ est manifesta textus corruptio, pugnans cum D. Thomæ instituto, & vniuersa eius ratiocinatione eo loco. Syncera ergo & antiqua lectio, est quam retulimus; sicque emaculatus locus ille, ipsis Solis radiis conscriptus in rem nostram videtur.

9. Sed quid D. Thomam testem produco, quasi non idem fuerit omnium retrò Doctorum & antiquorum Patrum sensus? Nam paucos illos qui superiùs pro abusu in quem agimus adducti sunt, infra nullo negotio expediam, monstrabóque sensisse omnia alia. Et mirum est è tam multis, qui de Eucharistia, déque adiumentis animarum Purgatorij, omnibus Christianis seculis, pleraque scriptis mandarunt, tam paucos fuisse, qui vel in speciem steterint pro aduersariis; cæteri verò ad vnum omnes, subsidium quod nunc tantoperè extollitur, nullo modo agnouerint. Imo cum Lutherani scripsissent, Catholicos arbitrari Eucharistiæ vsum iuuare defunctos ex opere operato, meram hanc esse calumniam, & nemini Catholicorum id vnquam in mentem venisse, contestatus est Bellarminus, in iudicio de libro concordiæ, Mendacio Lutherano 58. Innumeri quidem Patres & Scholastici, fructum sacrificij incruenti erga defunctos, accuratè & perspicuè celebrant. Videsis Patres quos adducit Damascenus orat. pro defunctis, & qui prostant apud Gratianum 13. q. 2. necnon apud Durantum l. 2. de ritibus cap. 43. & apud Thyræum l. de locis infestis cap. 82. ac denique qui appenduntur in Garetij & Coccij collectaneis, passímque apud Hæreseologos. Scholastici idipsum vnanimiter & latè confirmant

confirmant in 4. d. 45. Sic igitur vno ore Patres & ſcholaſtici omnes, de vſu ſacrificij Miſſæ, ad iuuandos piè defunctos in Purgatorio hærentes pronunciant. At ſacramenti Euchariſtiæ ad eundem vſum adhibendi, nuſquam & nunquam meminerunt; ſi pauculos illos initio adductos excipias, qui id in ſpeciem dixiſſe ſunt viſi; reuera autem omnia alia voluerunt, vt infra dilucidè monſtrabitur. In re autem omnium calamis & ſermonibus protrita, neminem antiquorum reipſa iuiſſe in eam ſententiam, argumento peridoneo eſſe videtur, non eſſe nobis ſerò ſapiendum.

Video hoc eſſe argumentum ab autoritate negatiua, quod non eſſe vſquequaque validum, in confeſſo eſt. Tamen in hoc negotio apud cordatos quoſque magni eſſe momenti debet. Nam de fructibus & effectibus Sacramentorum, cum non aliunde ortum habuerint quàm ex Chriſti domini voluntate, ſcripturis ſacris vel Eccleſiaſticis traditionibus expreſſa, nihil affirmare ſolidè poſſumus, præter ea quæ firmantur ſacra teſtificatione, ſaltem maiorum ſcriptis prodita, vel apud omnes rata; vſu perantiquo per manus tradito, probante Eccleſia, cui quantum ſit in Sacramentorum negotio deferendum, tradit egregiè S. Fulgentius l. de baptiſmo Æthiopis cap. 10. Igitur cum vſus quem exagitamus, nulla vſpiam extent apud antiquos veſtigia, nulla per manus iam olim tradita aſſertio proferatur; tam altum ſilentium argumento eſt admodum valido, vſum recens inductum, & fructum Sacramenti de nouo iactatum, ſoliditate deſtitui.

Item

Item ex antiquo vsu fidelium.

10. Affine eſt argumentum quod ducitur ex praxi & vſu fidelium. Videmus enim ex vſu antiquiſſimo ab ipſis Apoſtolis tradito, ſeruari in Eccleſia Catholica, vt cum quis viuorum animæ ſuæ conſultum vult, proſpiciat ſibi; curans vt in ſubſidium animæ ſuæ cum à corpore digreſſa fuerit, peragantur ſacrificia, ſiue ad id rogando ſuperſtites, vt factum à S. Monica ſcribit D. Auguſtinus 9. confeſſ. cap. 11. ſiue ſtatuendo in eam rem cenſum annuum: Alij largam ſtipem, in ſacras perſonas vel pauperes erogandam prouident, vt faciant ſibi amicos de mammona iniquitatis à quibus recipiantur in æterna tabernacula. Sunt qui ſibi piorum ſatisfactiones, vel è theſauro Eccleſiaſtico litrum apprecentur: & priuſquàm è vita excedant obteſtentur ſuos, ne horum & aliorum Catholicorum ſubſidiorum erga ipſos ſint parci, cum morte defungi contigerit. Idem ſtudium eſt cognatis circa cognatorum animas, & liberis piis erga parentes vita functos. Nominatim verò cum cadauer exanime humo inferendum eſt, conueniunt noti & propinqui ad exequias, quarum pars præcipua, vno aut multiplici pro mortuis ſacrificio continetur. Admodum verò frigeret eorum charitas in defunctos, ſi ad ſacrificia quæ leuandis ſuorum vita functorum animabus meritò curant, non adiungerent quoque communionem ſuam. At id eſſe contra vſum omnium regionum, nemo non videt. Nec eſt quod fortaſſis obtendatur mœror, & turbatio cognatorum in ſuorum obitu. Multi enim non adeò mœrent quin ſatis diſpoſiti ſint ad Euchariſtiæ perceptionem.

ceptionem. Vnde sicut qui sacerdotes sunt, etiamsi ob suos vita functos mœrent, tamen pro eis litare diuina hostia nequaquam prætermittunt, séque ad id dignè præstandum, aptant & disponunt vt possunt; Ita qui Sacerdotes non sunt, tametsi ob suorum excessum mœsti, deberent pro eis communicare, & quanta per mœrorem liceret dispositione, aptare se ad hoc subsidium charorum suorum animabus suppeditandum. Qui verò præ luctu essent ad præstandum suis hoc beneficium prorsus inepti, stultè planè facerent, etiam ex hoc capite, quod fraudarent eos quibus benè volunt, magno leuamine. Nemo tamen vnquam vitio vertit mortuorum cognatis, vel amicis superstitibus, quod luctu absorpti, & plus iusto laxantes mœrori habenas, ineptos se redderent ad iuuandos perceptione Eucharistiæ vita functos. Sed Patres, & Christiani tractatores, qui in exagitando nimio ob defunctos mœrore multi sunt, tacito prorsus hoc capite quod ineptum reddat ad communicandum pro defuncto, alia omnia vrgent, ac nominatim inutilitatem quoad mortuos, & nocumentum non leue ipsorum lugentium. Videsis Chrysostomum tomo 5. Græcol. serm. 28. & homil. 41. in 1. ad Cor. & homil. 4. in ad Hebr. & homil. 3. in ad Philipp. Basilium orat. in S. Iulittam, Fulgentium Epistola ad Gallam, & alios quos profero l. 5. de virtut. à num. 125. tractans patientiam in morte charorum. Quicquid verò sit de iis qui præ luctu essent inidonei ad communicandum per seipsos, possent tamen ac deberent, saltem per alios curare defunctis suis hoc subsidium, sicut curant sacrificia & preces. Nam etiam non sacerdotum suffragia pro defunctis corrogâtur,

porrecta

porrecta plerunque in eum finem stipe non modica. Nemo autem vnquam auditus est communiones pro mortuo curare, factis ad id impensis, datóque antidoro pecuniario, vti assolet quoad preces & sacra.

11. Nouitas itaque cui euellendæ operam damus, sollicitat vsum in Ecclesia ab omni æuo receptissimum, abstinendi vsurpatione sacramenti Eucharistiæ ad effectum leuandi defunctorum animas: tantúmque non damnat supinitatis & oscitantiæ Pastores ac Doctores omnes, qui de iuuandis hac ratione defunctis per tot secula siluerint. Nec abest tacita Vniuersalis Ecclesiæ sugillatio, quasi in re tanta, támque afflictissimis animabus commodatura, aut aduertenda dormitauerit, aut proponenda fidelibus & commendanda torpuerit. Quod vel in cogitationem admittere, immane foret sacrilegium: cum exploratissimum sit Catholicis, Ecclesiam à Spiritu sancto edoctam omnem veritatem, instituta à Christo iuuandis defunctis subsidia, & exponere & vrgere studiosè solitam: quod diligenter exequor ea tractatione, cui titulus est, *Iusta & inferiæ piis manibus*, qua inquiro in nouam de Purgatorio doctrinam, asserentem ad perfectionem spectare, nolle iuuari, aut iuuare mortuos, vt diuinæ Iustitiæ sit locus. Et habuit sanè Ecclesiæ typum Respha illa filia Aïa. 2. Reg. 21. quæ inuigilauit iuuandis defunctis, donec roraret super eos aqua de cælo, iuxta perelegantem ac piam interpretationem Bracharij epistol. ad Ianuar. & Thomæ Cantipratani l. 2. Apum cap. 53. num. 22.

12. Tantùm porrò abest, vt vsus antiquus pro-

bante Ecclesia tulerit communicare pro defunctis, vt potiùs ab antiquissimis temporibus, nulla in sacro pro defunctis facta fuerit astantium fidelium communio, vt habetur ex S. Dionysio cap. 3. & 7. Eccles. hierar. notauitque ex Dionysio Ioannes Cochlæus Philipp. 7. cap. 14. Eáque causa fuit, cur olim Energumeni ac Pœnitentes qui à communione arcebantur, ad sacrificium Missæ non admitterentur, nisi cum offerebatur pro defunctis. Nimirum quia in aliis Missis populus communicabat, vel communicare poterat: Vnde Energumeni ac Pœnitentes, quia prohibebantur communione, excludebantur ab huiusmodi sacris: admittebantur autem ad sacrificium pro defunctis, quia in eo non administrabatur communio. Et hanc esse germanam causam, cur non detur pax in Missis defunctorum, affirmat idem Cochlæus, Philippica illa 7. contra Melancthonem cap. 14. & annuit Ianssonius expositione in Canonem Missæ, cùm enucleat primam orationem ante communionem, *pag. mihi* 174. Addens, eandem ob causam, in quibusdam ordinibus prætermitti in sacro apprecationem pacis, quoties abstinetur perceptione Eucharistiæ per alios à Sacerdote. Ea enim pacis apprecatio, disponit ad Eucharistiam quæ cum sit *signum vnitatis & panis concordiæ*, vt loquitur D. Augustinus tract. 26. in Ioan. nihil habet alienius, quàm animorum disiunctionem. Vnde illa per Diaconum inclamatio sub tempus communionis apud Clemẽtem Romanum 2. Const. cap. 54. *nemo contra aliquem, nemo cum simulatione; vt si in nonnullis controuersia reperiatur, conscientia perculsi precentur Dominum, vt fratri reconcilientur.* Eodem spectabat amplexus

quo

quo fideles sub tempus communionis mutuo se stringebant, reste Chrysostomo homil. 51. ad popul. Tunc item osculum pacis figebatur, vt ex multis Patribus tradit Durantus l. 2. de ritibus cap. 54. Toties quoque hanc ipsam ob causam in mysteriis pax repetitur addito responso, *& cum spiritu tuo*, vt S. Chrysostomus notauit homil. 3. in ad Coloss. *in fine*. Fortéque etiam inde factum, vt Sacramentum Eucharistiæ nomine *pacis* insignitum sæpè legatur apud S. Cyprianum, & alios, quibus idem est *dare pacem alicui*, ac præbere Eucharistiam. Apud Ignatium quoque Epist. 14. ad Ephes. Eucharistia vocatur *pax Christi*. Eidémque Tertullianus c. 39. Apolog. nomen *Agapes*, à dilectione & pace quam præfert & confert, tributum docet.

13. Cum igitur tanta sit communicaturo pacis cum omnibus sequendæ necessitas, meritò in mysteriis cum communicandum erat, externa pacis signa præberi & apprecationem pacis fieri, institutum est, vt omnes astantes ritè & congruè ad communionem aptarentur: ne quod Proditor Iudas fecit, dulces cibos caperent amaro animo, provt D. Augustinus in psal. 54. illud Christi improperium est interpretatus, *qui simul mecum dulces capiebas cibos*. At quia in sacro pro defunctis, abstinebatur communione; idcirco in huiusmodi sacro vsus tulit, vt pacis apprecatione abstineretur, quod deinceps semper in Ecclesia seruatum est. Adducto diuino viso id firmat Cantipratanus l. 2. Apum cap. 53. n. 33. Scio alias præterea vsus illius causas proferri à Turrecremata cap. *pacem*, de consecr. dist. 2. & à Durando in Ration. l. 7. cap. 35. à n. 30. & l. 4. cap. 52. passímque ab aliis qui de Missæ

ritibus ſcriptiones edidere. Verùm cauſa ex Cochlæo prolata, appoſitiſſima videtur. Ex ea verò apertè habetur, Eccleſiam non cenſuiſſe perceprionem Sacramenti Euchariſtiæ prodeſſe defunctis, cum in ſacris quæ ad eorum leuamen fiebant, abſtinentiam à communione ratam habuerit, & ab huiuſmodi ſacris, ritus ad communionem aptantes præcidi ſiuerit: contrarium planè curatura, ſi Euchariſtiæ perceptionem per ſuperſtites, poſſe defunctis proficere exiſtimaſſet.

Prima ratio, ex eo quòd Sacramenta ſint Medicinæ.

14. Venio ad meæ ſententiæ ſtabilitionem, & contrariæ impetitionem ex ratione, quam adducam duplicem. Nimirum vnam petitam ex generali ratione Sacramenti, alteram ex ſpeciali ratione Sacramenti Euchariſtiæ. Priori formandæ proludo, præmittens Sacramentis omnibus commune eſſe, & ad eorum genericam rationem ſpectare, quod ſint Medicinæ. Cum enim tot tantæque ſint in hac vita ægritudines noſtræ, vt earum numerus iniri nequeat, quod optimè proſequitur Gregorius Nyſſenus initio Epiſtolæ Canonicæ ad Latoium Mitylenenſem Antiſtitem, & ibidem Balſamon; necnon Hugo Victorinus l. de Medicina animæ *ferè initio*, & Hildebertus epiſtola ad quendam Præſulem, quæ admiſta Fulberti Epiſtolis, eſt numero 116. Cum inquam tot tantæque ſint animorum in hac vita ægritudines, ſapientiſſimè ac prouidentiſſimè Chriſtus Dominus, quẽ ſcitè Piſidas in Coſmop. v. 1359. nominat *Galenum Maximum*, ſecundarios nobis Medicos

Medicos & Pharmacopæos, ſeplaſiámque pharmacis in rem noſtram conficiendis prouidit. Luculenter in hanc rem diſſerit Origenes homil. 8. in Leuit. vocans Eccleſiam *ſtationem medicinæ*, Sacerdotes autem Sacramentorum miniſtros, *Medicos* curandis animorum morbis præfectos. Nempe ſecundarios Medicos ſub Chriſto Archiatro, vt idem loquitur homil. 1. in Pſalm. 37. Aut vt dixit Nazianzenus orat. 1. num. 55. tanquam Medicinæ per Chriſtum exhibitæ adminiſtratores, & Chriſti principaliter curantis adiutores. Ab iis ſecundariis Medicis & Pharmacopæis, cum alia ad curandos morbos noſtros malagmata apparantur, de quibus plenè inter tractandum de Chriſto Medico: tum illa præſertim ex infuſo ac velut immiſſo certis rebus corporeis Chriſti ſanguine, omnino efficacia, quæ vocamus Sacramenta. Eorum multiplicem rationem multiplici corporum medicinæ proportionalem, pulchrè præter cæteros aperit Altiſſiodorēſis lib. 4. ſummæ cap. *de Sacramentis nouæ legis in communi*. Agnoſcit quoque frequenter eam Sacramenti & Medicinæ analogiam, Gulielmus Pariſienſis in Opere de Sacramentis, & S. Thomas in 4. diſt. 1. & 2. ac perpulchrè autor altercationis Synag. & Eccleſ. cap. 8. *ſub finem*. Sigillatim verò Euchariſtiam habere rationem medicinæ, ſæpè iterat apud S. Cyprianum Autor ſermonis de Cœna Dom. & Albertus Magnus ſerm. 21. de Euchar. & aliquot ſeqq. vulgo creditus S. Thomas opuſc. 58. cap. 21. & ſeqq.

Prosunt ergo soli sumenti.

15. Ex his eruitur ratio valida in rem nostram, monstratúrque, vsum Eucharistiæ quam viuens vsurpat, non posse ab eo referri ad subleuationem defuncti. Nam Medicina (cuiusmodi esse diximus Eucharistiam eo ipso quod est Sacramentum:) Medicina inquam, nemini prodest præterquàm sumenti. Si enim vt D. Chrysostomus homil. 5. & 7. ad pop. scitè dixit, ridiculus esset, qui vno quopiam membro corporis malè affecto, medicinam faceret alteri membro; v. g. qui curaturus lippientes oculos emplastrum talo aut cruribus admoueret: multo magis desipere censendus est, qui inter subiecta multo minùs connexa quàm sint inter se corporis membra, communitatem velit esse Medicinæ; ita vt vnum curetur, facta alteri admotione pharmaci. Igitur inane prorsus est, & contra genericam sacramenti rationem friuolè excogitatum, quod perceptio Eucharistiæ per viuentem, possit defuncto esse proficua. Nam totus Sacramenti fructus, datur ex opere operato; quod situm est in passiua receptione,& immediata admotione rei illius cui Christus facultatem & vim conferuit, impertiendi ipsa applicatione, effectum sacramentalem. Itaque ei duntaxat prodest Eucharistiæ perceptio, qui illam per seipsum ac immediatè percipit,& non alteri.

Et sanè cum omnia nouæ legis sacramenta habeant rationem Medicinæ, & omnibus æquè commune sit instituta esse à summo animarum Archiatro, & ab eius sanguine intra illa concluso vim agendi sortiri: profectò si vnum aliquod eorum (puta Eucharistia) posset extra subiectum cui admouetur,

mouetur, fructificare; atque adeò vtiliter à viuente suscipi pro defuncto, in quem fructus Sacramenti à viuente percepti per vltroneam ipsius cessionem transfunderetur; nihil afferri posset, quominus de aliis item Sacramentis affirmare idipsum liceret. Non contendo, cætera Sacramenta vel dignitate & rei contentæ maiestate, vel sacramentalis effectus causandi vi, æquare Eucharistiam. Primum enim, is duntaxat admiserit, qui cum Iuda Iscarioth Sacramentariorum primicerio, Christum in Eucharistiæ Sacramento verè præsentem, impacta Christo ipsi métitione diffiteatur: quod est spiritui gratiæ, Christo inquam ad modum spiritus in Eucharistia abdito, & per tam bonæ gratiæ Sacramentum exquisitissimos gratiarum sensus meritissimo sibi à nobis exposcenti, contumeliam facere; vt Apostolus asseruit. Alterum autem, negat & feracitatem gratiæ maiorem, agnoscit in Eucharistia D. Thomas 3. p. q. 65. artic. 3. tametsi lis est sub Iudice, ob frequentem Eucharistiæ iterabilitatem. Hoc igitur non contendo; sed salua Sacramentorum quoad dignitatem & efficaciam inæqualitate & disparitate; ipsóque dignitatis & ad eximios effectus præstandos potestatis veluti vertice, Augustissimæ Eucharistiæ vendicato iuxta illud Clementis 7. Constit. cap. 37. ***Eucharistia sua magnitudine omne beneficium operuit***; confirmo, quia modus operandi Sacramentorum omnium est, vt per modum Medicinarum producant effectus suos, consequi apertè; vt non nisi immanenter, & per applicationem ad subiectum cui fructificant, operentur. Proindéque quisquis de eorum vno admittit quod agere possit transeunter, ita vt effectus eius prosiliat

extra ſubiectum cui admouetur; non habet vnde inficias eat, ſimilem vim proficiendi alteri quàm proprio receptiuo, ad alia quoque Sacramenta pertinere. Quare fatendum erit aduerſariis, alia Sacraméta nouæ legis, poſſe ſuſcipi pro ſubleuatione defunctorum, ſicut dicunt poſſe in eum finem ſuſcipi Euchariſtiam.

16. Dicant igitur ſimiliter, fas eſſe cuipiam baptizari pro mortuis: non modò in eo ſenſu quem Apoſtolus approbat 1. Cor. 15. nimirum ſumendo baptiſmum pro corporis afflictatione, & opere pœnali ac ſatisfactorio, ſed etiam inſulſo illo modo quo Gnoſtici apud S. Epiphanium hær. 28. & Marcionitæ apud S. Chryſoſtomum homil. 40. in 1. Cor. ſuſcipiebant baptiſmi Sacramentum, nomine eorum qui inexpiati ſacro lauacro exceſſiſſent è vita, rati eam intinctionem quam viuus ac ſuperſtes ſuſciperet, prodeſſe mortuo; quod quàm falſum & fatuum ſit, nemo non videt. Dicant ſimiliter aduerſarij, & vt ad praxim reuocetur ſatagant, fas eſſe accedere ad Sacramentalem Confeſſionem, pro defuncto. Quidni enim Sacramentum ad peccatorum abſterſionem factum, poſſit itidem applicari fructuosè iis defunctis in quibus reliquiæ peccatorum eradendæ ſuperſunt, & rubigo ſcelerum quoad culpam iam abſterſorum, defricanda manet quoad reatum temporarium? Hortentur denique aduerſarij, ad receptionem Confirmationis & Ordinis, in gratiam defunctorum, & ſcilicet ad ineundum coniugium Chriſtianum, magnúmque illud in Chriſto & Eccleſia Sacramentum pro animabus Purgatorij celebrandum. At nemo has lamiæ turres & pectines ſolis, vel infantulis inter

ſomni

ſomni difficultates occinere hactenus ſuſtinuit. Igitur neque Euchariſtiæ perceptio per ſuperſtitem, poteſt eſſe vi applicationis Sacramenti & ex opere operato fructuoſa defunctis, ſi ad eos ſubleuãdos referatur à ſuſcipiente: ſed ſicut aliorum Sacramentorum ſuſceptorum fructus qui ex opere operato appellatur, eſt inabdicabilis à ſuſcipiente, nec poteſt in alium transfundi: ita ſimilis fructus Sacramenti Euchariſtiæ, ſoli percipienti immanet, nec huius fontis gratiæ latices deriuantur foras.

Nullus Euchariſtiæ effectus, defunctis tribuendus. Non gratia.

17. Hinc aperitur via ad aliam planè idoneam & validam probationem veritatis pro qua pugnamus. Nam fructus vniuerſus ad quem conferendum Sacramenta nouæ legis inſtituta ſunt, continetur gratia ſanctificante mortale peccatum ac pœnæ æternæ reatum excludente, ac eiuſdem gratiæ parandæ aut fouendæ ſuppetiis; auxiliis inquã actualis gratiæ: vel abſterſione culparum leuium, ac reatus è peccatis dimiſſis reſidui. Omnes hi effectus, non ſunt omnibus ſacramentis communes, nec qui inter eos Euchariſtiæ competunt, poſſunt pro voluntate communicantis transferri ad defunctum. Gratiam ſanctificantem, Euchariſtia per ſe ac vi inſtitutionis ſuæ auget, & vt fert probabilis aliquorum ſententia, interdum quoque, (tametſi per accidens) eam primò confert, & mortale peccatum remouet; ſuppoſita recipientis bona fide, qui ſuum illud impedimentum ad tanti Sacramenti dignam perceptionem, abſque noua culpa non aduertit,

aduertit, & inuincibiliter censet se sufficienter dispositum.

Hic tamen effectus Sacramenti Eucharistiæ, est apertè inabdicabilis à suscipiente Eucharistiam. Nam dempto Christo, nemo alteri gratiam sanctificantem elargitur, quia *gratiam & gloriam dabit Dominus*. Neque Devs à quo quæcunque sunt, ordinata sunt, potestatem homini fecit inordinationis illius, quæ summa cerneretur in ea verè prodiga & verè stulta translatione gratiæ ad alios; quos homo præceptum charitatis transgrediens, non sicut seipsum, sed supra seipsum diligeret, vt benè ratiocinatur Cassiodorus lib. de Amicit. cap. 38. passímque tradunt DD. 2. 2. q. 26. art. 4. exponentes ordinem charitatis. Æquè prohibemur transfusione iuris ad certa auxilia cuius ferax est sacramentum. Ob nexum enim auxiliorum illorum cum gratia sanctificante cuius sunt incentiua aut fomenta, iubemur ea nobis retinere; & rogantibus, *date nobis de oleo vestro*, respondere tenemur, *ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*; vt scitè dixit Bunderius in compendio concertat. tit. 34. artic. 21. Quid quod defunctus neque gratiæ nouæ sanctificantis, neque auxiliorum quibus foueatur aut muniatur, capax est, cum extra viæ scamma sit constitutus, ea autem gratiæ sanctificantis accretio, vel per auxilia tuitio, solius viæ sit propria? Itaque penes hos Eucharistiæ effectus, inanis planè & cassa est, communio viuentis pro defuncto.

Non

Non venialium remißio.

18. Nec aliter ſtatuendum eſt de illo alio huius ſacramenti effectu, quem agnoſcere videtur Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 1. nempe de remiſſione venialium, facta per hoc Sacramentum ex opere operato, interueniente tamen aliquo peccatorum illorum dolore, ſine quo Deus nunquam condonat actuale peccatum; vt homo qui per illud ſponte à Deo auerſus eſt, ſponte quoque ad Deum regrediatur per dolorem aliquo tandem modo cadentem in peccatum admiſſum, vt propterea diſpliceat quod Suares t.3. 3.p. d.63. ſ. 10. vt hic Euchariſtiæ effectus exurgat, contentus ſit ſolo defectu complacentiæ actualis erga peccata venialia per hoc Sacramentum obliteranda; quo admiſſo, dandum conſequenter erit, omnem dignè communicantem abſque actuali peccato veniali, planè mundari à cuiuſuis peccati labecula, quod idem Suares meritò negat t.4. 3.p. d.12. ſ.1. *in fine.*

Vt vt ſit, effectum propoſitum Sacramenti Euchariſtiæ probabiliter inuehi, haud grauatè concedo, ſed ſi agatur de ſolo recipiente Euchariſtiam. Nam cum effectus ille ſpectet nitorem animæ, & remotionem fuliginum quibus decor internus infuſcatur, nemo ſapiens alium ea in parte ſibi præpoſuerit. Et ſicut vel ſi fractum orbem illabi oporteret, cauenda eſſet perpetratio minimi peccati venialis, cuius admiſſione tanta clades auerti poſſe ſupponeretur, vt habet certa D. Anſelmi doctrina l.1. cur Deus homo, cap. 21. ita nullius alieni boni captatio, honeſtare poſſet voluntatem permanendi in peccato veniali, vt par alterius labes remoueatur.

Itaque

Itaque effectus ille Eucharistiæ, est inabdicabilis à suscipiente Eucharistiam : nec illicitè tantùm faceret qui id tentaret, vt monstrat ratio proposita, sed etiam inualidè, quia Deus non fecit homini potestatem sic prodigendi bona propria, quæ ad completum animæ nitorem & remotionem ab iis quæ Deo ipsi displicent, pertinere liquet. Accedit quod defunctus qui est in Purgatorio, non est capax huius effectus Eucharistiæ ad se transferendi per superstites communicantes. Nam iuxta veriorem sententiam, peccata venialia hinc exportata, dimittuntur animabus iustis in puncto mortis extrinseco viæ, vt tradunt D. Thomas, Bonauentura, Richardus, in 4. d. 21. & benè Dur. ibidem d. 45. q. 1. n. 5. Quare frustra superstites accedēt ad Eucharistiam, vt remissionem venialium quoad maculam concilient alicui defuncto, etiamsi effectus ille transfundi in alium posset, qui adhuc sorderet venialibus labeculis.

Non absterſio reatus.

19. Restat effectus remittendi debitum pœnæ temporalis ex peccatis quoad culpam ablatis residuæ, quod videntur maximè spectare, qui communionem pro defunctis suadent aut vsurpant. In his enim alienis debitis ad se transferendis, quamuis quis non exoluatur propriis, durante vita & capacitate eorum ante obitum dissoluendorum, potest exerceri charitas erga alium : & Deus eam transfusionem prudenter factam, cum inter viuos, tum inter viuos ac defunctos ratam habet, vt suppono ex doctrina longè communissima, quā rectè præter

cæteros

cæteros tradit Adrianus quodl.8. artic.2.concluſ.3. Quod ergo circa tranſlationem propriarum ſatisfactionum, atque adeò remiſſionem temporarij reatus per eas obuenientem, paſſim conceditur; videntur ij cum quibus diſceptamus exiſtimaſſe æquè concedi poſſe, quoad tranſlationem huius remiſſionis, per Euchariſtiæ perceptionem cauſabilis. Verùm hæc eſt aperta & multiplex hallucinatio. In primis enim ſupponunt, Euchariſtiam prout Sacramentum eſt, expungere debitum pœnæ temporalis. At hoc negat D.Thomas 3.p. q.79. artic.5. *in corpore*, ea ductus ratione, quod Euchariſtia quatenus Sacramentum eſt, non ſit ad ſatisfaciendum, & pœnam obliterandam inſtituta. Ideóque Ioannes Turrecremata qui tract. de Sacramento Euchar. cap.10. *effectu quinto*, viſus erat concedere Sacramento Euchariſtiæ vim remittendi debitum pœnæ temporalis è peccatis ablatis reſiduæ, tandem exponit ſe de remiſſione ex opere operantis, ob affectus concomitantes Euchariſtiæ ſuſceptionem.

Nec ſi Baptiſmus omne debitum pœnæ ex opere operato relaxat, vt ſcitè tradit S. Diadochus l. de perfect. cap.89. & S.Ambroſ. l. de Salom. cap.5.& benè ex vſu antiquo totum baptizatum intra lauacrum mergendi, colligit Abelardus ſerm. de circunciſ. Non inquam ſi Baptiſmi Sacramentum quod ignobilius eſt, effectum illum præſtat; neceſſe eſt idem tribuere Euchariſtiæ quatenus Sacramentum eſt: cum aliud ſit nobilitas & dignitas ſacramenti, aliud efficacitas eius ad certum quendam effectum. Euchariſtia ergo ratione Chriſti in ea ſubſtantialiter contenti, ſupra omnem comparationem præcellit quibuſuis aliis Sacramentis: quoad effectum tamen

tamen de quo agimus, cedit Baptiſmo: qui cum ſit ſecunda hominis natiuitas, & velut eductio prima è diuina figlina, vt habetur ex D. Chryſoſtomo homil. catechet. ad baptizandos, dignum fuit vt hominem planè nitentem & illimem redderet, nec tantum à peccati macula, ſed etiam ab omnibus peccati conſectariis, cuiuſmodi eſt reatus pœnæ temporariæ, liberum redderet eum qui baptiſmo initiatur, etiamſi Euchariſtia id non præſtet. Videndus qui latè in eam rem diſſerit Cabaſilas l. 4. de vita in Chriſto. Imo cùm baptiſmus ſit initerabilis & primitias diuinæ erga hominem largitatis ſupernaturalis inferat animæ; non immeritò ambigitur, an copioſiorem gratiam ſanctificantem conferat quàm Euchariſtia, quæ ad quotidianum vſum eſt inſtituta, & anteriorem Dei beneficentiam in baptiſmo exprompram ſupponit.

20. Eſto verò; demus Euchariſtiam provt Sacramentum eſt, abſtergere ex opere operato atque directè, reatum pœnæ temporariæ peccatis ablatis debitæ, quod teneri dicere qui ei tribuunt vim remittendi peccata, affirmat Vaſques 3. p. q. 79. ad articulum 5. (an rectè, nunc non moror:) Hoc tametſi gratis dare placeat quoad ipſum communicantem, tamen negandum eſt eum fructum poſſe ad alios transfundi. Ea quippe duntaxat vis ſatisfactiua poteſt ad alios transferri, quæ eſt germen operum noſtrorum provt liberorum, & proprietas illis ex natura rei adnaſcens; de qua proinde tanquam domini poſſimus diſponere: cuiuſmodi non eſt vis remittendi reatum pœnæ temporariæ ex opere operato. Quis enim vnquam audiuit tentatum ab aliquo eſſe, etiamſi ſub tempus martyrij baptizaretur,

baptizaretur, nec ob remiſſionem alij factam, tribulationem ipſe paſſurus eſſet; vt vim vniuerſalem baptiſmi ad abſtergendum reatum pœnæ, transfunderet in alium? Quare efficacia illa, per Sacramenta quibus competit, non niſi immanenter exeritur, nec ex quantacunque voluntate eius qui Sacramentum ſuſcipit, permanat ad alios. Nullus itaque eſt effectus Euchariſtiæ vt Sacramentum eſt, quem is qui Euchariſtiam percipit, poſſit ad defunctos transferre: Atque adeò vanum eſt, in eum finem communicare vt mortui ſubleuentur, vel ad eam benignitatem mortuis præſtandam excitare ſuperſtites.

Ratio altera noſtræ ſententiæ, ex ſpeciali huius Sacramenti natura, quæ eſt, eſſe cibum.

21. Argumenta hactenus propoſita, pertinent ad generalem rationem Sacramenti, ex qua monſttatur, inutile eſſe communicare pro defuncto, ad hoc vt ea perceptio iuuet defunctum ex opere operato. Nunc argumentandum eſt ex ſpeciali ratione ſacramenti Euchariſtiæ, vt initio recepi. Specialis itaque ratio Sacramenti Euchariſtiæ eſt eſſe cibum, non quidem corporis, ſed animæ, proptereáque exhibetur ſub cibi ſpecie: quem non dari ad alendum corpus, inde colligit Gelaſius Cyzicenus lib. de duabus naturis, quòd non magna ſpecierum moles, ſed perexigua confertur communicanti, & tamen ex tantula ſpecierum quantitate ſaginari dicimur, à Tertulliano lib. de reſurrect. carnis cap. 8. nempe quia non corpori, ad quod ſatiandum ſpectatur

cibi quantitas, ſed animæ quantitate deſtitutæ, addicitur huiuſmodi eſca. Scitè quoque Goffridus Vindocinenſis ſerm. 8. inde colligit, Euchariſtiam cibum eſſe non corporum, ſed animarum, quod primùm porrecta ſit poſt corporalem cœnam, ſaturis iam corporibus. Quia tamen cibat animas, meritò inſtituta eſt ſub ſpeciebus alimenti corporei. Cibat autem augendo & muniendo gratiam ſanctificantem præhabitam, ſiue tantam redamandi Chriſti materiam ingerendo, vt philoſophatur S. Anſelmus l. de corp. & ſang. Dom. c. 8. monſtrans ſummum hîc in nos Chriſti amorem, de quo item perpulchrè Chryſolog hom. 45. in Ioan. & hom. 55. ad pop. A tanto autem amore extorquetur redamatio, vnde charitatis nutritio: Siue accretione gratiæ, atque adeò etiam charitatis, & collatione iuris ad auxilia fouentia charitatem & eius velut ignitabula.

22. In hanc rem, diuinè planè philoſophatur Autor ſermonis de cœna Domini apud Cyprianum. *Panis iſte communis*, (inquit,) *in carnem & ſanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: ideóque ex conſueto rerum effectu, fidei noſtræ adiuta infirmitas, ſenſibili argumento edocta eſt, viſibilibus Sacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tam corporali quàm ſpiritali tranſitione, Chriſto nos vniri. Ipſe enim & panis, & caro, & ſanguis, idem cibus & ſubſtantia & vita factus eſt Eccleſiæ ſuæ, quam corpus ſuum appellat, dans ei participationem ſpiritus.* Et paulo poſt. *Panis itaque hic azymus, cibus verus & ſyncerus per ſpeciem & ſacramentum, nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto conformat. Et ſicut panis communis quem quotidie edimus,*

edimus, vita est corporis; ita panis iste supersubstantialis, vita est animæ, & sanitas mentis. Nec istum effectum inferiùs abrogat huic Sacramẽto, & fidei, vel Christi verbis tribuit, cùm ait. *Potus & esus ad eandem pertinent rationem, quibus sicut corporea nutritur substantia & viuit & incolumis perseuerat, ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur; & quod est esca carni, hoc animæ est fides: quod cibus corpori, hoc verbum spiritui; excellentiori virtute peragens æternaliter, quod agunt alimenta carnalia, temporaliter & finaliter.* Non inquam ista addens hic autor, fidei sumentis vel verbo Christi Eucharistiam instituentis, tribuit effectum illum cibandi animam, quem meritò anteriùs assignarat Sacramento: sed tantùm indicat, vnde hæc efficacia cibandi animam, speciebus Christum continentibus aduenerit; nempe ex Christi institutione verbis Euangelicis expressa: Itémque cuiusmodi dispositionem ad huius Sacramenti perceptionem adhibere quisque teneatur, vt eo refici ac cibari quoad animam possit: Nempe fidem viuam, qua si quis sciens & volens destitueretur dum sacras species ori & stomacho infert, animæ fames non depelleretur, ob infidelitatis vel mortalis peccati obicem, gratiæ fontes obstruentem.

Autor ergo quem protulimus, specialem rationem Sacramenti Eucharistiæ cibatione animæ contentam, ritè expressit, consentaneè ad verba Christi, qui vt accuratè prosequitur Henriques lib. 8. cap. 35. proprium huius Sacramenti munus, frequenter exponit per analogiam ad cibum corporeum: qui sicut non confert primò vitam, sed eam in præsuppositam fouet & auget extensiuè, ita

cibus Eucharisticus vitam animæ primò non confert, (saltem per se & vi suæ institutionis;) eam tamen auget ac fouet. Vnde sicut cibus corporeus, metonymicè dicitur *vita hominis*,ita etiam scriptura, Eucharistiam *vitam nostram*, aliquando nominat.Et eódem spectantes Punici,teste D.Augustino l.1.de peccat. merit.cap.24.sicut absolutè & absque addito,baptismum vocabant *salutem* ; ita Eucharistiam vocabant *vitam*, ita vt accessurus ad sacram mensam,non diceret,*eo ad sacram synaxim vel communionem*,sed *eo ad vitam*.Eóque allusit idem D.August. serm.1. de tempor. cum agens de accessuro ad Eucharistiam *in qua vita nostra consistit*,addit:*Mutet ergo vitam , qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam,ad iudicium accipiet vitam.*

23. Eandem specialem rationem Sacramenti Eucharistiæ per analogiam ad cibum corporeum, agnouerunt & egregiè exposuerunt antiqui Patres, quorum nonnullos adducit Turrianus lib. 1. de Euchar. cap.17. Nec prætereundus D. Augustinus qui l.17. Ciuit. cap.20. illud Prouerb. 9. *Derelinquite insipientiam, vt viuatis,& quærite prudentiam, vt habeatis vitam*, interpretatus de cibo Eucharistico, quo animæ vita propagatur, æquè ac cibo corporeo fouetur & propagatur vita corporum ; subdit, ad eandem animæ cibationem per Eucharistiam, spectare illud Ecclesiast.5. *Non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet*. Quod enim sapiens ad epulas corporum non respexerit, monstrat Augustinus prolatis locis ex cap.7. Ecclesiastis,quibus carnales epulæ depreciantur, dicitúrque insipientium esse ad tales epulas cor apponere : Tantum abest, vt de tali cibo dicatur non esse bonum homini

homini nisi quod manducauerit biberitve. Nec dissimiliter Olympiod. in cap. 5. Ecclesiastæ, de hoc cibo accipiendum docet, quod ibi ait Salomon, vt iam ex Augustino retulimus. Splendidè inter posteriores Scriptores, specialem hanc Sacramenti Eucharistiæ rationem in spirituali cibatione animæ ac supernaturali nutritione sitam, exponunt Gulielmus Paris. tract. de Sacram Euchar. cap. 1. & 3. ac Nicolaus Cabasilas l. 1. & 4. de vita in Christo, & Interpretes passim ad illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus.* item Scholastici vnanimiter in 4. d. 12. Benè quoque Albertus Magnus sermone 6. ex triginta duobus de Eucharistia. Ipse enim est autor, (vt hoc obiter moneam,) maléque illud opus adscriptum est Diuo Thomæ, numeratúmque inter Opuscula, ordine quinquagesimum octauum; & distinctum capitibus triginta duobus; cum tamen cuiuslibet capitis initium, & thematis præfixio, euincat esse conciones, non capita libri cuiuspiam. Vidit Trithemius quod dico, & Alberto rectè inscripsit eos sermones, adducto initio prologi iis præfixi, *De sacrosancto corpore Domini*, quod initium seu prologus legitur in nostro Codice satis antiquo, Alberti Magni nomine prænotato.

Iuuat ergo solum sumentem.

24. Proposui & illustraui specialem rationem Sacramenti Eucharistiæ, in eo sitam quòd sit nutrimentum ac cibus animæ quoad vitam supernaturalem; quia inde suppeditatur argumentum efficax, ad probandum Eucharistiam prout Sacramentum est, soli sumenti prodesse; nec eius fructum posse

ad defunctos transfundi. Nam nutritio est actus vitalis, atque adeò prodit à principio intrinseco, nec potest prosilire extra subiectum cui cibus applicatur. Quis enim manducat pro alio à se prorsus abiuncto? Atqui Eucharistiæ Sacramentum, est alimentum, institutum ad fidelium animas in spiritualem vitam nutriendas. Igitur Eucharistia provt est cibus Sacramentalis, non potest habere effectum suum extra communicantem, quantumcunque ipse id intendat, cupiátque cibationem qua fruitur, nutrire alterum.

Et quamuis fieri posset, vt qui adhuc superest aleretur ac nutriretur, alio à quo planè abiunctus corpore sit, assumente cibum: Tamen in præsenti negotio, siue respectu defunctorum, est specialis ratio ob quam id dici nulla ratione potest. Nimirum quia defuncti, sicut corpore non aluntur aut nutriuntur, eo quod cesset in eis cibationis & nutritionis necessitas: Ita neque egent spirituali cibatione, cum vita eorum, non vltra periclitetur ex resolutione & deperditione calidi innati: cum inquam non impendeat vltra periculum charitati & gratiæ, à rota natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. Monet sapiens, Ecclesf. 14. non esse apud inferos inuenire cibum; quod ad animarum cibum spectare, nemo non videt. Non inuenitur autem animarum cibus apud inferos, quia non est ibi locus spirituali cremento, aut fomento vitæ supernaturalis, quæ in eo statu cessat impeti à contrariis: vnde non eget cibo suffulciente & instaurante quæ vis inimica depasta fuerit: qui sunt effectus gratiæ de nouo partæ, adiunctorúmve ei auxiliorum, proportionales effectibus quos cibus præstat corpori

ad

ad quod alendum adhibetur. Non minùs itaque insulsus haberi debet vsus communicandi pro defunctis, quàm abusus antiquus alicubi olim receptus, communicandi ipsos defunctos, vt videre est can.63. Trullano, & can. 12. Concilij Antissiod. ac can.6.tertij Concilij Carthaginensis; quem abusum prædicta Concilia repressere, eo nominatim argumento, quod mortui nequeant comedere. Verè autem addere possumus, neque per mansum ab aliis cibum nutriri, vllisve cibi effectibus potiri posse. Ac proinde qui pro mortuis communicant, si solius operis operati rationem habeant, operam ludunt.

Laudata, vnius ex Aduersariis, subductio.

25. Auditis his nostris argumentis, vnus eorum quorum autoritate grauatam primùm opinationem nostram de inutili pro mortuis communione retulimus, sententiam retexuisse, séque ab eius placiti absurditate subduxisse dicitur, ea operis sui editione quam postea adornauit. Librum quartò vel quintò refectum, atque adeò non iam secundis, sed quaternis vel quinis curis hac nominatim in parte, emendatum, ipse non vidi: sed qui vidêre testes locupletes ac fide digni, sic retulerunt. Laudo docilitatem, ex qua etiam Dionysius Alexandrinus eo fragmento quod ex eius priore libro de promissis descriptum est ab Eusebio l.7. histor. c.19. aliàs 22. commendat Nepotianos, quòd audita Dionysij disputatione aduersus ipsorum errores, non adhæsissent mordicùs anterioribus placitis, *sed vbi poscebat ratio, sententiam mutare & docentis assentire*

iudicio, eos non puduisset: sed conscientia integra, syncera cogitatione & puris erga Deum ac simplicibus animis, ea quæ erant firmis rationibus & testimoniis à sacris literis depromptis confirmata, admodùm approbassent. Meritò autem singulatim celebrat ingenuitatẽ, ac docilitatem eius qui cæterorum fuerat antesignanus, cuius ob hanc causam elogiolum non præteribo, quia perbellè cadit in rẽ nostram. *Huius* (inquit) *doctrinæ Princeps & Dux Coracion, omnibus fratribus qui aderant audientibus, palam confessus est, nobísque attestatus; neque se velle deinceps (quandoquidem aduersariis rationibus se putabat satis abundè conuictum,) illi dogmati animum adhibere, neque de eo disserere, neque mentionem facere, neque aliquando illud vsquam docere.* Iure hanc mutandæ sententiæ comperta veritate facilitatem commendat Dionysius. *Sicut enim laudabile est à vera sententia non moueri, ita culpabile persistere in falsa; quam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare: vt aut ex initio vera permaneat, aut mutata falsa, vera succedat.* Iudicium est D. Augustini l. 3. contra Cresconium cap. item 3. A quo non abludit illud Cassiani l. 1. de Incarn. cap. 4. de Leporio ad sanam mentem & palinodiam adducto. *A nobis admonitus, à Deo emendatus, ita malè conceptam persuasionem, magnificè condemnauit, vt non minùs penè admiranda sit correctio illius, quàm illæsa multorum fides: quia primum est errorem penitùs non incurrere, secundum benè repudiare.* Hic igitur fuit sensus noster, audito quod columna vna sententiæ falsæ, cui concertator initio adductus nitebatur, subduxisset se se. Placuit verò id non tacere, vt concertator, si fortè necdum resipuit, secutus errantem, sequatur emendatum;

emendatum; nec vltra putet nos grauandos ea autoritate quam aduersum nos vrgendam putauit. Quanquam erat ea autoritas huiusmodi, vt si salua illi esset, haud difficile fore videretur exolui ea sarcina, translatis in rem nostram illis Holkoti verbis in 1. q.3. *litera EE* ad 8. principale. *Dico quod argumentum stat in pondere autoritatis* N. *Ideo videtur, quod facile est homini volenti illo onusto pondere seipsum deonerare, negare illam autoritatem.*

Triplex aliorum effugium, præcluditur.

26. Nonnulli verò aduersariorum, vt hallucinationem anteriorem quoquo modo tegerent, perstarétque fructus præsertim intentus; nimirum illiciendi plerosque, (sed præsertim plerasque quarum teneriora pectora promptiùs hoc miserationis erga afflictissimas animas sensu mulcentur;) ad frequentem Eucharistiæ vsum tanquam animabus illis valdè proficuum; Responderunt primò, idcirco laudare se & commendare communionem pro mortuis, quod oratio tempore communionis fusa, sit admodùm feruens, ac proinde valdè satisfactoria, qui fructus transferri potest in defunctos. Eodémque reduci videtur quod nuper scripsit Ioannes Sanches disp. 25. selecta num. 12. nempe animas Purgatorij non leuiter subleuari per Eucharistiæ perceptionem à fidelibus factam; quia cogitare possunt, quod fideles inde feruentes redditi, ipsas meliùs iuuare poterunt. Fuerunt secundò alij inter aduersarios, qui adderent, communionem prodesse mortuis ob adiunctam communioni ex Pontificis concessione indulgentiam plenam, vita functis per

modum ſuffragij applicandam: profeſſique ſunt, aliud ſe nunquam intendiſſe hortando ad communionem pro mortuis, quàm vt fideles per communionem optimè diſpoſiti aptiores fierent ad iuuandos defunctos ea indulgentiæ applicatione. Denique fuit tertiò qui diceret eatenus communionem viuentis poſſe eſſe defuncto fructuoſam, quatenus ſumptio Euchariſtiæ, & eius per os in ſtomachum traiectio ſiue manducatio, opus noſtrum eſt: quod prout impetratorium & ſatisfactorium, in alterius commodum transferri poteſt ex voluntate operantis.

Primum, de ſola communicantis oratione, addicta defunctis.

27. Hæ reſponſiones hominum ſunt difficultate impeditorum, nec reuera rationes propoſitas elidunt, aut faciunt ad inſtitutum, quod perſpicuum erit, vbi diſcuſſerimus ſingulas, eodem ordine quo ſunt adductæ. Quod ergo oratio inter communicandum fuſa (de qua erat primum effugium,) poſſit defunctis eſſe fructuoſa, extra controuerſiam eſt. Sed ea oratio non eſt communio; nec qui per orationem iuuat defunctum, dici idcirco poteſt illum iuuare per opus operatum Sacramenti, merè concomitanter ſe habens ad orationem. An Lexica omnia refingenda erunt, vt ab audientibus *communionem*, doceatur intelligendam eſſe *orationem?* Benè de ſimili nominum interuerſione Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 13. *Omnia periclitabuntur aliter accipi quàm ſunt, & amittere quod ſunt, dum aliter accipiuntur, ſi aliter quàm ſunt cognominantur.*

nantur. Fides nominum, salus est proprietatum. Idem l. contra Praxeam cap. 9. *Vtique omnia quod vocantur hoc erunt, & quod erunt hoc vocabuntur: & permiscere se diuersitas vocabulorum non potest omnino, quia nec rerum quarum erunt vocabula. Est, est; Non, non; Nam quod ampliùs est, hoc à malo est.*

Itaque cum D. Basilio ficum ficum dicamus; orationem inquam ne vocemus, *perceptionem Eucharistiæ*, sed quod reuera est, orationem. Falsum porrò est, orationem esse leuamen omnium maximum, quod animabus Purgatorij impendere possimus: cum sine controuersia sint alia longè potiora, vt postea attingam. Imponitur ergo simplicibus, cum iactatur, *communionem*, id est, *orationem fusam inter communicandum*, esse omnium subsidiorum quibus iuuare defunctos possumus, præstantissimum.

28. Quidni verò posset aliquis similiter orare pro defunctis inter recipiendum aliud quodpiam Sacramentum? V. g. cum quis recipit Confirmationem, aut Sacramentum Ordinis, vel Matrimonij, nihil vetat eum interim orare pro mortuis. Cur igitur aduersarij sicut hortantur ad communicandum pro mortuis, id est, (iuxta ipsorum glossam,) ad orandum pro eis inter percipiendam Eucharistiam, non similiter hortantur ad suscipiendam pro mortuis Confirmationem, vel Ordinem, aut Matrimonium? Vel si horum Sacramentorum perceptio infrequentior est, cur non excitant pœnitentes, vt accedant ad pœnitentiæ Sacramentum pro mortuis; cum nihil vetet, hominem præmisso actu pœnitentiæ, orare pro defunctis, interim dum Sacramentum conficitur adhibitione formæ per Sacerdotem impendentem absolutionis beneficium?

Liquere

Liquere profectò videtur, quid ſit pronunciandum de adhortatione ad communicandum pro mortuis, id eſt ad orandum pro mortuis inter communicandum. Quod ſi obtenditur optimus tunc ſtatus hominis ad precandum, occurram facile eſſe, æquè benè ac feruenter orare alio tempore. Ac proinde præſtabit abſque his ambagibus, hortari ad feruentem & vndecunque dignam orationem pro mortuis.

Non nego, opus operatum alicuius Sacramenti, aſſumi poſſe ad dignificandum opus operantis quo quis velit ſuffragari defuncto, v. g. orationem. Id enim fieri poſſe, rectè concedit Soto in 4. d. 45. q. 2. artic. 3. concluſ. 1. §. *eadem eſt*: Tantum igitur dico, id non eſſe peculiare Sacramento Euchariſtiæ, vt proinde non ſit cur potiùs ſatagatur pro inducenda frequentia huius Sacramenti ad dignificandam orationem pro defunctis, quàm pro inducenda frequentia Sacramenti pœnitentiæ; de qua tamen in defunctorum bonum hoc ſaltem modo vſurpanda, altum eſt vbique ſilentium, æquè ac de vſu cæterorum Sacramentorum in eum finem, dempta Euchariſtia. Quoduis item bonum opus quod viro iuſto gratiam auctiorem conuehit, reddit illius precationem concomitanter fuſam, digniorem ac meliorem; ſicut ipſa perſona per talem actum, & bona quæ homini infert, manifeſtè fit dignior: Et tamen nemo eo ex capite vrget fideles ad pia opera, (v. g. ad actum charitatis in Deum, vel ad actum eximiæ religionis erga Deiparam, alióſve cœlites;) vt ipſorum oratio dignior fiat, & aptior ad ſubleuandas animas in Purgatorio laborantes. Quare perfugium illud primum quod captabatur ad retinendum

pendum vſum inductum communicandi pro mortuis, videtur eſſe planè intutum & inidoneum.

An defuncti gaudeant de viuorum communionibus.

29. Quod verò ad calcem primi illius reſponſi referebatur ex Ioanne Sanches, friuolum omnino eſt, præterquàm quod ad rem non pertinet. Nec enim autor ille qui diſp. 33. *in fine*, notat ſe à Diana vocari *doctiſſimum & acutiſſimum*, adeò doctrina ſua & acumine excidit, vt cenſuerit communionem mortuis prodeſſe ex opere operato, quod in præſenti diſputatione exagitandum ſuſcepimus: ſed tantùm voluit, ſolatium animabus Purgatorij accreſcere, ex eo quod fideles ſuperſtites, etiamſi non cogitantes de mortuis, accedant ad Euchariſtiam: eo quod piæ illæ animæ, agnoſcunt viatores fideles ab Euchariſtiæ vſu feruorem & auctiorem charitatem adeptos, facilè erupturos in opera ſatisfactoria, quibus ignes Purgatorij ipſis miteſcant, vel etiam extinguantur: Itémque eo quod animæ Purgatorij, agnoſcunt in communione repræſentari paſſionem Chriſti, quam ſunt expertæ tam in hac vita quàm in alia.

Hæc autor ille, quæ vides à ſcopo præſentis controuerſiæ aliena eſſe. Addo autem nec eſſe vera, vel admittenda. Nam animæ Purgatorij, iuxta veram ſententiam alibi ſtabilitam, nullius formalis conſolationis ſunt capaces, ob præoccupatam ſummis cruciatibus eorúmque ſenſu, vniuerſam voluntatis capacitatem. Deinde quamuis eſſent alicuius conſolationis capaces, quomodò eam poſſent haurire

ex fidelium communíone quam ignorant? Vt autem Angeli dicantur reuelare animabus Purgatorij omnes communiones fidelium viatorum, incredibile eſt, cum ſint tam multæ & locis & temporibus diſiunctiſſimæ. Itaque cum non poſſit dari ratio, cur hanc potiùs quàm illam communionem reuelent, è tam multis quæ quotidie fiunt abſque directione formali & in actu ſignato ad leuandas has animas, vnde tamen conſolationem eis accedere cenſet Sanches; exiſtimandum potiùs eſt, ſi alia cauſa non vrgeat, nullam reuelari. Quare totum illud ſolatium animarum Purgatorij ex communione viatorum fidelium, euaneſcit.

30. Nec fulcitur per agnitam ab his animabus repræſentationem paſſionis in communione. Nam communio non repræſentat Chriſti paſſionem, ſed ſacrificatio, qua Chriſtus exhibetur ſpecie agni immolati; ſepoſitis ab inuicem quantum eſſet ex vi verborum, corpore & ſanguine. Vnde quæ S. Cyrillus Epiſtola vltima ad Neſtorium *à medio,* habet de Euchariſtia repræſentante mortem Chriſti. Item quæ Eucherius homil. 5. de Paſch. *ſub initium*, & Rupertus l. 3. de operibus Spir. ſancti cap. 20. piè diſſerunt de ingenioſiſſimo diuinæ ſapientiæ inuento in Euchariſtia inſtituenda, vt perpetuaretur exhibitio paſſionis & mortis Chriſti; quæ item Damaſcenus epiſtola de corpore Chriſti non ita pridem edita, adducit de analogia Sacramenti Euchariſtiæ cum cruce & paſſione Chriſti, & huius per illud repræſentatione, non ſunt accipienda de vſu Euchariſtiæ, ſiue de communione. Quin etiam ſi agatur de plena exhibitione & repræſentatione, non debent accipi de ipſamet Euchariſtia, provt in communione

communione extra ſacrificium porrigitur ſub vnica ſpecie, ſed tantùm de Euchariſtia, provt eſt ſacrificium in facto eſſe,& vi conſecrationis Chriſtus ſub duplici ſpecie in ſtatu immolari proponitur. Quatenus autem communio vtcunque exhibet clauſulam paſſionis Chriſti, ſiue ſepulturam, vt piiſſimè attigit Nyſſenus orat. 1. de reſurr. & Auguſt. l. 1. qq. Euang. q.7. æquè id verum eſt de communione ſacrilega, ac de religioſa & ſancta. At nemo finxerit, accedere animabus Purgatorij ſolatium,ex communione ſacrilega. Quid denique idem Autor voluerit, cum ait, *animas Purgatorij gaudere de repræſentata paſſione Chriſti, quam ſunt expertæ, tam in hac vita, quàm in alia?* fateor me non percipere. Suſpicor irrepſiſſe lacunam. Primum igitur effugium propoſitum,validè præcluſum eſt.

Secundum effugium, de captata tantùm aſſecutione indulgentiæ, pro defunctis.

31. Nec magis firmum eſt quod ſecundo loco proponebatur; nimirum inuitari fideles ad communicandum pro mortuis, vt eis proſint interuentu indulgentiæ quam conſequentur fundendo certas preces poſt perceptam Euchariſtiam, quo tempore maximè ſunt apti ad opitulandum defunctis per indulgentiæ applicationem. Hoc inquam effugium, æquè infirmum eſt ac primum, & eodem modo præcluditur. Luctari enim indulgentiam defuncto, non eſt communicare pro eo. Vt quid igitur aduerſarij hortantur fideles ad communicandum pro defunctis, non autem ad applicandas illis Indulgentias? Deinde cuiuis communioni non eſt adiunctum

adiunctum Indulgentiæ beneficium; nec quoties fit potestas communicantibus, adipiscendi indulgentiam, conceditur eo ipso vt talem indulgentiam lucrentur defunctis. Imo Sixtus IV. & Leo X. aliíque Pontifices, quorum declaratione ratum est inter Catholicos, Indulgentias posse defunctis prodesse, disertissimè tradiderunt, nullas Indulgentias defunctis prodesse, nisi quę ad illos expresè fuerint extensæ à concedente: quæ facultatis ad iuuandos per Indulgentiam defunctos porrectio, non in adeò multas Indulgentias cadit. Ferè autem obtingit tantùm, interuentu icuncularum sacrarum, vel rosariorum, aut granorum piacularium, quibus Pontificia largitas defunctis applicabilis annectatur. At pauci communicantiũ, huiusmodi Pontificiæ concessionis tesseras habent. Et tamen aduersarij, omnes indiscriminatim hortantur ad communionem pro mortuis, proposita spe subleuationis eorum, per huiusmodi medium.

32. Quod verò aiunt, tempus communionis esse maximè aptum ad subleuandos defunctos per Indulgentiam, ob optimum tunc statum hominis, quippe quem carbo de altari acceptus purgarit; nouam aduersariorum hallucinationem continet, quatenus fructum Indulgentiæ ad mortuos per Pontificem extensæ, bona dispositione lucrantis Indulgentiam metiuntur. Eáque ratione produnt, se non satis dispexisse naturam & rationem Indulgentiarum, quas in defunctorum bonum consequi datur. Ratum quippe est apud Theologos, Indulgentias non prodesse defunctis per modum absolutionis, seu per modum iudicij; sed tantùm per modum suffragij, siue solutionis. Hoc est, Ecclesiam per potestatem

potestatem diuinitùs acceptam circa erogationem communis thesauri, promere ex eo communi depositorio, tantum satisfactionum, quantum necesse est, vt misera anima in Purgatorio obærata, exoluatur debitis, & reatus in ea residuus amoueatur. Solutionem illam è communi thesauro petitam, Ecclesia in pretium iustum debitorum ac pœnarum à defuncto fideli subeundarum, exhibet Deo; qui ea oblatione & exhibitione pretij facta, remissionem reatus residui concedit per seipsum. Aliter verò contingit, cum reatus temporalis residuus remittitur viuentibus, beneficio Indulgentiæ. Nam tunc (loquor regulariter, & attento vsu recepto, non moratus quod posset à Pontifice de absoluta, vt ita dicam, potentia fieri;) Tunc inquam dispensator Ecclesiasticus, nomine Dei cuius vice fungitur & participata autoritate potitur, remittit reatum homini sibi subdito; non absque pretio quidem, (illud enim exhibet ex communi thesauro;) sed tamen interueniente sententia & absolutione lata per hominem iudicem, in eum circa quem pollet iurisdictione quoad illud quoque negotium.

Hinc porrò fit, vt quia Indulgentia viuentibus confertur per modum iudicij & absolutionis, necesse sit eos esse in gratia cum indulgentiam lucrantur; & quo meliùs affecti ac nitentiores sunt; eo sint ad percipiendam Indulgentiam accommodatiores; quia remissio pœnæ, vt habeat subiectum aptum, præexigit nitorem à culpa, & maculæ cuius reatus abstergendus est, depulsionem. At Indulgentiæ quam viuens defuncto lucratur, longè alia est ratio. Nam quia tali viuenti indulgentiam defuncto lucranti, nullus reatus remittitur; propterea non

Z est

eſt neceſſe, niſi vt opus præſcriptum exequatur: quo præſtito, ſiue ipſe ſit gratus Deo, ſiue mortali peccato ſordeat; & ſiue benè ac optimè, ſiue negligenter & inaccuratè, aut etiam peſſimè ſit diſpoſitus; Pontifex per modum piæ ſubuentionis, applicat defuncto ex theſauro communi pretium quo eget, vt ſubleuetur; quæ eſt doctrina Theologis receptiſſima. Ita enim Gabriel addit. ad lectionem 57. in Canonem, adducens S. Thomam atque Richardum. Idem habet Corduba l. de Indulg. q.26. Suares t.4. 3.p. d. 53. ſ.4. num. 6. Filliucius tract. 8. num. 213. & Bonac. diſp. 6. q. 1. p.6. num. 11. Ex quo liquet, quàm vanum ſit, quod aduerſarij comminiſcuntur de tempore communionis iuuandis per Indulgentiam defunctis maximè idoneo, ob optimum tunc ſtatum hominis.

Effugium tertium, de ſolo opere operantis, defunctis attributo.

35. Tertia denique euaſio, facilè præcludetur. Admitto enim manducationem in qua ſitus eſt vſus Euchariſtiæ, præter opus operatum Sacramenti, ſiue merita Chriſti quibus veluti fœta eſt, habere communes fructus bonorum quorumuis operum noſtrorum, atque adeò eſſe meritoriam, ſatisfactoriam, & impetratoriam. Nego tamen inde firmari communionem pro mortuis in ſenſu propoſito. Cur admittam vires morales propoſitas cerni in manducatione, non eſt obſcurum. Non enim ex eo quod Chriſtus dominus actui alicui libero hominis conſeruerit ac immiſerit merita ſua, eúmque homini fructuoſum reddiderit ex opere operato; æquum

æquum est adimi illi actui dotes quibus alioqui collucceret, nisi prærogatiua operis operati ditatus esset. Atque ita iuxta veram sententiam, contritio quæ in peccatore accedente ad Sacramentum pœnitentiæ, compingit illud Sacramentum vt pars eius materialis & intrinseca, habet sibi respondentem peculiarem gratiæ mensuram in ratione partis Sacramenti, distinctam ab ea quæ æquè rependeretur eidem actui, si extra Sacramentum pœnitentiæ eliceretur: quia iustum non est, vt actus ex eo quod adhibeatur ad Sacramenti compactionem, defraudetur eo fructu gratiæ, cuius ferax esset, si absque accessu absolutionis Sacramentalis prodiisset à voluntate libera, præuenta & adiuta diuinitùs. Et quanquam Bonacina disp. 1. de Sacram. q. 4. p.3. *in fine*, neget idem esse de attritione, eo quòd attritioni, si à peccatore eliceretur semota vsurpatione ad confectionem Sacramenti; atque adeò spectato in ea nudo opere operantis, nulla gratiæ portio responderet: Tamen supposita ea assumptione attritionis ad compingendum Sacramentum, idem reipsa de ea dicendum esse quoad feracitatem peculiaris gratiæ ex opere operantis rependendæ, ac id de contritione asseritur; rectè agnoscit Suares l.12. de gratia cap.28. num. 34. & inde liquere videtur, quod sicut contritioni in posteriori natura debetur gloria, quia per gratiam vi illius actus in priori naturæ congruè aduectam, homo iam est iustus; quod sufficit vt eodem temporis momento, in posteriore naturæ instanti mereatur gloriam condignè & propriè: Ita attritioni peccatoris, eo ipso momento quo assumitur ad compingendum Sacramentum; (cum scilicet formatur accessu ab-
 solutionis,)

ſolutionis,) debetur gratia ex opere operantis, in poſteriori naturæ quo ſubiungitur operi operato Sacramenti. In eo quippe poſteriore naturæ inſtanti, eſt actus hominis iuſti, cui debetur gratia; dependenter quidem à gratia ex opere operato collata, atque adeò in ſecundo tantùm inſtanti naturæ; ſed tamen illo ipſo inſtanti temporis quo ea gratia vi Sacramenti confertur, veréque differens ab ea: quia iſta reſpondet actui provt eſt actus hominis iuſti ex gratia operantis, illa verò reſpondet actui vt fœto meritis Chriſti, & compingenti Sacramentum. Hanc porrò duplicem vim cauſandi gratiam in actu qui eſt materialis pars Sacramenti pœnitentiæ, eſſe diſtinctam & ſeparabilem; patet, quia ſi actus ille eſſet venialiter malus, nullam gratiam ex opere operantis conueheret, nec tamen fraudaretur gratia debita ex opere operato, quam ſola mortalis culpa intercludit.

34. Et quod dictum eſt de vi meritoria gratiæ ex opere operantis, concomitanter iuncta feracitati gratiæ ex opere operato, in actu ſuſcipientis Sacramentum pœnitentiæ, æquè dicendum eſt de vi ſatisfactoria & impetratoria eiuſdem actus: quas dotes ex natura rei adiunctas actui ſic elicito, nihil eſt quod eidem actui adimat; idcirco quod ex Chriſti inſtitutione copulata ei fuerit vis producendi gratiam ex opere operato. Itaque omnibus illis dotibus æquè potitur, ac ſi ſolitarius eſſet, nec pœnitentiæ Sacramentum compingeret. Et idem eſt de actibus compingentibus ſubſtantialiter Sacramentum Matrimonij: hoc eſt de conſenſibus externo ſigno expreſſis, qui ſub ratione traditionis & acceptationis, ſunt ſibi mutuo proxima materia

&

& fosma Sacramenti Matrimonij. Nam præter prærogatiuam ad quam à Christo subuecti sunt, conferendi scilicet gratiam ex opere operato, cui non officit labes venialis fortè interueniens, etiamsi actibus illis interna, eósque vitians; illud insuper habent, si supernaturales ac vndecunque boni sint, iustóque & sancto subiecto aduenientes, vt gratiam peculiarem eidem concilient; síntque fructus satisfactorij & impetrationis feraces, non minus quàm si abiuncti ab opere operato Sacramenti illis conserto, eliciti fuissent à persona iusta & sancta, ex supernaturali motiuo, vndecunque nitentes. Notauit hoc Gabriel lect. 57. in Canonem *litera G.*

Agnoscuntur fructus communionis ex opere operantis.

35. Hinc manifestè habetur, actum manducationis, qui est non quidem pars essentialis, vt malè censuit Aureolus in 4. dist. 8. q. 1. artic. 1. sed vsus & perceptio Sacramenti Eucharistiæ, (cui perceptioni adiunctum est ex Christi institutione opus operatum huius Sacramenti;) cum sit actus humanus, posśitque supernaturalis & vndecunque bonus esse, non priuari iure omnibus iustorum actibus communi: ac proinde si eas conditiones habeat, quæ deposcuntur ad opus condignè meritorium, (vt sanè perfacile ac frequentissimum est vt eas habeat,) conuehere percipienti Eucharistiam, peculiare munus gratiæ, respondens operi operantis; itémque satisfactorium, & impetratorium esse, eo modo quo omnes nostri actus supernaturaliter boni. Et quamuis gratia sanctificans,

quæ homini Euchariſtiam percipienti accedit per actum illum quatenus actus eius eſt, neceſſariò immaneat recipienti Sacramentum, æquè ac gratia collata vi Sacramenti provt continentis merita Chriſti, ſiue ex opere operato; Tamen vis ſatisfactoria actui manducationis adiuncta, itémque vis impetratoria poteſt in alterius bonum cedere de conſenſu operantis, iuxta receptiſſimam de ſuffragiis & Chriſtiana communione doctrinam, cui immeritò vnus vel alter ſuperiore ſeculo obſtrepuit. Manifeſtè verò ex his efficitur, actum manducationis in ratione ſatisfactorij & impetratorij, poſſe applicari animabus Purgatorij, ſi ita ferat voluntas manducantis & percipientis Euchariſtiam, foréque his animabus fructuoſum. Et ita diſertè Gabriel lect. 57. in Can. *litera G.* Ioſephus Angles in 4. q. de ſuffragiis artic. 2. difficult. 3. & Suarez t. 3. 3. p. d. 63. ſ. 10. *in fine.* Hoc lubens admitto. Et nihilominus nego, quod hinc tertiò inferebatur; nempe vllum eſſe in hac veritate perfugium abuſui quem nunc exagitamus circa communionem pro mortuis: quod primùm vniuersè, tum ſigillatim expenſis duabus illis manducationis viribus moralibus, ſatisfactiua & impetratoria, monſtratum eo.

Par ratio, aliorum Sacramentorum.

36. In primis igitur nihil hîc feritur aut metitur aduerſariis, quos vidimus agere de opere operato Sacramenti Euchariſtiæ; quod autem hîc adducitur, eſt opus operantis. Saltat autem extra chorum, qui in cauſa operis operati, profert opus operantis, quæ ſunt diſtinctiſſima, & cauſis ac proprietatibus

prietatibus seiunctissima. Deinde sistendo in opere operantis, quod notari potest in vsu Sacramenti Eucharistiæ, liquet ex antedictis, simile opus operantis deprehendi posse in substantia Sacramenti pœnitentiæ & Matrimonij. Æquè enim actus è quibus Sacramentorum illorum substantia compingitur, sunt actus liberi, ac feraces gratiæ, & satisfactionis ac impetrationis, si conuestiantur idoneis ad has dotes ornamentis. Æquè item vis eorum satisfactiua & impetratiua potest ad animas purgatorij transfundi, si ita ferat voluntas suscipientium illa sacramenta. Nihil igitur peculiare habet hac in parte Eucharistia. Ac proinde quorsum aduersarij nunquam inuitant ac stimulant fideles ad ineundum pro mortuis coniugium, vel ad adeundum Confessionis Sacramentum pro defunctis; tantoperè autem feruet eorum studium circa solam communionem? Manifestè profectò deprehenduntur, sategisse pro opere operato Sacramenti Eucharistiæ fructuoso defunctis; & censuisse, sicut Missæ sacrificium ex opere operato, & quæcunque sit celebrantis sacerdotis conditio & dispositio, iuuat defunctos; ita Sacramenti Eucharistiæ perceptionem absque respectu ad conditiones & statum suscipientis, prodesse defunctis, si in eorum commodum referatur susceptio. Frustra igitur, cum argumento vrgentur, obtendunt opus operantis.

Perexigua hîc satisfactio.

37. Iam verò vis satisfactoria manducationis & susceptionis cibi Eucharistici provt hominis actio

est, adeò tenuis & exigua deprehendetur, si rectè perspiciatur, vt sollicitandus videatur aduersariorum pudor, si ex hac parte premantur; ostendatúrque vix fuisse cur pro tantula satisfactione in defunctos transfundenda vrgerent superstites ad communionem, si verè pro vi satisfactiua operi operantis respondente, & non pro fructu satisfactorio ad opus operatum pertinente, sategissent. Nam iuxta receptissimam Doctorum sententiam, opus eatenus est satisfactorium, quatenus est pœnale, & exercenti operosum; & pro ratione pœnalitatis, augetur vis operis satisfactiua, vt rectè asserunt Suares t.4. 3.p. d.37. s.5. num.4. & sect.6. num. 7. Henriques l. 2. de pœnit. cap. 19. num.5. Torres t. 1. in 2. 2. disp. 70. dub. 5. qui alios prætereà adducit in eam sententiam. Et ratio est perspicua, quia satisfactio repensa Deo ad expungendum debitum pœnæ temporalis, sita est in vltione ob violatum ius diuinum, quæ vltio manifestè sonat pœnalitatem eius in quo exercetur. Fateor tamen satisfactionem pro culpa vel iniuria Deo illata, (qualemcunque tandem exhibere Deo possumus,) aliter se habere; nec eam vim satisfactiuam, esse in actus nostri vtcunque satisfacientis pœnalitate locandam, vel augendam pro ratione pœnalitatis insitæ tali actui. Nam actus charitatis, qui est ad eam satisfactionem aptissimus, minùs pœnalis est, quàm alij plerique despicatiores actus. Idque voluerunt Scotus in 4. d.15. q. 1. *litera F.* & ibid. Gabriel d. 16. q. 2. *initio*, necnon Soto d. 19. q. 2. art.1. & Ægid. 3.p. d.10. num.29. aliíque, negantes vim actus satisfactiuam, esse admetiendam ad eius pœnalitatem. Sed nos hoc loco agimus de vi

satisfactiua

satisfactiua pro debito pœnæ temporalis, quod expungendum restat post ablatam maculam, & iniuriam in Deum.

38. Huiusmodi ergo vis satisfactiua, iustiùs celebraretur in actibus constituentibus Sacramentum Pœnitentiæ, eo quod sint valdè pœnales, quàm in manducatione Eucharistiæ. Quantus enim labor est, exponere peccata apud Confessarium, & de eis ex intimo animi sensu dolere, qui sunt actus constituentes Sacramentum pœnitentiæ ex patte suscipientis? E contrario manducatio, vix ac ne vix quidem, pœnalis est. Ausim etiam, præ ea magnæ pœnalitatis notare consensus connubiales. Vox enim Apostoli est, qui coniugium ineunt tribulationem carnis habituros; id est, interprete S. Paulino epistola 29. *sub finem*, & S. Gregorio 12. moral. cap. 13. ærumnarum molem, vndecunque obsepturam & oppressuram miseros coniuges. Vt non abs re Isidorus Pelus. l. 3. epist. 351. eam ab Apostolo propositam tribulationem carnis expendens, vocet *coniugium, arborem ramos proferentem, cum quibus & cura & mœrores efflorescunt*, supra omnes rhamnos & paliuros spinosam, & attrectatu molestam. Videsis quæ in eam sententiam protuli in opere de Martyrio p. 1. cap. 6. à num. 5. agens de seculi martyribus. Qui igitur has tantas coniugij spinas perspicit; (& vel lusciosus absque difficultate perspicit,) onus super se tollit, cum de ineundo coniugio agit. Onus tantum, vt autore Clemente Alexandrino 2. Strom. *ferè in fine*, ac Theodoreto l. 12. contra Græcos, Democritus & Epicurus aliique sectas molles & laboribus ac molestiis vacuas professi, de auersando coniugio dogma

 sanxerint.

ſanxerint. Quanto ergo iuſtius celebraretur vis ſatisfactiua conſenſuum connubialium Matrimonij Sacramentum conſtituentium, quibus homo in tot ſe aculeos ac ſpinas induit, quàm manducationis exiguarum ſpecierum, quibus Chriſti corpus occulitur, in qua vix licet aliquid laboris & pœnalitatis deprehendere per ſe loquendo, imo potiùs voluptatem?

Igitur ſi tantùm habita eſſet ratio virtutis ſatisfactiuæ affectantis vſum Sacramenti Euchariſtiæ ex opere operantis, & non potiùs virtutis ſatisfactiuæ adiunctæ eidem vſui ex opere operato, vt aduerſarij à Chriſto factum cenſuerunt, vix auſi eſſent inuitare & vrgere fideles, ad communicandum in gratiam mortuorum: Longéque præſtitiſſet, eos inuitare ad confeſſionem & matrimonium in eundem finem. Vt taceam flagellationes, cilicia, chameunias, ieiunia, aliáſque vt cum Tertulliano dicam, imbonitates; quibus vtpote valdè pœnalibus expeditiùs ſubleuarentur animæ Purgatorij, ſi earum per actus ſatisfactorios iuuandarum cupido inceſſat. Cum tamen aduerſarij de his ſubſidiis in gratiam afflictiſſimarum animarum adhibendis, vix vnquam audiantur agere; iuges verò ſint ac toti in obtrudenda & perſuadenda ad eum finem communione.

Impetratio, qualis.

39. Reliqua eſt vis impetratiua eiuſdem actus, provt actus noſter eſt. Nam ſumptionem Euchariſtiæ ex opere operato non eſſe impetratoriam, inde liquet, quòd Euchariſtia quà Sacramentum eſt, non

non ad impetrandum, ſed ad ſanctificandum addicitur. Eſto interponi à nobis poſſit ad exorandum Deum, & conſequenda varia beneficia obiectu Chriſti in eo Sacramento contenti, Deo fidenter oblati ad ſecuriùs impetrandum. Nihilominus enim ea vis impetrandi, germen eſt actus noſtri quo Chriſtum offerimus, non ipſius Chriſti quem ad id offerimus. Competétque actui noſtro eadem per Chriſtum impetrandi proprietas, ſi extra communionem homo ad ſacrum altare venerabundus Chriſtum ibi latentem Deo offerat; Vel ſi Chriſtum in propria ſpecie ſpectatum, exhibeat Deo ad impetrandum quod petit. Non eſt igitur hoc loco ſermo de morali facultate, ſiue proprietate impetrandi, conſerta ſumptioni Euchariſtiæ ex opere operato, ſed provt eſt germen ſumptionis, quatenus ipſa ſumptio eſt actus noſter bonus & ſupernaturalis, cuiuſmodi actus omnes, pollent impetrandi facultate, ex receptiſſima doctrina in tractatione de bonis operibus ac merito. Vbi tamen monſtratur, vim hanc impetrandi, non eſſe ſemper formalem & directam, qualis in oratione cernitur; ſed ſi deſit actus reflexus imperans aut dirigens actum bonum ab oratione diſtinctũ ad impetrandum, vis impetratiua actus illius boni, non erit niſi obiectiua. Id eſt, actus ille afficiens hominem, tametſi nihil de impetrando eius intuitu cogitantem, mouere poterit Deum, vt intuitu boni operis quod elicuit, ſuppeditet illi homini beneficia quibus eget, eúmve nouis donis ac cœleſtibus opibus cumulet, provt diuinæ beneuolentiæ propenſio tulerit.

40. Hinc eruendum eſt, quàm tenue ſubſidium animabus

animabus Purgatorij exhibeatur in manducatione cibi Euchariſtici, provt eſt impetratoria in ratione actus noſtri. Nam fructus ille impetrationis pro his animabus, non adiungitur manducationi niſi interueniat ſpecialis relatio vel volitio communicantis, qua ſuam manducationem dirigat in eum finem. Nemo enim alteri ſpeciale quicquam impetrat per actum ſuum, niſi referat illum ad commodum extranei quem ſuapte natura non ſpectabat; quia hæc eſt impetratio formalis, non autem illa quam vocaui obiectiuam, quæ nihil determinatè alteri depoſcit, ſed tota determinatio boni ob eam conferendi, eſt penes Deum. Si igitur ineatur conſilium de exequendo bono aliquo opere noſtro, quod per extrinſecam ordinationem noſtram referatur ad impetrandam ſubleuationem animabus Purgatorij, optimè fiet, ſi ad id deligatur actus omnium præſtantiſſimus, nempe actus charitatis in Deum, defæcatiſſimus atque puriſſimus. Is enim actus, omnium maximè eſt Deo acceptus, & pollebit vberrima vi impetrandi refrigerium his animabu s; ſi per voluntatem operantis eò referatur. Longè igitur ſatius eſſet, hortari fideles ad hanc praxim ſubleuandi defunctos per amorem Dei ſuper omnia, quàm per communionem; quæ nec tam frequens eſſe poteſt quàm amor ſuper omnia; nec tam expedita, cum ad ſummum ſemel in die in Eccleſia peragi poſſit, nec niſi adhibito Sacerdote: ſemper autem, ac vbiuis, & abſque arbitro vel adminiſtro, in promptu homini ſit amare Deum. Deinde oratio longè accommodatior eſt ad impetrandum, quàm quiuis alius actus noſter ad impetrandum directus: Ita vt licet alia virtutum opera impetrationem

impetrationem promoueant, quod spectarunt Patres qui dixerunt ieiunium & eleemosynam esse alas orationis, tamen propria impetratio in sola oratione radicetur, sitque eius propria & peculiaris proprietas, vt Suares rectè censuit l. 1. de orat. c. 23. num. 1. Vt quid ergo si animæ Purgatorij per impetrationem iuuandæ sint, adhibeatur sumptio Eucharistiæ, interuentu orationis, siue voluntatis orationem ad id imperantis (quo ipso rationem habet orationis;) & non potiùs absque tot ambagibus, rectâ assumatur oratio, & ad eam inuitentur fideles, non autem ad communionem?

Oratio provt præcisè impetratoria, tenue mortuorum subsidium.

41. Quanquam ne si ipsa quidem oratio ad hunc finem adhibeatur, tametsi est formalissimè & connaturalissimè impetratoria, multum præsidij in eo animarum Purgatorij subsidio statuendum erit, præcisè provt oratio est impetratoria. Quod addo, quia oratio multum potest leuare defunctos, provt est satisfactoria. Siue enim orationem mentalem, siue vocalem attendamus, vtraque est pœnalis: quippe sita in eleuatione mentis ad Deum, quam absque sensuum aliò auertentium obsistentia, atque adeò absque molestia, etiam corpus fatigante, exercere non licet. Itaque sensus Ecclesiæ, congruenter ad plerasque Scripturas, orationem numerat inter opera satisfactoria, vt Suares notauit l. 1. de orat. cap. 22. num. 7. Eatenus ergo oratio adhiberi optimè potest ad subleuandos defunctos. At præcisè provt est impetratoria, non nisi per anfractus iuuare

iuuare defunctos potest; nimirum interpellando diuinam bonitatem, vt prouideat viatores ad satisfaciendum idoneos, qui suis vt sic dicam, impensis, dissoluant debita defunctorum, cedendo eis fructu satisfactorio operum suorum: vel si qui sunt alij tales modi, indirectè iuuandi defunctos. Vt autem directè oratio exoret defunctis gratuitam pœnæ remissionem, pugnat cum diuinæ iustitiæ legibus: ac proinde quicquid vulgus existimet, oratio prout præcisè impetratoria, & nullam aliunde habens adiunctam vim satisfactiuam, inutilis est defunctis: Quia sicut homo, obsistentibus diuinæ iustitiæ legibus, non potest sibi impetrare gratuitam remissionem pœnæ temporalis quam pro peccatis admissis debet; sed adhibenda necessariò est solutio, saltem per amicos; ita multo minùs potest alteri impetrare immediatè, gratuitam illam laxationem debiti: nec is est modus quo oratio fusa à viatoribus iuuat defunctos, vt rectè Gabriel in 4. d. 16. q. 2. art. 3. dub. 8. Suares t. 4. 3. p. d. 48. s. 5. num. 5. & Ioannes Sanches d. 16. selecta num. 12. & 13. adducens D. Thomam, D. Bonauenturam & Sotum.

Si igitur oratio, quæ formalissimè & directissimè est impetratoria, tam parum defunctis commodat præcisè prout est impetratoria; quàm exile erit leuamen quod defunctis præstabitur interuentu manducationis, prout actus nostri ad aliquid illis impetrandum directi per actum voluntatis quo quis eligit ex eo fine manducare? Ea quippe electio, non est propriè oratio: atque adeò vis impetrandi, est ei velut extranea, æquè ac manducationi. Ac proinde vtraque prout præcisè impetratoria, non multùm cõferet ad defunctorũ subleuationem.

Inanitas

Inanitas euaſionum propoſitarum, concluditur.

42. Omnia igitur effugia quæ captabantur aduersùs rationes à nobis propoſitas contra communionem pro defunctis, ſufficienter videntur præcluſa: ſecuréque concludere poſſe videmur, meram hallucinationem & abuſionem fuiſſe, qua aduerſarij communionem pro mortuis, tanquam præſentiſſimum eorum ſubſidium celebrarunt, rati eam ex opere operato defunctis prodeſſe: Vt vt nunc aliqui, eam hallucinationem nitantur tegere, interuentu excuſationum quas proximè propoſuimus, & diſcuſſimus. Quamuis autem verum eſſet aliquam earum excuſationum obduci nonnullo colore veritatis; V. g. etiamſi verum eſt, communionem in ratione actus noſtri poſſe applicari defunctis, transfuſo in eos illo aliquali fructu ſatisfactorio quo pollet; Tamen ne impingamus in hallucinationem in quam alios prolapſos vidimus, gliſcátque abuſio exiſtimantium communionem prodeſſe mortuis ex opere operato, quod eſt planè falſum; præſtare videtur, perexiguum illud leuamen quod ex communione ſecundùm opus operantis ſpectata obuenire defunctis poſſet, alio aliquo vtiliore & errori non parente ſubſidio commutare; & ſimpliciter negare communionem laicorum prodeſſe mortuis, vt vidimus factum à D. Thoma, negante communionem, ſiue Euchariſtiam vt Sacramentum, prodeſſe defunctis; & contrarium laicorum vſum aut ſenſum, vocantis errorem.

Ad

quæ homini Eucharistiam percipienti accedit per actum illum quatenus actus eius est, necessariò immaneat recipienti Sacramentum, æquè ac gratia collata vi Sacramenti provt continentis merita Christi, siue ex opere operato; Tamen vis satisfactoria actui manducationis adiuncta, itémque vis impetratoria potest in alterius bonum cedere de consensu operantis, iuxta receptissimam de suffragiis & Christiana communione doctrinam, cui immeritò vnus vel alter superiore seculo obstrepuit. Manifestè verò ex his efficitur, actum manducationis in ratione satisfactorij & impetratorij, posse applicari animabus Purgatorij, si ita ferat voluntas manducantis & percipientis Eucharistiam, foréque his animabus fructuosum. Et ita disertè Gabriel lect. 57. in Can. *litera G.* Iosephus Angles in 4. q. de suffragiis artic. 2. difficult. 3. & Suarez t. 3. 3. p. d. 63. s. 10. *in fine*. Hoc lubens admitto. Et nihilominus nego, quod hinc tertiò inferebatur; nempe vllum esse in hac veritate perfugium abusui quem nunc exagitamus circa communionem pro mortuis: quod primùm vniuersè, tum sigillatim expensis duabus illis manducationis viribus moralibus, satisfactiua & impetratoria, monstratum eo.

Par ratio, aliorum Sacramentorum.

36. In primis igitur nihil hîc feritur aut metitur aduersariis, quos vidimus agere de opere operato Sacramenti Eucharistiæ; quod autem hîc adducitur, est opus operantis. Saltat autem extra chorum, qui in causa operis operati, profert opus operantis, quæ sunt distinctissima, & causis ac proprietatibus

prietatibus seiunctissima. Deinde sistendo in opere operantis, quod notari potest in vsu Sacramenti Eucharistiæ, liquet ex antedictis, simile opus operantis deprehendi posse in substantia Sacramenti pœnitentiæ & Matrimonij. Æquè enim actus è quibus Sacramentorum illorum substantia compingitur, sunt actus liberi, ac feraces gratiæ, & satisfactionis ac impetrationis, si conuestiantur idoneis ad has dotes ornamentis. Æquè item vis eorum satisfactiua & impetratiua potest ad animas purgatorij transfundi, si ita ferat voluntas suscipientium illa sacramenta. Nihil igitur peculiare habet hac in parte Eucharistia. Ac proinde quorsum aduersarij nunquam inuitant ac stimulant fideles ad ineundum pro mortuis coniugium, vel ad adeundum Confessionis Sacramentum pro defunctis; tantoperè autem feruet eorum studium circa solam communionem? Manifestè profectò deprehenduntur, sategisse pro opere operato Sacramenti Eucharistiæ fructuoso defunctis; & censuisse, sicut Missæ sacrificium ex opere operato, & quæcunque sit celebrantis sacerdotis conditio & dispositio, iuuat defunctos; ita Sacramenti Eucharistiæ perceptionem absque respectu ad conditiones & statum suscipientis, prodesse defunctis, si in eorum commodum referatur susceptio. Frustra igitur, cum argumento vrgentur, obtendunt opus operantis.

Perexigua hîc satisfactio.

37. Iam verò vis satisfactoria manducationis & susceptionis cibi Eucharistici provt hominis actio

eſt, adeò tenuis & exigua deprehendetur, ſi rectè perſpiciatur, vt ſollicitandus videatur aduerſariorum pudor, ſi ex hac parte premantur; oſtendatúrque vix fuiſſe cur pro tantula ſatisfactione in defunctos transfundenda vrgerent ſuperſtites ad communionem, ſi verè pro vi ſatisfactiua operi operantis reſpondente, & nón pro fructu ſatisfactorio ad opus operatum pertinente, ſategiſſent. Nam iuxta receptiſſimam Doctorum ſententiam, opus eatenus eſt ſatisfactorium, quatenus eſt pœnale, & exercenti operoſum; & pro ratione pœnalitatis, augetur vis operis ſatisfactiua, vt rectè aſſerunt Suares t.4. 3.p. d.37. ſ.5. num.4. & ſect.6. num.7. Henriques l. 2. de pœnit. cap. 19. num.5. Torres t. 1. in 2. 2. diſp. 70. dub. 5. qui alios prætereа adducit in eam ſententiam. Et ratio eſt perſpicua, quia ſatisfactio repenſa Deo ad expungendum debitum pœnæ temporalis, ſita eſt in vltione ob violatum ius diuinum, quæ vltio manifeſtè ſonat pœnalitatem eius in quo exercetur. Fateor tamen ſatisfactionem pro culpa vel iniuria Deo illata, (qualemcunque tandem exhibere Deo poſſumus,) aliter ſe habere; nec eam vim ſatisfactiuam, eſſe in actus noſtri vtcunque ſatisfacientis pœnalitate locandam, vel augendam pro ratione pœnalitatis inſitæ tali actui. Nam actus charitatis, qui eſt ad eam ſatisfactionem aptiſſimus, minùs pœnalis eſt, quàm alij plerique deſpicatiores actus. Idque voluerunt Scotus in 4. d.15. q. 1. *litera F.* & ibid. Gabriel d. 16. q. 2. *initio*, necnon Soto d. 19. q. 2. art.1. & Ægid. 3.p. d.10. num.29. aliíque, negantes vim actus ſatisfactiuam, eſſe admetiendam ad eius pœnalitatem. Sed nos hoc loco agimus de vi

ſatisfactiua

satisfactiua pro debito pœnæ temporalis, quod expungendum restat post ablatam maculam, & iniuriam in Deum.

38. Huiusmodi ergo vis satisfactiua, iustiùs celebraretur in actibus constituentibus Sacramentum Pœnitentiæ, eo quod sint valdè pœnales, quàm in manducatione Eucharistiæ. Quantus enim labor est, exponere peccata apud Confessarium, & de eis ex intimo animi sensu dolere, qui sunt actus constituentes Sacramentum pœnitentiæ ex parte suscipientis? E contrario manducatio, vix ac ne vix quidem, pœnalis est. Ausim etiam, præ ea magnæ pœnalitatis notare consensus connubiales. Vox enim Apostoli est, qui coniugium ineunt tribulationem carnis habituros; id est, interprete S. Paulino epistola 29. *sub finem*, & S. Gregorio 12. moral. cap. 13. ærumnarum molem, vndecunque obseptutam & oppressuram miseros coniuges. Vt non abs re Isidorus Pelus. l. 3. epist. 351. eam ab Apostolo propositam tribulationem carnis expendens, vocet *coniugium, arborem ramos proferentem, cum quibus & curæ & mœrores efflorescunt*, supra omnes rhamnos & paliuros spinosam, & attrectatu molestam. Videsis quæ in eam sententiam protuli in opere de Martyrio p. 1. cap. 6. à num. 5. agens de seculi martyribus. Qui igitur has tantas coniugij spinas perspicit; (& vel lusciosus absque difficultate perspicit,) onus super se tollit, cum de ineundo coniugio agit. Onus tantum, vt autore Clemente Alexandrino 2. Strom. *ferè in fine*, ac Theodoreto l. 12. contra Græcos, Democritus & Epicurus aliíque sectas molles & laboribus ac molestiis vacuas professi, de auersando coniugio dogma

 sanxerint.

ſanxerint. Quanto ergo iuſtius celebraretur vis ſatisfactiua conſenſuum connubialium Matrimonij Sacramentum conſtituentium, quibus homo in tot ſe aculeos ac ſpinas induit, quàm manducationis exiguarum ſpecierum, quibus Chriſti corpus occulitur, in qua vix licet aliquid laboris & pœnalitatis deprehendere per ſe loquendo, imo potiùs voluptatem?

Igitur ſi tantùm habita eſſet ratio virtutis ſatisfactiuæ aſſectantis vſum Sacramenti Euchariſtiæ ex opere operantis, & non potiùs virtutis ſatisfactiuæ adiunctæ eidem vſui ex opere operato, vt aduerſarij à Chriſto factum cenſuerunt, vix auſi eſſent inuitare & vrgere fideles, ad communicandum in gratiam mortuorum: Longéque præſtitiſſet, eos inuitare ad confeſſionem & matrimonium in eundem finem. Vt taceam flagellationes, cilicia, chameunias, ieiunia, aliáſque vt cum Tertulliano dicam, imbonitates; quibus vtpote valdè pœnalibus expeditiùs ſubleuarentur animæ Purgatorij, ſi earum per actus ſatisfactorios iuuandarum cupido inceſſat. Cum tamen aduerſarij de his ſubſidiis in gratiam afflictiſſimarum animarum adhibendis, vix vnquam audiantur agere; iuges verò ſint ac toti in obtrudenda & perſuadenda ad eum finem communione.

Impetratio, qualis.

39. Reliqua eſt vis impetratiua eiuſdem actus, provt actus noſter eſt. Nam ſumptionem Euchariſtiæ ex opere operato non eſſe impetratoriam, inde liquet, quòd Euchariſtia quà Sacramentum eſt, non

non ad impetrandum, ſed ad ſanctificandum addicitur. Eſto interponi à nobis poſſit ad exorandum Deum, & conſequenda varia beneficia obiectu Chriſti in eo Sacramento contenti, Deo fidenter oblati ad ſecuriùs impetrandum. Nihilominus enim ea vis impetrandi, germen eſt actus noſtri quo Chriſtum offerimus, non ipſius Chriſti quem ad id offerimus. Competétque actui noſtro eadem per Chriſtum impetrandi proprietas, ſi extra communionem homo ad ſacrum altare venerabundus Chriſtum ibi latentem Deo offerat; Vel ſi Chriſtum in propria ſpecie ſpectatum, exhibeat Deo ad impetrandum quod petit. Non eſt igitur hoc loco ſermo de morali facultate, ſiue proprietate impetrandi, conſerta ſumptioni Euchariſtiæ ex opere operato, ſed provt eſt germen ſumptionis, quatenus ipſa ſumptio eſt actus noſter bonus & ſupernaturalis, cuiuſmodi actus omnes, pollent impetrandi facultate, ex receptiſſima doctrina in tractatione de bonis operibus ac merito. Vbi tamen monſtratur, vim hanc impetrandi, non eſſe ſemper formalem & directam, qualis in oratione cernitur; ſed ſi deſit actus reflexus imperans aut dirigens actum bonum ab oratione diſtinctũ ad impetrandum, vis impetratiua actus illius boni, non erit niſi obiectiua. Id eſt, actus ille afficiens hominem, tametſi nihil de impetrando eius intuitu cogitantem, mouere poterit Deum, vt intuitu boni operis quod elicuit, ſuppeditet illi homini beneficia quibus eget, eúmve nouis donis ac cœleſtibus opibus cumulet, provt diuinæ beneuolentiæ propenſio tulerit.

40. Hinc eruendum eſt, quàm tenue ſubſidium

animabus

animabus Purgatorij exhibeatur in manducatione cibi Euchariſtici, provt eſt impetratoria in ratione actus noſtri. Nam fructus ille impetrationis pro his animabus, non adiungitur manducationi niſi interueniat ſpecialis relatio vel volitio communicantis, qua ſuam manducationem dirigat in eum finem. Nemo enim alteri ſpeciale quicquam impetrat per actum ſuum, niſi referat illum ad commodum extranei quem ſuapte natura non ſpectabat; quia hæc eſt impetratio formalis, non autem illa quam vocaui obiectiuam, quæ nihil determinatè alteri depoſcit, ſed tota determinatio boni ob eam conferendi, eſt penes Deum. Si igitur ineatur conſilium de exequendo bono aliquo opere noſtro, quod per extrinſecam ordinationem noſtram referatur ad impetrandam ſubleuationem animabus Purgatorij, optimè fiet, ſi ad id deligatur actus omnium præſtantiſſimus, nempe actus charitatis in Deum, defæcatiſſimus atque puriſſimus. Is enim actus, omnium maximè eſt Deo acceptus, & pollebit vberrima vi impetrandi refrigerium his animabu s; ſi per voluntatem operantis eò referatur. Longè igitur ſatius eſſet, hortari fideles ad hanc praxim ſubleuandi defunctos per amorem Dei ſuper omnia, quàm per communionem; quæ nec tam frequens eſſe poteſt quàm amor ſuper omnia; nec tam expedita, cum ad ſummum ſemel in die in Eccleſia peragi poſſit, nec niſi adhibito Sacerdote: ſemper autem, ac vbiuis, & abſque arbitro vel adminiſtro, in promptu homini ſit amare Deum. Deinde oratio longè accommodatior eſt ad impetrandum, quàm quiuis alius actus noſter ad impetrandum directus: Ita vt licet alia virtutum opera

impetrationem

impetrationem promoueant, quod ſpectarunt Patres qui dixerunt ieiunium & eleemoſynam eſſe alas orationis, tamen propria impetratio in ſola oratione radicetur, ſitque eius propria & peculiaris proprietas, vt Suares rectè cenſuit l. 1. de orat. c. 23. num. 1. Vt quid ergo ſi animæ Purgatorij per impetrationem iuuandæ ſint, adhibeatur ſumptio Euchariſtiæ, interuentu orationis, ſiue voluntatis orationem ad id imperantis (quo ipſo rationem habet orationis;) & non potiùs abſque tot ambagibus, rectâ aſſumatur oratio, & ad eam inuitentur fideles, non autem ad communionem?

Oratio provt præcisè impetratoria, tenue mortuorum ſubſidium.

41. Quanquam ne ſi ipſa quidem oratio ad hunc finem adhibeatur, tametſi eſt formaliſſimè & connaturaliſſimè impetratoria, multum præſidij in eo animarum Purgatorij ſubſidio ſtatuendum erit, præcisè provt oratio eſt impetratoria. Quod addo, quia oratio multum poteſt leuare defunctos, provt eſt ſatisfactoria. Siue enim orationem mentalem, ſiue vocalem attendamus, vtraque eſt pœnalis: quippe ſita in eleuatione mentis ad Deum, quam abſque ſenſuum aliò auertentium obſiſtentia, atque adeò abſque moleſtia, etiam corpus fatigante, exercere non licet. Itaque ſenſus Eccleſiæ, congruenter ad pleraſque Scripturas, orationem numerat inter opera ſatisfactoria, vt Suares notauit l. 1. de orat. cap. 22. num. 7. Eatenus ergo oratio adhiberi optimè poteſt ad ſubleuandos defunctos. At præcisè provt eſt impetratoria, non niſi per anfractus iuuare

iuuare defunctos potest; nimirum interpellando diuinam bonitatem, vt prouideat viatores ad satisfaciendum idoneos, qui suis vt sic dicam, impensis, dissoluant debita defunctorum, cedendo eis fructu satisfactorio operum suorum: vel si qui sunt alij tales modi, indirectè iuuandi defunctos. Vt autem directè oratio exoret defunctis gratuitam pœnæ remissionem, pugnat cum diuinæ iustitiæ legibus: ac proinde quicquid vulgus existimet, oratio provt præcisè impetratoria, & nullam aliunde habens adiunctam vim satisfactiuam, inutilis est defunctis: Quia sicut homo, obsistentibus diuinæ iustitiæ legibus, non potest sibi impetrare gratuitam remissionem pœnæ temporalis quam pro peccatis admissis debet; sed adhibenda necessariò est solutio, saltem per amicos; ita multo minùs potest alteri impetrare immediatè, gratuitam illam laxationem debiti: nec is est modus quo oratio fusa à viatoribus iuuat defunctos, vt rectè Gabriel in 4. d. 16. q.2. art.3. dub.8. Suares t.4. 3.p. d.48. f.5. num. 5. & Ioannes Sanches d.16. selecta num.12. & 13. adducens D. Thomam, D. Bonauenturam & Sotum.

Si igitur oratio, quæ formalissimè & directissimè est impetratoria, tam parum defunctis commodat præcisè provt est impetratoria; quàm exile erit leuamen quod defunctis præstabitur interuentu manducationis, provt actus nostri ad aliquid illis impetrandum directi per actum voluntatis quo quis eligit ex eo fine manducare? Ea quippe electio, non est propriè oratio: atque adeò vis impetrandi, est ei velut extranea, æquè ac manducationi. Ac proinde vtraque provt præcisè impetratoria, non multùm cóferet ad defunctorũ subleuationem.

Inanitas

Inanitas euasionum propositarum, concluditur.

42. Omnia igitur effugia quæ captabantur aduersùs rationes à nobis propositas contra communionem pro defunctis, sufficienter videntur præclusa: securéque concludere posse videmur, meram hallucinationem & abusionem fuisse, qua aduersarij communionem pro mortuis, tanquam præsentissimum eorum subsidium celebrarunt, rati eam ex opere operato defunctis prodesse: Vt vt nunc aliqui, eam hallucinationem nitantur tegere, interuentu excusationum quas proximè proposuimus, & discussimus. Quamuis autem verum esset aliquam earum excusationum obduci nonnullo colore veritatis; V. g. etiamsi verum est, communionem in ratione actus nostri posse applicari defunctis, transfuso in eos illo aliquali fructu satisfactorio quo pollet; Tamen ne impingamus in hallucinationem in quam alios prolapsos vidimus, gliscátque abusio existimantium communionem prodesse mortuis ex opere operato, quod est planè falsum; præstare videtur, perexiguum illud leuamen quod ex communione secundùm opus operantis spectata obuenire defunctis posset, alio aliquo vtiliore & errori non parente subsidio commutare; & simpliciter negare communionem laicorum prodesse mortuis, vt vidimus factum à D. Thoma, negante communionem, siue Eucharistiam vt Sacramentum, prodesse defunctis; & contrarium laicorum vsum aut sensum, vocantis errorem.

Ad

Ad probationes contrarij placiti, initio adductas. Scholastici exponuntur.

43. Sic confirmata veritate, veniendum est ad ea dissoluenda quæ initio proposita sunt pro contraria abusione, ducto principio à firmamentis ex autoritate. Adducebatur ergo in primis Gerso, cuius autoritas tametsi non est ineluctabilis, nec possit negari quin interdum eius doctrina næuis aliquibus scateat: (asperiùs etiam in eam loquitur Victoria relect. 4. propos. 2. & 5.) tamen hac in parte, nihil continet non verum. Commendat enim duntaxat preces fidelium pro defunctis, præsertim sub tempus communionis, cum homo maximè feruet. At preces, siue proximè antecedant, aut subsequantur communionem, siue ei comitentur, non sunt communio. Et quidem preces illas iuuare defunctos, extra dubium est: quia sic Christus videtur esse precanti pro ramo oleagineo quo misericordia commemorari Regibus apud mortales solet, cum post exacerbationem placandi suscipiuntur, vt piè admodum differit S. Chrysostomus homil. 3. contra Anomæos, & orat. de S. Philogonio. Eadémque est vox cæterorum Patrum quos produco in opere cui titulus, *Iusta & inferia piis manibus.* At communionem, id est, Eucharistiæ perceptionem precibus illis præuiam, aut subiunctam, vel concomitantem, quatenus Sacramentum est nobis admotum, accommodatum esse leuandis defunctis subsidium, Gersoni ne per somnium quidē, in mentem venit: de quo prouoco ad prudentem lectorem, qui vel perfunctoriè adductā ex eo Epistolā legerit.

Ioannes

Ioannes Nider qui postea proferebatur, apertè à me est. Disertè enim capite illo 9. *litera E*, allegatis S. Thoma atque Durando in 4. d. 12. & in 3. præceptum cap. 12. *litera K.* adducto S. Thoma, Eucharistiam ait vel considerari vt Sacramentum, vel vt sacrificium. Priore modo, soli recipienti proficere docet. Posteriore autem, & viuis & defunctis pro eorum diuersa dispositione & capacitate. Verba autem quæ ex Scoto paulo ante protulerat, admittens perceptionem Eucharistiæ super omnia valere defunctis, non pertinent ad Eucharistiæ perceptioné, provt est merus vsus Sacramenti Eucharistiæ iam confecti: sed ad actioné qua Christus viua victima in altari immolatur. Sunt enim & iam olim fuerunt variæ sententiæ de actione in qua situm est substantialiter sacrificium Christianum incruentum; id est, de actione quæ est vera & præcisa Christi sacrificatio in nostro altari. Et nonnulli quidem partim in consecratione, partim idque magis, in vocali oblatione subsequente, verbis illis comprehensa, *offerimus præclaræ maiestati tuæ*, sitam esse voluerunt rationé sacrificij incruenti, vt Echius lib. 3. de Missa cap. 9. Henricus 8. in assertione Sacramenti Eucharistiæ, & in eiusdem assertionis defensione, Roffensis. Alij sacrificationem incruentam non in prædictis duntaxat actionibus collocarunt; sed etiam maximè in communione, & consumptione oblatorum. Sic Soto in 4. d. 13. q. 2. & Bellarminus lib. 1. de Missa cap. vltimo. Non defuit qui ad absolutam sacrificationis incruentæ rationem, etiam hostiæ fractionem ac tinctionem exposceret. Ita Canus 12. de locis cap. 12. Tandem alij actionem sacrificij incruenti constitutiuam,

 agnouerunt

agnouerunt esse solam consecrationem geminam, quod perspicuè tradit S.Thomas 3.p. q.80. art.12. ad 3. & 1.2.q.83. artic.4. Suares t.3. 3.p. d.75.f.4. Alanus l. de Missa cap.15.& alij quos hi proferunt, nósque suo loco recensemus.

44. Cum ergo tot sint & iam olim fuerint de incruenta sacrificatione sententiæ ; noluit Scotus, eíve subscribens Nider, pronunciare extra locum, quænam earum vera esset, atque adeò quæ actio Sacerdotis vt ministri publici haberet rationem oblationis, siue immolationis Christi, hostiæ puræ ac immaculatæ : sed quæcunque tandem sit ea sacerdotis actio, cui competit esse talem Christi oblationem siue sacrificationem, eam Scotus annuente Nidero, ait esse præcipuum defunctorum subsidium, & verè ait. Vnde si vera esset sententia quæ asserit perceptionem Eucharistiæ per Sacerdotem, (de tali quippe perceptione agunt Scotus & Nider, non de ea quæ fit extra sacrificium ;) esse veram sacrificationem ; admittunt prædicti autores, dicendum consequenter fore, nullum esse vtilius mortuis subsidium quàm sit ea perceptio. Verùm tunc in eandem perceptionem Eucharistiæ concurrerent duo, diligentissimè secernenda : Nempe immolatio siue sacrificatio incruenta, & vsus Sacramenti Eucharistiæ per sacerdotem. Tametsi autem vsus ille, provt esset merè vsus Sacramenti, nihilo plus prodesset defunctis quàm cum laicus communicat & vtitur Sacramento ; tamen in ratione immolationis, prodesset defunctis supra quæcunque alia Christiana pro eis subsidia.

Cæterum iuxta veram sententiam de actione sacerdotis qua sacrificium constituitur, cessat omnis ambiguitas.

ambiguitas. Neque enim Christiana sacrificatio incruenta, consistit in consumptione vel vsu Sacramenti Eucharistiæ per Sacerdotem, sed in gemina consecratione, qua Christus gladio verbi Dei statuitur in statu separationis animæ à corpore, quantum est ex vi verborum, ita vt Nyssenus orat. 1. de resurr. appellet consecrationem à Christo factam in cœna vltima, anteoccupationem violentæ mortis à Pilato posteà illatæ: quibus similia habet Hesychius lib. 2. in Leuit. cap. 8. & S. Leo serm. 7. de passio. Iuxta hanc igitur sententiam fusiùs confirmatam tractando Christi sacerdotium, tollitur ambiguitas illa quæ affectaretur sententiam collocantem substantiam incruenti sacrificij in consumptione Sacramenti Eucharistiæ per Sacerdotem; dispellitúrque caligo, quæ ex prætermissa diiudicatione illius sententiæ offusa videbatur dictis Scoti & Nideri: quasi amplexati essent doctrinam de communione extra sacrificium defunctis vtili, quod illis in mentem non venit, & conceptis verbis à Nidero reiicitur, vt notaui.

45. Diui Thomæ autoritas, (de qua postea,) perperam obtenditur abusioni quam impugnamus. Nam præterquàm quod disertè ac perspicuè pluribus locis ex eo supra notatis, negat Eucharistiæ Sacramenti perceptionem, prodesse defunctis ex opere operato, in illa ipsa solutione ad tertium quæ inter argumentandum pro contrario placito est adducta, nihil reuera habet, veritati aut traditæ illis aliis locis doctrinæ repugnans. Illud ergo tertium argumentum, debet sumi vt subiunctum primo ac secundo argumento quibus probatum fuerat, mortuos subleuari per altaris sacrificium. D. ita-

que Thomas pro more argumentando primùm contra se, probat non tantùm Eucharistiam, (vtique provt tantùm est sacrificium,) sed alia quoque Sacramenta, videri idonea ad subleuandos defunctos, cum Eucharistia id possit. Respondet autem disparitatem esse, penes vnum quod monuerat attendendum esse in subsidiis defunctorum; nempe habitudinem cum communione mutua & charitate: quæ est optima ratio cur Eucharistia sub aliqua ratione, nempe sub ratione sacrificij sit à Deo addicta iuuandis defunctis, quamuis id non habeat sub omni ratione sub qua est signum vnionis. Non enim id habet spectata præcisè sub ratione Sacramenti, quamuis etiam sub ea ratione dicat habitudinem ad mutuam inter nos charitatem, quam & significat & procreat, vt rectè assumptum est inter argumentandum; & multis illustrat Walterus Cœna 3. cap.55. Ipsum *communionis* nomen, id apertè fert, vt pulchrè notauit Damasc. 4. fid. cap.14. *sub finem*, post S. Dionysium cap.3. Hierar. Eccl. *initio*. tametsi Isidor. Pelus. l. 1. epistol. 228. nomen *communionis* ad nostram cum Deo coniunctionem, per hoc maximè Sacramentum conciliatam, censuit pertinere.

46. Locus deinde ex Nicolao Cabasila allegatus, parum momenti habet. In primis quia is fuit Cabasilas, cui nihilo plus deferendum ex necessitate sit, quàm rationibus ab eo prolatis extorqueatur. Fuit enim Schismaticus, vel etiam hæreticus; cum quoad Spiritus sancti processionem à solo Patre, tum quoad alios articulos in quibus Græci obfirmatè à Romana Ecclesia dissidet. Eóque ipso opere de quo agitur, cap. 29. & 30. turpiter impegit circa

circa consecrationis efficaciam, & transubstantiationem vi verborum solius Christi: quod Heruetus interpres, in præuia ad Lectorem admonitione notauit, & copiosè confutauit Petrus Arcudius lib.3. de concordia Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ circa Sacramenta cap. 28. addens eiusdem operis lib.2.c.21. fœdè item hallucinatum Cabasilam circa Confirmationis iterabilitatem, & vim characteris in baptismo impressi, aliáque de quibus ibi illum insimulat. Itaque in hac quoque causa, non Cabasilæ autoritas attendenda est, sed eius argumentatio, quæ tametsi esset efficacissima, nihil tamen nos remoraretur in præsenti negotio, quippe nullo modo ad illud pertinens. Neque enim contendit Cabasilas, Eucharistiæ pro defuncto perceptionem per superstitem, prodesse defuncto ex opere operato, quod est punctum cui diiudicando insistimus: sed asserit, ipsum per se defunctum, participare sanctificationem ex corpore & sanguine Domini; non quidem interuentu substantialis manducationis, quæ non peragitur nisi in corpore, & per corpus; sed inuisibili & arcana participatione, quam Deus nouit. Hoc vides ad rem nostram non facere, nec negotium communionis pro mortuis quod discutimus, promouere; possétque hîc à nobis tacitũ præteriri cùm ad institutũ non referat.

Age tamen, vt appareat quàm nostra sententia, vt autoritate, sic argumentis à Cabasila in scopum quem habuit propositum intortis, minimè grauetur; consideremus quàm solidè illam per defunctos sanctificationem, à participato arcanum in modum quem Deus nouit, corpore & sanguine Domini, stabiliat atque confirmet. Inde enim li-

quebit, ne per proportionem quidem, argumentationes Cabasilæ aptari posse ad muniendum abusum quem exagitamus; communionis scilicet superstitum pro mortuis, tanquam eis proficuæ vi Sacramenti, siue ex opere operato. Argumentatur ergo Cabasilas, vt probet arcanum illum suum modum sanctificationis defunctorum, ex immediata, sed inuisibili & non substantiali participatione Eucharistiæ per ipsosmet defunctos; supponens ante omnia, sanctificationem per sacramentum, non obtingere ex eo quod ore sumātur sancta, & Christus visibilibus speciebus obtectus comedatur atque bibatur. Quàm multi enim ad eum modum accipientes Christum, non sanctificantur, quin potius inquinantur magis, & iudicium sibi manducant & bibunt, corpus Domini non diiudicantes? Causæ igitur sanctificationis per Sacramentum, iudice Cabasila sunt, quas his eius verbis ex cap. 42. appendo. *Animæ purgatio, in Deum dilectio, fides, desiderium mysterij, alacritas ad participationem, feruens appetitio, sitientes currere. Hæc sunt quæ hanc sanctificationem attrahunt*, subdit mox Cabasilas. *Sed hæc omnia non sunt corporalia, sed dependent à sola anima. Nihil ergo prohibet, etiam animas hoc posse mortuorum, sicut & viuorum. Si ergo animæ quidem ad suscipiendum mysterium sunt paratæ & promptæ, is autem in cuius est potestate sanctificare, & perficere, vult semper sanctificare, & seipsum semper impertiri desiderat; quid est prohibiturum hanc participationem? Nihil omnino.* Quod si hinc inferas sequi, posse viuos frui sanctificatione per Sacramentum, absque substantiali perceptione corporis Christi in stomachum per manducationem demissi;

demiſſi; Reſpondet Cabaſilas eodem cap. 42. negandam eſſe conſequentiam, ſi ſuppetat reipſa facultas ſumendi ſubſtantialiter abditum intra ſpecies corpus Chriſti. Tunc enim vt ſanctificatio poſſit per Sacramentum obuenire, adhibenda eſt ſumptio realis. Si tamen deſit facultas vſurpandi ſubſtantialiter Chriſtum per os corporis, (vt ſanè deeſt defunctis, & nonnullis eremi accolis ab omnium mortalium conſortio & vſu Sacramentorum remotiſſimis, qui proinde non niſi ſpiritualiter communicant, ſicut defunctorum animæ;) tunc confertur per Sacramentum ſanctificatio, abſque reali ſuſceptione Sacramenti, & intra illud oſtreum abditæ margaritæ corporis Domini, vt ſcitiſſimè dixit Anaſtaſius Sinaïta orat. in nouam Dominicam, apud Damaſcenum orat. 3. de Imag. Quia ergo non ſtat per defunctos, quominùs Chriſti corpore ſubſtantialiter per os corporis hauſto fruantur, meritò eius ſanctificatione non excluduntur. Et ſanè ſi Deus homini corpus corruptibile geſtanti, conceſſit vt incorruptibile Chriſti corpus participaret, & inde ſanctificaretur, quanto magis cenſendus erit voluiſſe, vt anima purè immortalis & corpore ſoluta, magíſque in dies nitens & apta ad huius beneficij vſuram, vt monſtrat cap. 45. participaret ſuo modo corpori & ſanguini Domini, indéque hauriret ſanctificationem? Collegi fideliter quicquid alicuius ſucci occurrit in vniuerſa Cabaſilæ diſputatione, pro ſua illa arcana Euchariſtiæ participatione per defunctos, inde haurientes ſanctificationem.

Ex hoc porrò eius breuiculo appatet, nihil ex ea, ne per analogiam quidem, accommodari &

transferri posse ad viuentium communionem mortuis vtilem ex opere operato, & vi Sacramenti. Ipsa verò Cabasilæ disputatio planè inanis est, nec fermenti reprobi admistione libera. In primisque supponit, Sacramenta sanctificare non sumentes: quod falsum est, nec rectè à Cabasila confirmatur ex spirituali tantùm communione Anachoretarum. Neque enim verum est, eam communionem prodesse ex opere operato, & vi Sacramenti; cum tantùm prosit ratione operis operantis, siue desiderij quod eliciunt qui communicare vellent, nec possunt. At sanctificatio ex opere operantis, non cadit in defunctos: quia quod ad illos attinet, venit nox in qua nemo potest operari. Sanctificationem ergo ex opere operato per Sacramentum Eucharistiæ Christus alligauit substantiali perceptioni corporis sui, cuius defuncti non sunt capaces. Supponit deinde Cabasilas defunctos posse sanctitatem suam augere, quod item falsum est. Nam ex quo animæ transgressæ sunt limitem viæ, nullum vltra crementum sanctificationis, siue per sacramenta, siue aliter possunt suscipere. Nec iuuat quod hæc dicantur fieri arcano modo. Non enim effutienda sunt paradoxa, quæ cum exponi & componi cum sacra doctrina nequiuerint, velis stabilire per arcanos & soli Deo peruios modos. Vt optimè contra Monophysitas quosdam, arcanam Deitatis & humanitatis identitatem, salua formali & reali vtriusque naturæ distinctione inuehentes, disputat Theodoretus Opusc. 10. & 12. ac 19. ex 20. perperam tributis S. Athanasio, & nos haud indiligenter lib. 1. de Christo sect. 2. cap. 6. Sunt qui simili arcano modo, possibilem Deo omnium contradictoriorum

consociationem

consociationem tueantur, & eo nomine affectent audire hypermystici, quæ mihi occulta (quod volunt,) philosophia, & aperta deliratio videtur.

Nihil apud Patres, pro Aduersariis.

47. Quod S. Augustinus (qui postea in contrarium est adductus,) de matre sua S. Monica, ad loca in quibus fideles tumulabantur communicante, scriptis prodidit; non est ad rem. Neque enim ibi agitur de communione pro mortuis, sed de communione ad sepulcra SS. Martyrum in eorum honorem: quatenus ea perceptio Sacramenti, provt est actus noster à religionis virtute profectus, potest in Sanctorum Martyrum cultum cedere, ex destinatione operantis. Idcirco etiam specialiter captari potuit vsus Eucharistiæ eo in loco, vt maiori cum sensu & fructu pietatis vsurparetur, ob præsentiam sanctorum corporum, quæ imitatione passionis Dominicæ per Eucharistiæ sacrificium exhibitæ, (vt ibi ait S. Augustinus,) fuerant immolata. Accedit quod ad eum modum communicans B. Monica, videri potuit optimè attestata ei præclarissimo Eucharistiæ effectui quem prodidit S.Cyprianus epist. 54. nimirum roborandi martyres ad agonem illum durissimum; qui Eucharistiæ eximius effectus à grauissimis Patribus agnitus est: ita vt censuerit S. Cyprianus, ineptum esse ad martyrium qui per Eucharistiæ sumptionem non præmunitur ad prælium; quia *mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.* S. item Augustinus tract.27. in Ioannem *ad finem*, immotam S.Laurentij in viuicomburio constantiam, reuocat

ad vsum Eucharistiæ : indidémque deriuatam tantam S. Vincentij in acerbissimis cruciatibus fortitudinem, obseruat serm. 13. de Sanctis.

48. Eò igitur dirigebatur à S.Monica, communio ad tumulos SS. Martyrum ; non autem ad subleuationem defunctorum ibidem tumulatorum. Vt enim hoc Mediolani factum concedam, vbi hæc S. Monicæ communio peracta est ; (quamuis aliis plerisque locis, ne Reges quidem intra sacra martyrum corporibus loca tumularentur, vt notaui in opere de Martyr. p. 4. cap. 6. num. 7.) annuámque verum esse, fideles in ea ciuitate & alicubi apud alios, tumulari solitos intra ædem sacram in qua iacebant martyrum pignora, suadet epitaphium S. Satyri conscriptum à S. Ambrosio, qui testatur se condidisse fratris corpus ad læuam S. Martyris, vt sacri sanguinis humor, finitimas penetrans exuuias, eas ablueret ; similiáque leguntur apud S. Paulinum carm. de obitu Celsi infantis de filiolo ab ipso S. Paulino patre condi iusso intra basilicam SS. Martyrum Complutensium. Quamuis igitur Mediolani, & alibi quibusdam saltem locis, verum sit fideles sepulturam nactos esse intra sacras ædes in quibus SS. Martyrum corpora jacebant ; Tamen S. Monica in illis ædibus communicans, non spectauit subleuationem defunctorum per suam communionem, sed maiorem suæ pietatis inter communicandum excitationem ex præsentia SS. Martyrum, itémque religiosum eorum cultum ex pia sacrorum mysteriorum vsurpatione inibi facta.

49. Et eodem referebantur epulæ in eundem locum illatæ à S. Monica. Nam cum dapes super fidelium sepulturam inferebantur ad eorum subleuationem,

uationem, non participabantur ab inferentibus, ſed cedebant in vſum pauperum ac Sacrorum miniſtrorum, qua de re plenè tractando legitima & illegitima defunctorum ſubſidia, in opere cui titulus, *Iuſta & inferiæ piis Manibus*. Epulæ igitur à S. Monica illatæ, quibus eam ſobriè participaſſe ſcribit S. Auguſtinus, ſpectabant cultum Sanctorum, & religioſam hilaritatem veſcentium, ex priſco vſu primùm à Patribus inducto ad abolendas ſacrilegas Gentilium epulas in honorem Deorum, & mulcendam rudem plebem tunc primùm Chriſto aggregatam, conceſſione benigna epulandi in honorem Sanctorum; vt habetur ex S. Paulino Natali 9. S. Felicis, ac Nyſſeno in vita Thaumaturgi, & aliis quos protuli in opere de Martyr. p. 4. cap. 6. num. 14. Nihil ergo epulæ illæ, eiſque præmiſſa à S. Monica communio, ad ſubleuationem defunctorum.

50. Petrus Venerabilis qui D. Auguſtino ſubiungebatur, cum dixit Cluniacenſes iuſſu S. Hugonis iuuiſſe animam defuncti, Sacramentis; per *Sacramenta*, manifeſtè intelligit ſacrificium Miſſæ. Ibidem enim referens mandatum S. Hugonis, quo edixit animam illam quæ apparuerat, & ſe iuuari expetierat, ſubleuari adhibitis remediis quæ rogauerat ſibi ſuppeditari; addit, ea remedia fuiſſe eleemoſynas, & ſacrificium incruentum; nec meminit communionis extra ſacrificium. Itaque quod eodem loco habet, animam illam petiiſſe iuuari Sacramentis, & iiſdem adiutam fuiſſe iubente S. Hugone, accipiendum eſt de nomine *Sacramentorum* iuxta antiquum morem vſurpato. Quia enim ad ſacrificium duplex exigitur conſecratio, & qualibet conſecratione

consecratione vnum numero Sacramentum efficitur, materialiter distinctum ab eo quod alteri consecrationi respondet,salua formali & specifica vnitate ducenda ex analogia ad integram & plenam refectionem corpoream esculenta & poculenta comprehendentem; propterea non rarò apud antiquos, sacrificium incruentum vocatur nomine Sacramentorum,vt manifestum est ex opere S.Ambrosij de sacrificio Missæ, cui titulum fecit *de Sacramentis.* Similitérque librum S. Gregorij de ritu Missæ & orationibus super sacrificium recitandis, antiqui Codices inscribunt *librum Sacramentorum*, eóque nomine allegatur à Micrologo cap. 60. Alij *Sacramentarium* inscribunt, sed corruptè. Extat item liber *Sacramentorum*, Grimoldi Abbatis, & liber *Sacramentorum* autore Alcuino, eiusdem omnes argumenti, hoc est de Missæ sacrificio, & tamen inscripti de Sacramentis. Estque id sacrificij Christiani apud veteres nomen adiungendum ad ea quæ latè cumularunt Pamelius ad epistol. 63. S. Cypriani num. 49. & ad librum Tertulliani de cultu fœmin. cap.11. VValterus cœna 3. c.45. Socolouius ad cap. 13. censuræ Hieremiæ Constantinopolitani; Sanctesius in præfatione ad Græcorum Liturgias cap. 5. Matthæus Galenus cap. 1. de sacrificio. Græci eodem sensu vocant Missam, *mysteria*, vel cum addito *tremenda mysteria.* Imo apud Chrysostomum homil. 18. in 2. Cor. & l. 3. de sacerd. dicuntur *horrendissima mysteria*, & *omnium maximè horrenda, verendáque.* Quare quod animam defuncti Sacramentis Cluniacensium adiutam dixit Petrus Venerabilis, non est accipiendum de adiumento per vsum Sacramenti Eucharistiæ, sed per celebrationem

celebrationem ſacrificij Miſſæ. Nec plura de argumentis pro ſententia contraria, petitis ab autoritate Doctorum & Patrum.

Ad diuina viſa, & facta, dictáve Sanctorum.

51. Argumentum ex viſis diuinis, ac reuelationibus, quibus ſancti aliqui & ſanctæ accepiſſe feruntur, communionem viuorum, Euchariſtiæ in eum finem participantium, defunctis prodeſſe; facilè eliderer Sibyllanus, qui deſcripto latè Henrico de Aſſia, valdè eleuat fidem huiuſmodi reuelationum, ſexui molliori exhibitarum, vt apud ipſum Sibyllanum videre eſt in opere peregrinarum quæſtionum decade 1. cap. 8. q. 6. nec multo aliter Franciſcus Picus l.9. de prænotione cap.2.& Canus l. 11. de locis cap. 6. qui ex pugna inter reuelationes ex quibuſdã piis mulieribus circa Deiparæ conceptionem iactatas, argumentatur. Mihi ſalua reuerentia quæ perſonis cum Deo familiariſſimè agentibus debetur maxima, dicendum videtur; ex iis quæ in libris huiuſmodi reuelationum produntur, non peti argumentum certum vel ineluctabile ad aliquid ſtabiliendum: præſertim ſi vrgens ratio, vel Doctorum autoritas, ſit in contrarium. Addit Caietanus t.1. opuſc. tract. 23. q. 2. ad 2. quæ multo magis huiuſmodi argumentationes ex illis reuelationibus ductas infirment. Nec negari poteſt, perſonas ſacris viſis & reuelationibus aſſuetas, ea interdum habere pro diuinis viſis ac reuelationibus, quæ reuera à Deo non didicerunt, ſed ex proprio ingenio ſunt commentæ. ***Sciendum***, (inquit

S.Gregorius

S. Gregorius homil. 1. in Ezech.) *quod aliquando Prophetæ sancti, dum consuluntur, ex magno vsu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferunt, & se hæc ex Prophetiæ spiritu dicere suspicantur.* Luculentum in eam rem est exemplum Nathani 2. Reg. 7. quod D. Gregorius non omisit. Nam Dauidi, voluntatem suam de templo ædificando aperienti, respondit tanquam in spiritu Dei, placere Deo Regis consilium: & tamen compertum postea est, Nathanum non ex Dei spiritu oraculum Dauidi prompsisse, sed humani aliquid passum, cogitationem suam à vero alienam, pro diuino responso dedisse.

52. Cum igitur fortissimæ rationes superiùs propositæ, & Doctorum in Dei Ecclesia omni exceptione maiorum testimoniis, constet communionem sacram à fidelibus extra sacrificium perceptam, nihil defunctis proficere ex opere operato; cogimur dicere, si quæ reuelationes habent, diuinitùs monstratum esse piis aliquibus personis, præsertim è sexu infirmiore, communionem vi sua leuare defunctos, id non ex afflatu Spiritus sancti, sed ex ingenij humani negotiatione manasse. Id quod æquè dicere cogimur, de nonnullis placitis circa animas Purgatorij, quæ eædem sanctæ quarum hîc autoritate grauamur, minùs consentaneè ad doctrinam Theologicam tradiderunt. Vt dico in tractatione de subleuatione defunctorum. Fortassis etiam per catachresim, aut vocum ampliationem vel laxationem, adiuncta communionis & perceptionis Eucharistiæ, vocarunt *communionem.* At adiuncta illa esse plerunque defunctis fructuosissima, extra controuersiam est.

Ea etiam ratione dilui potest, quod obiiciebatur

ex

ex factis dictísve Sanctorum, qui aliquando leguntur communicasse pro defunctis, talémve communionis finem probasse, quod præter adductos inter argumentandum vix vlli fecerunt. Dissimulo veréne qui res gestas Sanctorum conscripserunt ea locutionis seueritate adhibita aliquid in hoc genere ab illis factum expresserint, quo id ipsi sancti ore tenus prodiderant, vel in aduersaria & schedia retulerant, vnde concinnata sunt acta Sanctorum. Sanè Canus 11. de locis cap. 6. plerosque in hoc genere, indignè, ac vt ille etiam contendit, malignè versatos, allatrauit atque momordit. Aliorum verò esto iudicium, quàm procul absint ab ea indignitate in quam Canus genuinum infixit, qui hisce diebus, Sanctorum historias ea ratione conscribunt, vt quicquid verisimiliter excogitare possunt ab eis factum dictúmve, tanquam reipsa gestum ac dictum chartis committant. Dum enim dilatant phylacteria & magnificant fimbrias narrationum; paucas inquam pagellas iam olim syncerè ac simpliciter conscriptas, satagunt diffundere in iustum volumen, rhetoricari coguntur non historicos agere, & ea sanctis affingere quasi ab eis verè facta dictáve, quæ non nisi mentis & facundiæ scriptorum partus sunt, nec reipsa ad Sanctos attinent. Is tractandi modus innoxius haberi potest inter declamandum, vt notat Guerricus Abbas serm. 2. de Assumpt. in Historico autem, præsertim sacro, non est ferendus, tametsi à non nemine, hoc tempore adhibetur. Quid si ergo eiusmodi est, quod alicubi, quanquam infrequentissimè legitur; sanctos, vel sanctas quaspiam, communionem pro defunctis vsurpasse, eísve profuturam pronunciasse?

Prima

Prima aduerſariorum ratio, ex Sacramenti & ſacrificij proportione, exploditur.

53. Non ſunt denique omittendæ rationes tres, quibus aduerſarios ſententiam ſuam firmare ſolitos, ſuperiùs attigi. Prima ducitur ex æquiparatione Sacramenti Euchariſtiæ & ſacrificij. Nam ſi ſacrificium Miſſæ tantoperè fructuoſum eſt defunctis ex opere operato, quidni etiam Sacramentum, quo idem Chriſtus hoſtia viua fidelibus viuis & defunctis impenſa continetur? Secunda petitur ex auctiore honore Sacramenti Euchariſtiæ, ac Chriſti, ſpecierum exuuiis obtecti. Erit enim hoc Sacramentum venerabilius, ſi inter eius effectus hic numeretur. Nec eſt veriſimile Chriſtum qui ſacrum hoc ſuæ charitatis pignus tam multis modis prodeſſe viuentibus voluit, ab eius largitatis participatione arcuiſſe fideles vita functos, eadem nobiſcum charitatis neceſſitudine coniunctiſſimos. Tertia demum ratio inde ab aduerſariis promitur, quod ſententia de fructuoſa mortuis communione, potens illicium contineat frequentandæ communionis. Pro eo enim affectu, quo humanior quiſque, fertur ad ſubleuationem eorum quos charos habuit, vel quo indiſcriminatim afflictiſſimas animas iuuandi deſiderio incenditur, potentiſſimè inducetur ad frequentem ſacri panis participationem, non minore ſuo commodo, quàm defunctorum; quibus vt ipſa communio non prodeſſet, adiuncta tamen maximè proderunt.

54. Nulla harum rationũ eſt reuera idonea. Sed prima quæ præſertim in fraudem egit aduerſarios, merus

merus est inscitiæ partus. Quanta enim est rerum sacrarum ignoratio, sacrificium cum Sacramento componere; & quod de vno dicitur, ad alterum transferre? Sanè quidem sacrificium incruentum fideles defunctos iuuare, dubitare Catholico non licet. Iuuare autem ex opere operato & infallibiliter, quicquid Canus 12. de locis cap. 13. ad 9. secus senserit, rectè affirmant Petrus Soto lect. 7. de Euchar. Vasques 3. part. d. 128. à num. 29. Bellarminus l. 2. de Purgat. cap. 8. Matthæus Galenus libro de sacrificio cap. 16. sub finem. Sicque accipio quod ex variis Patribus tanquam traditionem Apostolicam testatissimum facit Pamelius Tomo 1. Liturg. Latin. seculo 1. à pag. 77. de indubia fidelium defunctorum subleuatione per sacrificium. Imo non tantùm iuuari applicatione incruenti sacrificij fideles defunctos, quod Patres illi vt certum tradunt; sed etiam eo maximè subsidio iuuari, nullúmque mortuorum subsidium esse cum isto conferendum, rectè pronunciat Gabriel lect. 57. in Canon. & Thyræus l. de locis infestis cap. 82. Nec dubitauit Demochares l. de Missæ sacrificio pro mortuis, pag. mihi 66. disertè profiteri, Scholasticos Doctores vniuersos in 4. d. 45. vno ore contestari, defunctos potissimùm iuuari Missæ sacrificio in eorum bonum oblato, id quod Tridentina Synodus oraculo suo firmatum dedit sess. 25. decr. de Purgat. Plenè in hanc sententiam dissero, tractans legitima defunctorum subsidia.

55. Est igitur sacrificium incruentum, de grauissimorum Patrum sententia, ipsiúsque Ecclesiæ iudicio, potentissimum subsidium ad leuandos vita functos. Id verò cum inaudissent aduersarij, nec

ſatis introſpexiſſent ſacrificij & Sacramenti diſcrimen, eo deuenere inſulſitatis, vt dicerent perceptionem quoque Euchariſtiæ præſentiſſimum eſſe defunctorum in Purgatorio laborantium adiumentum. At conſideratum oportuerat, Sacramentum eſſe medicinam & cibum, atque adeò non niſi immanenter agere, quia non prodeſt niſi applicetur; ſola autem ſumptione applicatur. Sacrificium verò eſt actio ex natura ſua, publica; & Deo, non ſacrificantibus tantùm, ſed & aliis propitiando addicta: applicatur porrò per oblationem pro aliquo. At oblatio illa poteſt terminari ad non ſumentem. Quod aliter dixit S. Bonau. in 4. d.45. *dub.3. circa literam*, Sacramentum eſſe actum in perſonam, qui actus requirit perſonam actu exiſtentem & præſentem. Sacrificium autem eſſe actum pro perſona, qui etiam ad præteritos & futuros dirigi poteſt, vt probat ex cruento Chriſti ſacrificio in ara crucis. Eruit indidem S. Bonauentura planè appoſitiſſimè ad rem præſentem, cur Euchariſtia provt Sacramentum nullo modo iuuet defunctos, ſicut etiam cætera Sacramenta ſunt eis inutilia; Euchariſtiæ autem ſacrificium, ſit illis ſubleuandis accommodatum. Hinc prima aduerſariorum ratio ſatis ſupérque diſiecta & contrita videri debet.

Reiicitur ſecunda ratio, ex ampliore Sacramenti venerabilitate.

56. Secunda nihilo fortior eſt, eóque liberiùs repudiari debet quod eam pietatis laruam præfert, quam Hæretici propè omnes ſuis blaſphemiis ſemper obduxerunt. Valentinus, Marcion, Manichæus, ſpecie

ſpecie honoris Chriſto exhibendi ne noſtris ſordibus inquinaretur, ſolam Chriſto humanæ carnis phantaſiam conceſſerunt, abrogata humanitatis veritate, vt S. Epiphanius hær. 77. & Tertullianus l. de carne Chriſti referunt & deteſtantur. Arriani ſpecie honoris exhibendi æterno Patri, ac ne ei ſpucitias humanæ generationis illinerent, Verbum Dei à Patre genitum negabant. *Ad impiæ profeſſionis ſuæ vſurpationem*, ait S. Hilarius l. 2. de Trinit. *magnificentiam Dei Patris, non religionis fide, ſed arte impietatis extollunt, vt dum incorruptibilia omnia eſſe naturæ eius edisserunt, degeneris infirmiorîſque naturæ vnigenitum Deum per exceptionem comparationis affirment.* Idem libro in Conſtantium, hoc eſſe ait, *noctem illuminare lucem, & pietatem impiè mentiri.* Neſtorius, Chriſti in duas perſonas diuiſioni, obtendebat Dei gloriam, cui timebat, ſi Deum bimeſtrem aut trimeſtrem liceret dicere. Itaque diuino honori in ſpeciem velificabatur per blaſphemiam. Caluinum l. 4. inſtitut. cap. 17. §. 32. hanc in peccatis excuſationem excuſare, item Vermilium, Bezam, & reliquos haræ Caluinianæ ſubulcos, ſuo non niſi imaginario & figurali in Eucharistia Chriſto, prætexere dedecora, quibus alioqui inquinanda eſſet Chriſti maieſtas, teſtantur Sanctesius repetit. 5. de Euchar. cap. 3. & Bellarminus l. 3. de Euchar cap. 10. Nec aliter grunnire Vbiquetarios, vt errorem ſuum ſtabiliant, ſcribit Gregorius de Valentia l. contra eoſdem 4. cap. 1. In ſumma, omnibus ſemper erronibus id proprium ac perpetuum fuiſſe, vt diuinum honorem nequitiæ ſuæ prætexerent, & irrationabile obſequium blaſphemantes exhiberent; idque præcauentem

Apostolum monuisse fideles, vt rationabile obsequium offerrent Deo, autor est Petrus Chrysologus serm. 109. *in fine.* Nec aliter de hæreticis S. Gregorius 12. mor. cap. 14. *Sæpè* (inquit) *hæretici dum quasi venerantur Deum, eius mysteriis contradicunt, & humilitatem putant, si veritatem denegant. Sunt namque nonnulli qui Deo se iniuriam irrogare existimant, si eum veram carnem assumpsisse fateantur, aut si hunc veraciter pro nobis carne mori potuisse crediderint. Cúmque Deo quasi plus honoris conantur tribuere, coguntur laudes veras bonitatis illius negare. Quid enim ei est in charitatis suæ laude potētius, quàm vt illa sibi pro nobis digna ad susceptionem assumptione faceret, quæ ei videntur indigna? Sancta autem Ecclesia veram carnem, veram mortem illius confitetur. Sed hæc dicens, ab hæreticis irrogare Deo contumeliam creditur. Vnde nunc dicitur, & imitaris linguam blasphemantium.*

57. Vides quàm meritò dixerim, rationem admittendæ communionis ex opere operato fructuosæ defunctis, ductam ex maiore Christi honore & huius Sacramenti venerabilitate, redolere genium hæreticorum, eóque fidentiùs repudiandam esse. Non sanè parum honorifici erga Christum in Eucharistia abditum, fuere Patres omnes atque Doctores; quamuis nunquam Eucharistiæ Sacramentum, à vano hoc effectu, & fictitio per illud mortuorum leuamine celebrarint. Suppetunt innumera & solida decora, quibus hanc *omnium Sacramentorum consummationem,* (sic Eucharistiam de Magistri sui sanctissimi, siue Pauli, siue Hierothei sententia nominat S. Dionysius cap. 3. Eccles. hierar.) exornare, & celebrare ad veritatem liceat. Fructus verò eius,

eius, tanti támque vberes & multi ſunt, (contra quàm blaſphemabant Meſſaliani apud Theodoretum 4. hiſt. cap. 11. neque vtilem neque damnoſam Euchariſtiæ ſumptionem affirmantes,) vt verè Gabriel lect. 85. in Canon. pronunciauerit, neminem mortalium dignè & plenè euoluere tantam vbertatem fructuum poſſe. Gulielmus item Pariſ. tract. de Sacram. Euchar. cap. 2. vim huius Sacramenti eſſe *virtuoſiſſimam*, (retineo barbaram, ſed emphaticam vocem,) probat ex inſignibus effectibus quos Deus per S. Ioannis Euangeliſtæ veſtem, per baculum S. Petri, per oſſa, capillos, & alia ex Sanctorum corporibus minutalia, per fimbriam veſtimenti Chriſti præſtare dignatus eſt. Addit virtutes inditas terreſtribus animalibus, piſcibus, gemmis, ligno vitæ, herbis variis, atque lapidibus; Tum concludit, ſi hæc ita ſunt, & Dei ſapientia tam eximiis viribus exornauit res prorſus à ſe abiunctas, *quomodo Verbum per quod omnia facta ſunt, carnem ſuam quam pro ſalute animarum aſſumpſit, non omnibus virtutibus gloria ſuâ congruentibus in parte illa, & animarum ſaluti expedientibus illuſtrauit? Propter hæc omnia & alia innumerabilia mirabilium ipſius, quorum nos aliqua metu prolixitatis tranſimus; alia verò nec noſſe nec numerare ſufficimus, meritò dicimus, ſentiendum eſſe ampliſſimè & magnificentiſſimè de virtuoſitate tanti támque venerandi Sacramenti.*

In tanta numeroſitate fructuum eximiorum huius Sacramenti, quid attinet illi ex fictitiis effectibus decora augere, & quaſi non ſatis per ſe niteat, fucum illi aſcititium appingere? Huiuſmodi commenta decorum vertuntur in probra. Vt enim rectè

 cenſuit

censuit Cassianus l. 1. de Incar. cap. 2. *non minoris erroris est, Domino* IESV *Christo impropria addere, quàm propria derogare. Quicquid enim de illo non ita dicitur vt est, etiamsi honor videatur, iniuria est.* Pari insulsitate, benè multi hac ætate, quasi honor Reginæ iudicium non diligeret, vt monuit iam olim S Bernardus epist. 174 dum B. Virginis gloriam friuolis & ementitis titulis diffundere & augere satagunt, quasi sanctuarium Dei inopia vel parcitate solidorum decorum laboraret, Deiparæ honorem pro quo improuidè sunt solliciti, reuera deterunt: se autem effusè ridendos propinant, qua de re plenè in Diptychis Marianis.

Ad rationem tertiam, vt maior sit Eucharistiæ frequentatio.

58. Vltima pro aduersariis ratio, sordet indignitate non ferenda. Quasi enim non habeamus plus satis illiciorum & incentiuorum ad frequentationem Eucharistiæ, adornatur pia fraus; & obiecta esca falsi fructus inuitantur fideles ad crebram sacræ mensæ aditionem. Non eget Christiana pietas his commentis, nec admittit huiusmodi tectoria, synceritas & veritas. Semper Catholica Ecclesia, strophas etiam prætextu promouendæ pietatis, est detestata: & eos qui vel confictis miraculis vel excogitatis reuelationibus, piæ plebi imposuisse sunt deprehensi, malè multatos reiecit: non aliud magis sibi cordi esse, in Tridentina aliisque Synodis contestata, quàm vt Deo qui summa veritas est, ablegato omni falsæ pietatis fermento, in summa synceritate, puro ac velut azymo cultu seruiatur.

Sunt

Sunt in hanc rem iustissimæ querelæ Ludouici Viuis l.5. de trad. discipl. & Melchioris Cani lib. 11. de locis cap.6. imo piorum & proborum omnium. Itaque facessant conficta pietatis erga Eucharistiam incentiua; & cum libuerit ad frequentem communionem multos pellicere, solida ac syncera quæ suppetunt frequentationis illius inuitamenta proponantur. Vrgeatur tanti Sacramenti ad eximios in nobis effectus, summa vtilitas. Prædicetur inde prouenieus firmitas & roboratio charitatis. Celebretur retusio motuum concupiscentiæ, & restinctio originalis incendij, etiam in iuuenibus, vt à S. Bernardo ad suos agente factum serm. de cœna Dom. & à S. Cyrillo l.4. in Ioan. cap. 17. necnon à Petro Damiani Opusc. 47. cap.2. Non prætereatur suauitas plusquàm mellea,& pinguedo huius panis præbentis delicias regibus.

Quàm alia proponant Patres, excitandis ad Eucharistiæ vsum fidelibus.

Quis verò apud Patres finis est encomiorum quæ huic Sacramento solidè sine falsitatis mixtura contexunt, dum satagunt pro fidelibus ad hunc cibum illiciendis? *Participa* (inquit S. Ephrem serm. de natura Dei curiosè non scrutanda) *immaculatum corpus & sanguinem Domini tui, fide plenissima, certius quod agnum ipsum integrè comedas. Ignis immortalis sunt mysteria Christi, caue ea temerè scruteris, ne in ipsorum participatione comburaris. Abraham Patriarcha cœlestibus Angelis terrenos cibos apposuit, illíque eos comederunt. Ingens sanè miraculum est, cernere spiritus incorporeos, in*

terra carnium cibos manducantes. Sed hoc profectò omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnémque sermonem, quod nobis fecit vnigenitus filius, Christus saluator noster. Ignem quippe & spiritum manducandum atque bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus videlicet suum ac sanguinem.

Nec minùs suauiter simul ac potenter Nyssenus homil.8. in Ecclesiastem ad illud, *tempus amandi*, his præter cætera. *Alia sunt verè bona, quæ etiam ipsa sunt pulchra & honesta, & tales faciunt eos qui sunt participes. Quale enim est naturâ id quod participatur, in id etiam necesse est simul transmutetur id quod participat; vt benè olens fit os eius qui ore accepit aromata; & rursus malè olens, eius qui comedit allium, aut aliud aliquid quod est fœtidius. Quoniam ergo fœtida quidem est omnis sordes peccati, contrà autem virtus est bonus odor Christi; amandi autem habitudo naturaliter efficit contemperationem cum eo quod amatur; quod diligimus per amorem, per illud efficimur Christi bonus vel malus odor. Qui enim quod bonum est & honestum amauit, ipse quoque erit bonus & honestus, bonitate eius quod est in ipso, eum qui accepit in seipsam transmutante. Propterea nobis seipsum comedendum proponit is qui semper est, vt cum ipsum in nobis ipsis acceperimus, illud fiamus quod ille est. Dicit enim,* Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *Qui ergo hanc amat carnem, non est amicus suæ carnis; & qui in hunc sanguinem est affectus, mundus erit à sensibili sanguine. Caro enim Verbi, & sanguis qui est in hac carne, non vnam habet gratiam, sed est suauis iis qui gustant, & appetendus iis qui desiderant, & iis qui diligunt amabilis.*

60. Autor

60. Autor sermonis de cœna Domini apud Cyprianum, vbiuis facundus iuxta ac pius & doctus, in hoc argumento & inducendis potenter ad vitalem hunc cibum fidelibus proposito eius multiplici fructu & commodo, superior seipso videtur. Exiguum ex eo centonem paucis plagulis decerptis hinc inde, & adunatis, contexo. *Panis iste supersubstantialis, & calix solemni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam salutémque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens*, &c. *Panis iste non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas; ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infundit essentia, vt esset religioni circa Sacramenta deuotio; & ad veritatem cuius corpus & sanguis Sacramenta sunt, syncerior pateret accessus, vsque ad participationem spiritus: non quod vsque ad consubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem germanissimam eius, hac vnitas perueniret*, &c. *Nobis itaque pro quibus sanguis Christi oblatus est in cruce, & quos reconciliauit Deo omnes excedens victimas hoc sacrificium singulare, ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, vt non tantùm exteriùs hoc sanguine liniremur, sed & interiùs aspersione omnipotenti, animâ muniremur; & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quicquid esset intus ibi dirum effugaret, & renouaret sanarétque quicquid morbi carni vel spiritui veteris vita adlinierat corruptela*, &c. *Mansio nostra in ipso, est manducatio; & potus quasi quædam incorporatio, subiectis obsequiis, voluntatibus iunctis, affectibus vnitis. Esus igitur carnis huius,*

quædam auiditas est, & quoddam desiderium manendi in ipso; per quod sic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, vt hæreat palato nostrò & visceribus sapor dilectionis infusus, penetrans & imbuens omnes animæ corporísque recessus, &c. *Quàm præclarus est calix iste, quàm religiosa est huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retrò sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi; sed diuitis purpurati delicias contemnentes, cruci hæremus, sanguinem fugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam; quo interiùs exteriúsque rubricati, à sapientibus huius seculi iudicamur amentes,* &c. *Qui manducat ex hoc pane, vltra non esurit; qui bibit, vltra non sitit; quoniam mysterij huius sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, vt cuicunque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine inuento, Christi baiulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, & omni tempore habitatori suo, dicta & facta, iubilatione consona laudes resonent, & gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas, non accendit, sed extinguit peccatum: in hoc vino non est luxuria, nec mouetur ad l[illegible]dum post hunc potum lasciuia. Cum sopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur quem agnus iste Paschalis inhabitat, cuius animam meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat & delectat,* &c. *Vident hæc Sacramenta pauperes spiritu & hoc vno contenti ferculo, omnes mundi huius delicias aspernantur: & possidentes Christum, aliquam huius mundi possidere supellectilem dedignantur. Esurientes & sitientes iustitiam, cum saturati fuerint, vide quid agant, intellige quæ loquantur, quàm sancti odoris sit*

quicquid

quicquid illa eructat plenitudo: verbum bonum mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos, illa interior synceritas vbique diffundit, ita vt post odoramenta ista gratiæ huius comparticipes discurrant, & mutuis ad inuicem affectibus complectantur, & quibus vnus est panis, vnum est corpus, & omnium vnum cor & anima vna, vni Christo adhærens cætera omnia quasi fermentata respuens in vnius azymi synceritate lætatur, &c. *Panis iste Angelorum, omne delectamentum habens, virtute mirifica, omnibus qui digne & deuotè sumunt, secundùm suum desiderium sapit & ampliùs quàm manna illud eremi, implet & satiat edentium appetitus, & omnia carnalium saporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinum voluptates. Vide quomodò his qui Christi commemorant passionem, intra sacra officia quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lachrymis nectareis anima delectetur: quantam suauitatem animæ inquirenti vbi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procellosæ tempestatis deponunt. Ros matutinus est de cœlestibus stillans, & quasi vnctio spiritus, mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem & noctem, retro & ante se affectio intuens, inter data condonando se diuidens, gratias agit tam vberis beneficij largitori, & se sanatam, & sanctificatam agnoscens, fletibus se abluit, & lachrymis se baptizat,* &c. *Hanc Dei gratiam recolens qui de sacro calice bibit, ampliùs sitit, & ad Deum viuum erigens desiderium, ita singulari fame illo vno appetitu tenetur, vt deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis sapor delectamentorum carnalium sit ei quasi rancidum radénsque palatum acutæ mordacitatis*

dacitatis acetum. Ad hæc inter ſacra myſteria, ad gratiarum actiones conuertitur, & inclinato capite munditia cordis adepta ſe intelligens conſummatum, reſtitutus peccator ſanctificatam Deo animam quaſi depoſitum cuſtoditum fideliter reddit, & deinceps cum Paulo gloriatur, & lætatur dicens, Viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.

61. Chryſoſtomus in ornando & celebrando auguſtiſſimo hoc myſterio, non modò frequens, ſed penè perpetuus eſt. Verùm nihil attinet ex eo ſeligere floſculos non abſque iniuria locorum prætermittendorum, cùm diligens in paucis, planéque accuratus, & de huius myſterij gloria optimè meritus ſcriptor, Claudius Sanctesius in Syntagmate ad triginta capita diffuſo, quod Græcorum Patrum Liturgiis & Collectaneis de Euchariſtia attexuit, ſelectiſſima quæque de hoc ſacramento à Chryſoſtomo variis locis tradita digeſſerit, tanto ſtudio & felicitate, vt ſuperuacuum videatur, vel plura ex Chryſoſtomo in hanc rem conquirere, vel alibi frui tam ſedulæ apis laboribus. Quare adeatur Sanctesij defloratio; & præſto, nihil ad plenam & ſolidam tanti myſterij gloriam, deſiderandum à prudente æſtimatore.

Hæc & alia quæ apud Patres paſſim proſtant Auguſtiſſimi Sacramenti decora quiſquis attenderit, non erit quod ad excitandam eius auiditatem, ad falſos titulos & ementitos effectus confugiat, inani ſpe propoſita iuuandi defunctos ex eius perceptione, ſicut iuuantur per incruentum ſacrificium. Habebit enim pluſquàm ſatis verorum & ſolidorum incentiuorum, quibus animę palatum quantumlibet faſtidioſum, ad diuini cibi cupiditatem excitet.

Solida

Solida defunctorum subsidia, spuriis ablegatis, amplectenda.

62. Cum item subleuare fideles vita functos placuerit, ne nobis & illis falso hoc & inani subsidio vsurpando illudamus, sed veris mediis à Christo institutis adhibendis, debitam erga eos charitatem & commiserationem prodamus. Tale est super omnia sacrosanctum Missæ sacrificium, vt vidimus. Talis in suo genere ac ordine est oratio, vt D. Chrysostomus homil. 21. in Acta, & homil. 41. in 1. ad Cor. & sæpè alibi confirmat. Quod fecisse Pammachium scribit S. Hieronymus, rigentur eleemosynarum balsamis ossa & fauillæ fidelium vita functorum. Ne corporum afflictationibus parcatur, fructu satisfactorio quo abundant, in has egentes animas transfuso, exemplo Dauidis Abnerem lugentis 2. Reg. 3. & Hebræorum in Saülis demortui gratiam se se macerãtium ac ieiunantium, vt 1. Reg. vltimo legimus. Septenarium eiusmodi solidorum subsidiorum hoc versiculo comprehensum,

Fle, pete, ieiuna, vigila, da, redde, celebra.

multipliciter illustrat Cantipratanus l. 2. Apum cap. 53. num. 15. Et plenè quoque ac luculenter de iisdem idoneis piè defunctorum adiumentis Thyræus in opere de locis infestis à cap. 74. ad 82. Contulimus & nos symbolas nostras non indiligenter tractato eo argumento, in opere cui titulus, *Iusta & inferia piis Manibus*, aduersus nouitiam heteroclisim pietatis, qua asseritur, quamuis si quis suffragari defunctis velit, verè illis sit profuturus, vt fide sanctum est; præstare tamen, & ad perfectionem spectare,

ſpectare, nolle ſuffragari, ne diuinæ iuſtitiæ leges temerentur,& leues culpas non curantium licentia foueatur, amoto fræno quo coerceri potuiſſent; nempe exſoluendarum integrè vſque ad nouiſſimum quadrantem pœnarum, illis labeculis ab vltore iuſto reponendarum. Quàm imperfectus & nullus ſit hic pro Dei iuſtitia & peccatorum coërcitione zelus, euincitur multipliciter in prædicto opere, ſubnectitúrque ſeries idoneorum ſubſidiorum, quibus ex magna perfectione & charitate iuuari poſſunt fidelium defunctorum animæ. Ab illis idoneis ſubſidiis procul abeſt cum communio, attento opere operato Sacramenti,tum alia pleraque falſa & vana ibidem diſcuſſa, de quibus iure, repetito principio illa Innocentij III. vſurpabo,

Falſa ſunt abiicienda remedia, quæ veris ſunt periculis grauiora.

FINIS.

SYLLABVS

SYLLABVS
PRÆCIPVORVM CASVVM, per occaſionem ac præter inſtitutum primarium, diſcuſſorum.

in

INDEX

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

A

Cadauerum

C

Euchariſtia,

Homicidij

Matres

N

O

P

Paupertas

Scriptura,

Trachartieriæ

V

X

Z

LVGDVNI,
Ex Typographia
CLAVDII CAYNE.
1637.